A. lat. a. 2113

Valerius

Digitized by Google

A-x.

<36636659050019

<36636659050019

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICA.

NICOLAUS HEINSIUS

DAN. FIL.

Ex vetuſtiſſimis exemplaribus recenſuit & Animadverſiones adjecit.



TRAJECTI BATAVORUM

Ex Officina *Guilielmi vande Water*, Academiæ Typographi.

MDCCII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

VIRO

Nobiliſſimo & Ampliſſimo

PETRO HAECK DE JONG,

Urbis Ultrajectinæ Senatori, & cum maxime Conſuli

S. D.

PETRUS BURMANNUS.

Valerium Flaccum, Eximium & omnibus numeris abſolutum Poëtam, Tibi, Vir Ampliſſime, ut meae erga Te obſervantiae & gratae voluntatis eſſet monumentum, ſacrare viſum fuit. Parabit ipſe ſibi facilem ad Te aditum, cum nullis libentius aedes & aures tuas, quam eruditis ſcriptis & ſermonibus, patere velis. Et quamvis Tua Te induſtria & virtus arduis rei publicae

Digitized by Google

noſtrae negotiis admoverit, & immenſa illa negotiorum moles, quae difficillimo hoc tempore Rectores civitatium noſtrarum premit & pene obruit, vix patiatur, ut vel paullulum a ſalutis & dignitatis publicae cuſtodia oculos dimoveas, nullus tamen dubito, quin ubi vel unam ab ingentibus illis curis horam vacuam nanciſcaris, eam in perluſtrandis antiqui aevi monumentis libentiſſime ponas, & in maximis occupationibus numquam Doctrinae ſtudia intermittas. Ejus enim ſententiae a primis jam annis fuiſti, nihil ad hominem ornandum, & ad ſummum etiam dignitatis faſtigium evehendum magis eſſe accommodatum, quam praeſtantiſſimarum artium ſtudia; quibus nobilia & generoſa juventutis pectora ſi imbuantur, bene omnibus civibus de patriae adminiſtratione ſperare & augurari licet. Nam, ſi numquam videmus clavum navis committi homini omnis nauticae diſciplinae ignariſſimo, ſed imperium

perium carinae eſſe penes eos, qui a prima aetate per varios fluctus jactati, ventorum rabiem declinare, aeſtuum fervorem frangere, vadorum infeſta brevia & ſcopulos evitare didicerunt; Quid magis abſurdum, & generi humano damnoſius excogitari poſſet, quam totius rei publicae gubernacula credere hominibus, qui nullam rerum civilium notitiam, ex priorum civitatium fatis hauſerunt. Alia, & diverſa a communi conſuetudine, Tua, Vir Ampliſſime, ratio eſt: primum ætatis florem in iis artibus excolendis conſumpſiſti, quae animum Tuum ad majora conformare poſſent, imo tanto humaniorum literarum ſtudio ducebaris, ut niſi aliam Tibi rei publicae noſtrae ratio perſonam impoſuiſſet, nihil ſuavius & jucundius exiſtimaſſes, quam in literato otio & amoenis Muſarum viretis conſeneſcere. Sed ne nunc quidem, (etſi non tam libero & vacuo, quam optares animo, Te referre ad ea ſtudia celebranda,

quae olim ſedulo coluiſti, licet) deſiſtis inſignem amorem iis praeſtare, & nihil antiquius habes, quam ingenia, quae ad rem literariam ornandam ſe accingunt, fovere & amare. In me certe non ſemel ſingularem illam erga literas benevolentiam expertus fui, qui omni officiorum & meritorum genere me a Te cumulatum adgnoſco. Jam vetus mihi cum Domo & Familia, ex qua ſanctiſſimam Tibi Matronam jugali foedere ſociaſti, interceſſit uſus, & a primis annis illius membra ſumma veneratione ſum proſecutus. Neque poſſum non, quamvis ipſa commemoratio mihi lacrymas excutiat, hic meminiſſe Ampliſſimi Viri, Joannis de Weede, Affinis Tui cariſſimi, quo candidiorem & rectiorem hominem me numquam vidiſſe, affirmare liquido poſſum. Hunc, proh dolor! cum quo a tenerrimis unguiculis contracta amicitia, inlibata mihi uſque ad feralem tumulum permanſit, nuper in Conſulari purpura feretro impoſitum doluimus, & amicorum principe,

Digitized by Google

cipe, & ſuauiſſimo praeſidio me orbatum & deſtitutum, non ſine ingenti luctu, vidi. Sed quamvis irreparabilis jactura illa videretur, Tu, Vir Ampliſſime, ut levior nobis eſſet, effeciſti, cum univerſum Fraternarum neceſſitudinum & amicitiarum Te haereditatem adire velle declarares; & me, quem jam antea amicitiae Tuae uſu dignatus eras, prolixiori benevolentia poſthac amplexurum Te promitteres. Neque intra verba officioſa Tua humanitas ſtetit. Nihil ab eo tempore omiſiſti, quod ad me ornandum & augendum facere poſſe arbitrabaris. Tua commendatione & ſuffragatione efficis, ut ampliſſimo Ordini labor & induſtria, quam in juventute Academica erudienda colloco, probetur, & dignis praemiis & commodis ornetur. Cum autem ſortis meae humilitas non patiatur, ut pro infinitis, quibus me devinxiſti, meritis aliud, quam gratae mentis ſignificationem, dependam; ne ſperne, quaeſo, hoc literarium munuſculum;

Digitized by Google

lum; quod, licet ex alieno Theſauro depromptum, Tibi mittere non dubitavi. Nam, ut nihil nunc de curta mea ſupellectile, & paupere Eruditionis apparatu dicam, ea eſt Heinſiani nominis celebritas & gloria, ut quidquid eo inſignitum prodeat, ab omnibus, qui non plane Muſicae artis ſunt expertes, vehementer probetur & appetatur. Heinſius ergo Tuam pro me gratiam & favorem deprecabitur, & cum ſibi omnem ingenii & eruditionis gloriam jure ſuo vindicaverit, ſolam mihi diligentiae & laboris laudem relinquet: & quicumque vero rem pretio aeſtimare velit, aliquid me de re literaria meruiſſe fatebitur, qui haec ſcripta eruditiſſima ab interitu vindicaverim. Vale Vir ampliſſime, & fortiter, ut facis, rem publicam gerere perge. Dabam Trajecti Batavorum, ipſis Kalendis Octobris. CIↃ IↃCCI.

Digitized by Google

LECTORI
BENEVOLO
S. D.

Quem ab aliquo jam tempore publico debemus, emittimus nunc Poëtam, inter Latinos ſolo Marone inferiorem, Valerium Flaccum animadverſionibus Viri Nobiliſſimi Nicolai Heinſii illuſtratum. Neque dubito, quin non exiguam a verae doctrinae cultoribus gratiam initurus ſim, qui hunc Vatem, qui ab omni aevo inter Epicae Poëſeos principes eſt annumeratus, iterum producam. Plurimi olim apud Graecos & Romanos exſtitere, qui ingenium, in verſibus expeditionem Argonautarum conſignando, periclitati ſunt, quorum maximam partem à Gyraldo *Dialog. IV. de Poëtis*, ubi de noſtro Valerio Flacco agit, enumeratam videre licet. *Tritam* eam *Vatibus Orbitam* vocat Statius, & faſtidium Romanis creaſſe nimiam Argonauticon ſcriptorum turbam, credibile videtur. Sed, quod Flacci prae ceteris excellentiam declarat, omnes illi illacrymabiles longa nocte premuntur, unus vero Valerius, ex immenſo illo numero, ad nos ſuperſtes pervenit. Quo luculentius & certius

Digitized by Google

aliud argumentum dari non poſſe, contendo. Neque eos tantum, qui in eodem genere laborarunt, excellens Flacci judicium & diligentia ſuperavit, ſed, ſi a ſolo Virgilio diſceſſeris, nullus deprehendetur, qui cum eo comparari mereatur. Abfuit quidem longius a felicibus Auguſti temporibus, quam Lucanus; ſed tanto intervallo declamatorem illum poſt ſe reliquit, ut operam ludere videri poſſet, qui eos inter ſe componere velit. Nihil enim Lucanus praeſtitit, quod ipſi Poëtae nomen conciliare poſſet; Neque argumentum Epico carmine dignum elegit, neque fingere ea, quæ Heroicum ſpiritum decerent, valuit. Perpetuus declamator, & ſine ullo judicio, inanes quaſdam ſententias, ut Scholaſticus, infarciens, tumore & faſtu ſolo conſpicuus eſt; denique in toto Poëmate, nihil Poëtici argumenti aut ſpiritus apparet. Nam non moramur perverſum illorum hominum judicium, qui omnis Diſciplinae Poëticae ignariſſimi, ſtatim Scriptorem venerantur & laudibus in coelum vehunt, ubi graves quaſdam de moribus ſententias, & longas de vitiis aut virtutibus diſputationes, verſibus comprehenſas offendunt. Nihil enim ſtultius & ineptius fingi aut dici poteſt, quam Poëtam Hiſtoriam quandam conſcribere, & illam acutis Scholaſticorum ſententiis illuſtrare: Epici enim Poëtae partes ſunt praeclarum aliquod Herois factum ob oculos ponere,

Digitized by Google

quod ita fabulis & miniſteriis Deorum implicari debet, ut omnia potius a Poëta ficta, quam religioſe narrata eſſe videantur. Omne autem Poëtae munus ſola Heroïcae iſtius actionis narratione abſolvitur, quae per omnes Epici carminis leges & partes producta, vicem inanium diſputationum implet, & non tam ex ſententiarum pondere & dictorum gravitate, quam ex ipſa actione lector ea addiſcere debet, quae Poëta docere animo ſuo propoſuit. Ipſa illuſtria veterum Heroum geſta, ſive quae geſſiſſe finguntur, animos legentium afficere, & attrahere oportet; procul eſſe omnis vana & umbratilis ſubtilitas; & ſimplex & nuda narratio totum ἐποποιΐαν abſolvere debet. Inſpice omnium conſenſu habitum Poëtarum Principem Virgilium, qui una ſerie, ab initio divini operis ad finem uſque, verum Poëtam agit, unicus in delineandis iis, quae ab Heroe ſuo, & aliis, quos inducit, priſci aevi viris, bene aut male adminiſtrata fuerunt. Si ejus veſtigiis inſiſtere poſterioris aetatis Poëtae voluiſſent, non tam turpiter coeleſtem doctrinam commaculaſſent, neque ubi paucis admodum verbis de Actibus quorundam Hominum egiſſent, ſtatim, tamquam in porticum aut Academiam eſſent tranſlati, Philoſophos agere coepiſſent. Non movendi ſunt aut turbandi diſciplinarum termini. Poëtae ſe barbatorum gregi admiſcere dedi-

Digitized by Google

gnantur, & ex vanis iſtis argutiis, & ſententiarum ſtrepitu ſe expedientes, & ipſas humanae vitae & conditionis actiones ex alto quaſi contemplantes, populis, & habenti nubila terrae ſe eripiunt, & quaſi inter Deos recepti eſſent, ſpiritum divino igne afflatum per varias ambages & fabuloſum ſententiarum tormentum (velut telum per baliſtam torqueri ſolet) praecipitant. Hoc ſanctiſſime plerique Graecorum Poëtae, qui Epicae fictionis auctores fuere, & inter Latinos par modo illud nobile, Virgilius & Flaccus, religioſe cuſtodierunt; qui etiam, ut omnes ſuae gentis Poëtas vicerunt, ita ipſos illos, quos ſibi effingendos propoſuerant, Homerum & Apollonium Rhodium palmam ſibi cedere coëgerunt. Inſtituerunt jam olim, & his etiam temporibus Viri doctiſſimi, inter Homerum & Virgilium comparationem, & per ſpecies demonſtrarunt multum Latino vate minorem eſſe Graecum, in Valerio & Apollonio id nemo accurate, & ut decebat, adhuc tentavit, cum facillime quis id praeſtare poſſet: tantum enim inter utrumque diſcrimen intercedit, ut ne quidem cum Flacco congredi auderet Apollonius. Sed cum id juſti commentarii negotium ſit, neque praefationis anguſtiis illud circumſcribi poſſit, in opportunius tempus rejiciendum eſſe putamus. Ne tamen haec gratis me dixiſſe quis exiſtimet, ſpeciminis loco celeberrimum illum

Digitized by Google

lum Hylae raptum, a tot Poëtis etiam aliis decantatum, ex utroque breviter deſcribemus, ut per ſe Lector dijudicare poſſit, quanto melius Poëtae perſonam impleverit Flaccus. Apollonius narrat, cum in Myſorum terras appuliſſent Argonautae, Herculem, cujus remus fractus fuerat, abiiſſe ſolum in ſilvam, ut evulſam arborem ſibi in remum aptaret. Hylan autem ſeorſim ad aquam quaerendam, ut omnia Herculi reverſo ad coenam parata eſſent, contendiſſe. Dum autem è fonte haurit aquam, a Nympha rapitur; clamantem exaudit Polyphemus, qui ad eum locum, unde vox audita, accurrens, nullum Hylan offendit, regreſſus vero obviam ſit Herculi, narratque Hylan a navibus abiiſſe, neque rediiſſe. Commotus Hercules illuc tendit, & errabundus quaerit Hylan, totamque noctem in ſilvis agit. Sub diem Tiphys hortatur ſocios, ut vento ferenti utantur, qui cupide conſcenſa nave auferuntur; neque ſentiunt Herculem abeſſe, niſi cum jam illuxerat. Oritur murmur, Jaſon triſtis ſedet, nec ullum emittit verbum, ſolus Telamon erumpit in verba, & impatienter fert abſentiam Herculis, cujus impetum ſedant Aquilonis filii, & tandem, quaſi ex machina, è mari emergit Glaucus, qui jubet faceſſere deſiderium Herculis: fato enim datum eſſe, ut Hercules aberrans reliquos ex XII laboribus abſolvat, & Hylas Nymphae

jungeretur: Quid in his omnibus admodum ſuſpiciendum ſit, aut Poëtici ſpiritus non video, praeſertim ſi quis conferat Valerianam narrationem. Inducit ille Herculem comite Hyla in ſilvas abeuntem; ſed non erat is Hercules, cui caſu quodam, vel a Nympha quadam, minorum gentium Dea, malum creari poſſet. Regina Dearum Juno, quae ſemper caput ejus odiis urguebat, rata tempus nocendi, Pallada, quam ei favere ſciebat, aggreditur, & ſub titulo quodam honeſto procul ablegat. Vide quam egregie per miniſteria Dearum hic ſpiritum praecipitet Poëta; quam praeclare de Hercule fingat, quem nemo, niſi Dea, vexare audebat, quam nullam omittat Juno laedendi Herculem occaſionem. Ablegata Pallade Juno, dum quaerit rationem conſilii exequendi, non enim aperta vi Herculem aggredi ſuſtinet, videt chorum Nympharum venantium, ex quibus Dryopen, quae, Herculeo fragore percuſſa, fontem ſuum repetebat, in amorem formoſiſſimi pueri Hylae ſollicitat: cui, ut in laqueos cadat, offert & ſuſcitat cervum, qui, velut manſuetus, lento gradu ingrediens, Hylan invitat ad inſequendum, paullatimque eum ex oculis Herculis abducit, donec ad amnem Nymphae perveniens, uno ſaltu eum tranſiliens, ſpem pueri eludit. Puer, feſſus curſu, procumbit ad amnem, ut ſitim ſedet, inclinatum autem Nympha detrahit,

Her-

Hercules interim arboribus evellendis occupatus, credit Hylan alio calle reverſum, & ipſe, confecto ſibi remo, ad ſocios regreditur. Cum autem Hylan non reperiret, iterum in ſilvam revertitur, & omnem ululatu & clamoribus implet, cum interum ventis ſecundis flantibus ſocii vellent vela dare, ſed abſentem omnes Herculem lacrymis & votis repoſcunt: Juno iterum, Herculi infenſa, ventos ferentes excitat, & ne amplius moram ferrent Argonautae, efficit. Neque Tiphys, qui magiſter erat carinae, deſiſtit increpare deſidiae & ignaviae ſocios. Tot machinis expugnatus Jaſon demum ad ſocios refert, an abeundum eſſe cenſeant, an Herculis cauſa diutius morandum? Scinditur juventus variis ſtudiis, & plurimi, qui ſe Hercule non inferiores jactant, inire vias volunt. Alterius factionis Dux Telamon ſumma ope obnititur; ſed a Meleagro & reliqua multitudine victus Jaſon, tandem cogitur Hercule relicto abire. Vide, mi lector, quanto ingenio & quam felici judicio Flaccus ſuperet Apollonium, qui contra omnem veri ſpeciem Argonautas cupide Herculem deſeruiſſe fingit, Jaſonem non multum Herculis cauſſa ſollicitum, & reliqua frigide admodum & jejune exequitur. Valerii vero fictio omnibus numeris abſoluta, & Poëtica gravitate plena eſt. Jam ſi ipſos verſus Flacci ſingulis Apollonii opponere liberet, magis Latini vatis excel-

excellentia eluceret. Huic etiam adjungere poſſemus certamen Amyci & Pollucis, & oſtendere, quam miſere & inepte Apollonius in eo argumento verſetur, quam egregie autem & liberaliter Flaccus hos Athletas commiſerit, & veriſſimum Barthii judicium, quod ille ad *Stat.* VI. *Theb.* 746. tulerit, eſſe, demonſtrare poſſemus; ſed haec ſufficiant, cum majoris haec emolumenti ſint, quam ut hoc loco plenius tractari poſſint. Neque etiam, quamvis in proclivi res eſſet, cum Latinis Poëtis Lucano, Statio, Silio Italico, Claudiano, nunc Flaccum committere libet, a quibus omnibus victor abiret. Tam naturalis ubique ejus Orationis pulchritudo, tam caſtigatus ſermo, tanta gravitas & ſublimitas, ut, quod maximum eſt, omnia ſui ſeculi vitia ignoraverit & ſuperaverit. Nam non curamus paucorum iniquiora de noſtro Flacco judicia, cum nullus umquam repertus ſit ſcriptor, qui non obtrectatores ſuos repererit; & multo major turba ſit eorum, qui meritis vatem hunc laudibus extulerunt, & a Scaligeri cenſura vindicarunt; quorum judicia lector poſt praefationes collecta, perſpicere poterit. Dignus ergo erat hic vates, qui familiarior eſſet ſtudioſae juventuti, & in quo evolvendo plus laboris poneretur. Sed deterruit plurimos ab ejus lectione difficultas, quam in eo rite intelligendo plurimi deprehendiſſe ſe putabant. Multi obſcurius

ejus

Digitized by Google

ejus poëma eſſe clamant, quam ut cum voluptate & fructu perlegatur. Sed hi fere ſunt, qui nullam operam in veteris aevi monumentis accurate perſcrutandis poſuerunt, ſed levi & perfunctoria feſtinatione, cruda ſua ſtudia propellere amaverunt. Accedit alterum incommodum, quod infelicius noſter Flaccus, quam reliqui Poëtae, fatum ſit expertus: non enim quemquam inter Latinos ſcriptores exſtare puto, qui magis corruptus & a librariis excarnificatus ad manus noſtras pervenerit. Rariſſimi etiam ejus codices manu ſcripti, in bibliothecis, poſt inſtauratas literas fuere reperti, ex quibus peſſime affecto medicina adferri poſſet. Primus qui vatem noſtrum illuſtrare & emendare adgreſſus eſt, fuit Joannes Baptiſta Pius, qui ante duo fere ſecula clarum ſibi in literis noſtris nomen paravit; ſed cujus editio rariſſime in noſtris oris conſpecta, a paucis, nec ſine ſumma difficultate, parari potuit. Circa idem tempus, ſed impari ſucceſſu, AEgidius Maſerius, ſuas in Valerium annotationes edidit. Sed plurimis adhuc locis tenebrae erant offuſae, quas poſterioris ſeculi Viri docti demere tentarunt, ſed quo ſucceſſu, ex Nicolai Heinſii praefatione, cupidus Lector cognoſcet. Quae autem hodie abſolutiſſima hujus Poëtae editio vulgo habetur, eſt ea, quam Lampertus Alardus anno praeteriti ſeculi trigeſimo cum Carrionis,

Bu-

Bulaei, Weitzii & ſuis notis curavit. Sed quam parum illi viri, Carrione excepto, ad Auctorem hunc illuſtrandum, contulere, facile unicuique patebit, qui diligenti labore eos excuſſerit. Nihil enim in illorum commentariis fere deprehenditur, quam tralatitium & vulgare, & quod in Lexicis, & Antiquitatum compilationibus, ad nauſeam uſque repetitum, exſtat. Ea ſaepe magna cum ambitione coacervant, quae nemo, paullo modo humanioribus literis imbutus, ignorat, & in locos communes dilapſi, ea verba, in quibus eruditiores haerent, ſicco pede transeunt. Denique pauperem ſuam ſupellectilem furtis & plagiis auxerunt. Sed ne meum hoc judicium eſſe putes, ecce tibi Doctiſſimi Barthii verba *ad Stat.* x. *Theb.* 787. ubi agens de loco Valerii Flacci. *lib.* III. 442. haec ſcribit. *Quae ad Valerium notat nuperus Editor* (Alardum innuit) *ſunt ex Meurſii commentario ad Lycophronem. p.* 296. *Wouwerii ad Petronium. pag.* 478. *noſtris ad Claudianum. pag.* 379. *jure quidem jam plano talium Corraſorum; qui Obſervationes doctorum conſtipare, diſſimulatis, ubi videretur res facere, nominibus, id putant Philologicum eſſe, & interpretari auctores poſſe. In iſto autem, homine quanti faciendum putas, quod ait alibi,* ſe vocum emendationes aliis relinquere? *Sed quid talis aliquis audaculus magiſtellus ad tantam Poëtam? quem qui commode enarrare*

volue-

Digitized by Google

voluerit, omnem Graecam Romanamque Eloquentiam in numerato habeat oportebit. Conſtat enim Graeciſmis, & Graecorum Poëtarum expreſſionibus magna ejus pars. Et pro ſummorum Latinorum Auctorum uno, merito ſuo habebitur ſapienti. Vides Lector, quam vere de hoc hominum genere Vir ſagaciſſimus judicaverit. Non enim iis praeſidiis inſtructi erant, quae ad doctiſſimum, & ſimul tot locis male affectum, auctorem enarrandum requirebantur. Recondita etiam vatis noſtri doctrina, & non vulgaris & abſtruſa ſaepe loquendi ratio, alios interpretes deſiderabat. Hinc quoque puto Flaccum Scholaſticorum noſtratium, qui tot Auctores conſpurcarunt; manus obſcaenas evaſiſſe, cum viderent non tam levi opera hunc poſſe extrudi. Et tamen unus omnium merebatur Flaccus, qui a viro, in literis exercitatiſſimo, perpetuo & uberrimo commentario illuſtraretur, qui omnes ſalebras, in quibus hodie haeremus, demonſtraret, & ejus lectionem planiſſimam redderet. Promiſit hanc noſtro Flacco operam ſaepe in commentariis ſuis ad Statium Barthius; ſed cum infinitis aliis eruditiſſimi Viri laboribus, vel intercidit illud ſcriptum, vel a Viro occupatiſſimo elaborari nequiit. Sed ad hoc opus aggrediendum, nemo a renatis literis magis accommodatus reperiri potuiſſet, quam Vir in Poëtis utriuſque linguae verſatiſſimus, Nicolaus Heinſius, qui

tam feliciter, omnes fere, quos Latium nobis tranſmiſit, explanavit. Jam Adoleſcens hunc ſibi, lectione identidem repetita, perquam familiarem reddiderat, nec eorum morem ſecutus erat, qui tum demum ad ſcriptorem quemdam animum appellunt, cum vident Typographis in mentem venire, typis eum deſcribere. Sunt enim hodie venales quaedam ſemi literatorum animae, quae operam ſuam Typographis pro foliorum numero addicentes, omnibus ſcriptoribus, qui recuduntur, manus ſuas admovent. Quos inutili farragine annotationum, undique corraſarum, omnis artis criticae ignari, onerant, & ſaepe, ut pueros & imperitos fallant Iconum & Numiſmatum lenocinio exornant, & ita orbi obtrudunt. Alia erat ratio viri Nobiliſſimi, qui a pueritia ſeveriſſimae diſciplinae innutritus, deinde per varia itinera, ea conquiſierat ex manuſcriptis praeſidia, quibus munitus hanc provinciam rite adminiſtrare poſſet. Sed infelici furto, per Lavernam rapacem, omnibus, quae collegerat, ablatis, videbatur omnis ejus Viri labor intercidiſſe, ni extremis vitae annis, aliunde iterum comparatis ſubſidiis, intermiſſam curam reſumſiſſet. Sed nihil tamen dum vixit, praeter nuda Poëtae verba, nobis exhibuit, annotationes autem magis poliendas & augendas ſibi reſervavit, ut ex ejus praefatione diſcere quivis poteſt. Credibile eſt,

Digitized by Google

ſi longior lucis uſura Viro excellentiſſimo contigiſſet, illum labores ſuos in noſtrum Poëtam fuiſſe aucturum. Sed brevi ſecuta mors hujus, ut & aliarum commentationum, fructu nos fraudavit. Ipſa quidem editio, quae anno octuagesimo Amſtelodami prodiit, multis partibus emendatior eſt omnibus, quae eam praeceſſerunt, ſed tamen fatendum eſt, eam tam negligenter ab operis Typographorum fuiſſe habitam, ut vix una pagina ſine quadam menda exhibeatur. Hanc tamen nos in hac iterata editione, emendatis librariorum lapſibus, expreſſimus, niſi quod aliquando ab ea receſſerimus, ſecuti codicem ipſius Heinſii, in cujus margine ea adnotaverat, quae in altera editione aliter legi voluiſſet, ſi ipſi per longiorem vitam licuiſſet. Hinc etiam Lector, diverſam a communi Ortographiae rationem in hac editione deprehendet, quam Nobiliſſimus Vir ſibi, ex multo uſu antiquiſſimorum codicum, perſuaſerat olim magis obtinuiſſe; neque nos, cum Valerium ab Heinſio emendatum in lucem emittimus, aliquid mutare voluimus, quamuis non in omnibus Viri Eruditiſſimi ſententiae accedamus, & quaſdam vocum literas aliter effingendas eſſe credamus. Adnotationes autem, quas ſubjecimus, ut & alia, quae jam olim produxi, debes, Amice Lector, Heinſianis Haeredibus. Inter quos Frater, mihi ſummo amore conjunctiſſimus,

mus, Vir Ampl. Carolus Crucius eſt, qui egregia humanitate Heinſiana mihi ſcrinia recluſit. Notior eſt Heinſii eruditio, & exactiſſimum judicium, quo inſtructus ad emendandos Poëtas veteres acceſſit, quam ut vobis commendari a me ſit neceſſe. Incredibilis ejus depraedicanda induſtria, qua per totius Europae bibliothecas pervagatus, codices manu exaratos ad editos contulerit, & excerptorum tantam ſibi copiam comparaverit, ut nullus fere Linguae Latinae auctor exſtet, ad quem non ſymbolam conferre potuerit. Huic Theſauro digerendo, & inſtruendo, ultimis vitae annis, quos otio & quieti literariae conſecraverat, vacabat; ſed omnia abſolvendi facultatem immaturum fatum praecidit. Quocirca, licet ultima manus pleriſque ejus lucubrationibus non ſit impoſita, cupide tamen Viri, harum rerum non rudes, quin recepturi ſint has reliquias minime dubito. Sed immenſa tamen jactura, quam ex praecipuo Heinſiano labore deperdito fecit res literaria, omnes commovebit, ubi in his, ut & in aliis, adnotationibus, toties mentionem commentarii Virgiliani factam viderint. Quo abierit illud egregium ſcriptum ne divinando quidem Haeredes, & defuncti Heinſii amici exputare poſſunt. Certe ſtatim poſt ejus fatum a nullo conſpectum, neque hodie, etſi diligentiſſime omnia ſcrinia excuſſa fuerint,

reper-

Digitized by Google

repertum fuit. Si forte in rapaces manus pervenerit, vel in tenebris occluſus lateat hic Theſaurus, publice omnes, per ſacra Muſarum rogamus, ne patiantur egregium & eruditiſſimum Poëtam, diutius Soſpitatorem ſuum requirere. Nos, ſi Deus vires & otium ſufficiat, ea, quae ex Heinſianis ſcriptis cum publico communicari poſſunt, non prememus, ſed ſubinde aliquid, quod ad literas ornandas facere poſſit, ex Theſauris illis proferre ſtudebimus. Vale, & paucos, qui irrepſerunt, operarum lapſus ſic emenda.

LIB. II. verſ. 243. *ora feram.* leg. *ora feram.* verſ. 434. *hunc.* leg. *hanc.*

Lib. III. verſ. 8. *AEſonide.* leg. *AEſonidae.* verſ. 167. *Ichon.* leg. *Ichnon.* verſ. 262. *illum.* leg. *illi.* verſ. 332. *undatis.* leg. *nudatis.*

Lib. IV. verſ. 732. *litore.* leg. *litora.*

Lib. V. verſ. 48. *quis quam.* leg. *quis jam.*

Lib. VI. verſ. 102. *Tatas.* leg. *Taras.* verſ. 348. poſt *ruentem*, tolle diſtinctionem. verſ. 382. *carens.* leg. *cadens.*

Lib. VII. verſ. 55. *meos.* leg. *meus.* verſ. 226. *ut,* leg. *ut jam.* verſ. 246. *ſui.* leg. *ſui.*

NICO-

NICOLAUS HEINSIUS DAN. FIL.

LECTORI

SAL. D.

Inter ſcriptores Romanos, qui poëſin epicam lucubrationibus ſuis inſignitam jam olim reddiderunt, (de his loquor, quos majori ex parte ſalvos ad poſteritatem perveniſſe, antiquitatis tanto in naufragio, litterariae rei gratulamur) haud quiſquam nobis occurrit, quem C. Valerio Flacco jure praeferamus, poſt verè divinum & majorem comparatione omni Maronem Virgilium. Tam concinna omnia ac caſtigata enitent; tantum artis, ingenii, doctrinae, tantum orationis citra tumorem clementer exſurgentis candidaeque ac argumento ſuo paris illic renidet paſſim, ut ipſo carminis ſucceſſu ſumma conſecutus videatur, & reliquis omnibus praeripuiſſe palmam facile ſit arbitrandus. De cujus tamen meritiſſimis laudibus non eſt quod plura nunc à me congerantur, cum ſcriptor plane eximius majorem aliquanto requirat curam, ſi pro dignitate ſit laudandus. Hunc ego perquam familiarem, lectione identidem repetita, cum jam olim adoleſcens mihi red-

didiſ-

Digitized by Google

didiſſem, nec multo poſt, dum peregrinor per Italiam, atque in Urbe bibliothecam perluſtro Vaticanam, cum in membranas Argonautici hujus operis incidiſſem pervetuſtas; eas mihi haud negligenter excutiendas propoſui, minime ignarus, praeter unicum volumen notae praeſtantiſſimae, Ludovico Carrioni apud Agrippinates, ut reor, pridem oblatum, alios poëtae noſtri codices ab aetate commendandos vix uſquam eſſe hactenus repertos. Quo deſunctus labore, quamquam id ipſum exemplar jam ante Johannis Baptiſtae Pii uſibus patuiſſe cognoſcebam, cujus haud inſcitae in Flaccum Valerium commentationes publice circumferuntur, (conſentit nempe in omnibus cum hoc ipſo libro, quem ille ex ultimis allatum Germaniis, & exoleſcentibus jam ferme literis ſcriptum, vetuſtiſſimumque, ac ipſa antiquitate conſecratum praeſto ſibi fuiſſe adfirmat: inveni tamen ibidem nonnulla, nec ipſi Pio ſatis explorata, quorum operâ meliorem hic illic caſtigatioremque poſſe confieri ſcriptorem praeclarum quod comperiſſem, dum è depravata ſcriptura haud magno equidem negotio, & ſaepe literae unius alteriuſque levi immutatione ſententiam auctori genuinam ſuamque mentem locis compluribus eo reſtitutum) de meis hiſce in illum qualibuſcumque adnotatis luci publicae permittendis coepi cogitare; cujus tamen conſilii rationem à mala manu nequiter interpellatam non multo poſt indigne tuli, ablatis furto per Lavernam

** rapa-

rapacem neſcio quam iis omnibus, quae inſtituto huic utcumque factura in unum collegeram. At verò peropportune poſt annorum complurium decurſum evenit, ut Vir ornatiſſimus uſuque plurimo artae neceſſitudinis mihi conjunctus Lucas Langermannus, ut eſt animo ad incrementum rei literariae promovendum mirifice facto, non modo offerret mihi perquam officioſum in modum enotatam ab ſe ex eodem Vaticano codice omnem ſcripturae veteris diſcrepantiam, ſed è trinis praeterea bibliothecae ejuſdem exemplaribus, etſi manum multo recentiorem praeſerentibus, quicquid à vulgatis libris abire in diverſum comperiſſet, traderet perpendendum. Effecit ea res, ut intermiſſam de Flacco recognoſcendo cogitationem animo rurſus agitarim, oblato praeſertim Holmiae Suecorum è Regia bibliotheca poëtae hujus codice, ut parum antiquo illo, ſic erudita, & quidem Pomponii Laeti manu, niſi conjectura me fallit, deſcripto, cui fragmenta Feſti Pompeji, ſic uti curâ Antonii Auguſtini Fulviique Urſini, clariſſimorum in re litteraria virorum, poſt prodiere, eadem Pomponii manu exarata accedebant. Nam volumine altero, itidem chartaceo, & tres priores Argonauticon libros cum parte quarti complexo, quod Oxoniae in Collegio Reginenſi adſervatur, jam olim inter ipſa ſtudiorum tirocinia apud Britannos fueram uſus. Advocavi praeter haec adminicula in partem nonnullas typis chalcographicis deſcriptas editiones,

nes, Aldinam praeſertim, ſed cui in plerisque tuto parum credatur: quod hunc, quicumque tandem is edendi codicis curam habuit, longe plus ingenio ſuo ac conjectandi praepoſterae libidini, quam libris manu exaratis, detuliſſe non paucis argumentis ſim edoctus. In plerisque tamen huic exemplari adſenſum praebet liber calamo exaratus, qui pridem in Erſurtana bibliotheca exſtabat, & quem non uno loco teſtem advocat in Criticis Periculis Piccartus; unde planum fit ac manifeſtum, fuiſſe notae illum haudquaquam vetuſtae. Atque utinam Janus ille Parrhaſius, vir inter aetatis ſuae literatiſſimos jure meritoque numerandus, commentarium, quem Flacco noſtro Valerio illuſtrando adornabat, quique Neapoli etiamnum ad D. Johannis Carbonarii fertur exſtare, in bonum commune luci permiſiſſet. Poteramus certe poſt hanc operam tam exquiſitam lucubrationibus AEgidii Maſerii tralatitiis, & illius, quem dicebam modo, Johannis Baptiſtae Pii caruiſſe multa ſine ſtudiorum jactura. Johannes Baptiſta quoque Egnatius perhibetur jam olim, & noſtro ſaeculo Michaël Piccartus pares in Flaccum hunc noſtrum commentarios meditati, ſed qui una cum ipſis auctoribus pridem interciderunt. Ex hisce vero, quorum opera Flacco laudabilem in modum navata circumfertur publice, commendandus praeſertim venit Ludovicus Carrion, non ſine ingenti felicitate nactus codicem veterrimum optimumque, cujus

 prae-

praeſidio naevos plurimos, & quidem inveteratos, noſtro poëtae deterſit. Nam quamquam plus aequo membranis interdum hiſce confiſus ſcripturam vulgata deteriorem eſt amplexatus, (neque enim volumen ex antiquis ullum tam fidum tamque omni emendatum ex parte facile invenias, cui ſecure concredatur ubicumque) vel id ob unum tamen res illi literaria haud parum referat acceptum oportet, quod codicem tam eximiae vetuſtatis a blattis tineiſque liberali manu vindicavit, nec delitere aut omnino interire paſſus eſt. Ceterum ut de me quoque nonnihil ſuperaddam, deſcripto jam typis Valerii noſtri hoc contextu, locis à me perquam multis recenſito ac correcto, cum caſtigationes meas bibliopola jamjam praelo typographico eſſet commiſſurus, ſupervenerunt luctuoſa reipublicae ac mihi privatim tempora, praeter typographi ipſius è vivis exceſſum, quae libellum editioni paratum ut differrem nonnihil ac ſupprimerem pervicerunt, dum profligata ſolidum tandem in modum nube bellica animo nobis deſaecatiore, & valetudine, quam ſatis infeſtam ex illo ſum expertus, magis confirmata ad haec ſtudia commodum daretur reverti. Porro mirari ſubiit quandoque, quo demum conſilio Flaccus hic Valerius Argonautica ſibi ſcribenda propoſuerit poſt Atacinum Varronem, quem dexterrime me hercules pari in argumento fuiſſe jam ante verſatum, conſpirante antiquitatis univerſae ſuffragio, habemus exploratum. At vero quicquid

eſt

Digitized by Google

eſt hujuſce Gordii nodi, id Probus jam Valerius diſſolutum omne voluit ſuis in Maronis Georgicon libros, ſi tamen illa Probi ipſius ſunt, commentariis: è quibus docemur, Varronem id opus omne libris quaternis abſolviſſe, ad exemplum Apollonii, quem Rhodium vocant, videlicet. Locus exſtat ad librum II. verſu CXXVI. Pars Parthorum Media appellata eſt à Medo filio Medeae & AEgei, ut exiſtimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit. *Breviter is ergo libris quatuor idem argumentum erat perſecutus, quod noſter, quantum ex iis, quae adhuc ſuperſunt, colligi datur, duodenis, aut ut minimum decem voluminibus complectendum ſibi propoſuerat. Neque enim, niſi multum temerarius, quis adſeverarit, morte praeventum Flaccum ſupremam poëmati manum haud admoviſſe, quando id opus longae aetatis injuria mutilatum, ut nunc eſt, ad nos potuit pervenire. Nam quod è Quinctiliani verbis de eo volunt abunde conſtare, cum* multum nuper amiſſum morte Valerii Flacci *teſtetur Oratoriis in Inſtitutionibus, me non habent, fateor, huic ſententiae ſuffragatorem. Potuit enim Flaccus aliis elucubrandis poſt confectum hoc opus incubuiſſe, quae Quinctilianus reſpexerit nobis ignota. Etſi potius eſt, ut taedium laboris ſubrepſiſſe librario credam, ne reliqua deſcriberet, aut codicem ſive Gothica direptione, ſive alio quo caſu ad poſteros mutilatum eſſe tranſmiſſum. Quae clades Papinianam*

quoque Achilleida & raptum Proſerpinae Claudianum graviter videtur adflixiſſe. Certe in ſeptimi atque octavi libri Valeriani ultimis plus multo mendarum occurrit, quam in reliquis: unde de oſcitantia librarii ac ſupinitate, paullatim magis ac magis labori ſuccreſcente, ſuſpicari nobis dabatur. Quippe cum nec Abſyrti mortem, nec illa, quae Argonauticis exinde complura in reditu obtigerunt, enarret, minimum abeſt, quin operis totius tertiam, quartam certe partem deſiderari opiner. Vale, mi Lector, tantiſper dum Adnotata noſtra juris fiunt publici.

TESTI-

Digitized by Google

TESTIMONIA
DE
VALERIO FLACCO.

Fab. Quintil. Inſtit. Orat. lib. x. *c.* 1.

Multum in Valerio Flacco nuper amiſimus.

Guil. Canterus.

Valerius Flaccus ad oſtendendam arboris proceritatem alia ratione uſus, admirabile ingenium ſuum oſtendit.

Johan. Baptiſta Pius Annotat. poſt. c. 102.

IN Valerio Flacco multum amiſimus praepropera monte ſublato, Quintilianus vere dixit. Quod niſi fata mala & nigrae orci tenebrae praeripuiſſent hunc, tanquam vitim creſcentibus uvis, haberet Roma, quod ſuperbae Graeciae, & in laudes ſuas effuſiſſimae, poſſet objicere. Et ſic habet: Quemadmodum enim unio brevi corpuſculo, ſed pretioſo, magnis praeſtat arenoſiſque lapillis, non ſecus puſillum aurum Flacci, magno Apollonii praeſtat orichalcho.

Jacobus Nicol. Loenſis.

Magna in Valerió Poëticae vis ac facultas, adhaec electorum verborum pulcherrimus fluxus, quae omnia cohibitiora & caſtigatiora feciſſet, niſi Parcae nimis praepropere immatureque vitam abrupiſſent. Qua ex re liquet teſtimonium illud verum eſſe, quod Fab. Quintil. nobis de hoc Poëta reliquit: *In eo juvene morte ſublato multum nos amiſimus.*

Johan Scoppa.

Valerius Flaccus eximius Poëta, quamvis nonnullis in locis mendoſus legatur.

Digitized by Google

Ludovic. Carrio.

Judicium de Valerio Doctorum tam honorificum eſt, ut non defuerint acerrimo judicio homines, qui hunc etiam Graecis illis, Apollonio, Orpheo ingenii felicitate longe putarint praeponendum.

Jul. Caeſar Scaliger lib. 5. cap. 6. Poët.

Orpheus aptius canit apud Flaccum Minyas & Phryxum & Athamantem, quam apud Apollonium terrae coelique creationem. Quid enim viris militaribus, cum Philoſophorum umbris? Initium quoque operis Flacco gravius atque numeroſius, tametſi quantum probemus, in ſequenti libro ſatis eſt declaratum. Toto etiam opere, quanquam eſt ille noſtra inferior exſpectatione, ſplendidior eſt Apollonio. Chironis autem & Pelei adfectus infantiſque ingenium longe felicius deſcribit.

Jamque aderat ſummo decurrens vertere Chiron, & porro. Flacci tempeſtatem mox cum Virgiliana & aliis comparabimus: ad cujus tamen vel nitorem, vel efficaciam minime adſpirat illa Argo apud Apollonium. *Porro*: Jaſonis oratio ad AEëten longe eſt luculentiſſima, atque artis plena.

Jul. Caeſar Scaliger in Hypercritico.

Valerius Flaccus excuſatione dignus eſt. Cujus cum eſſet ingenium felix, judicium magnum, diligentia non vulgaris; immatura morte praeventus acerbum item poëma ſuum nobis reliquit. Eſt autem omnino duriuſculus: penitus vero nudus Gratiarum comitate.

Caſpar Barthius 1. Adv. c. 17.

Valerium Flaccum majoris pretii Poëtam, quam quis praeteriens cenſeat, eſſe, vel ignoratio ejus apud vulgum nobis perſuadet: Eſt enim omnium veterum minime tritus manibus Scholaſticorum, quod genus velut ab eo abhorret, qui duriuſculus cenſeatur, & minus gratiarum amans: ſed nos quidvis potius, quam abſurdum cenſemus.

Idem.

Digitized by Google

Idem lib. V. *c.* 11.

Valer. Flaccus caſtigatior alioquin Poëta, quam quiſquam credat.

Lib. 18. *c.* 15.

Valer. Flaccus, Poëta nobiliſſimus & Romanae Muſae genuinus. Praeſtantiſſimus Poëta.

Lib. 14. *c.* 6.

Ego ſane Valerium legens, decorum acutumque Epos, nec adfectatam grandiloquentiam, ſed gravitatem animi agnoſco.

Lib. 26. *c.* 3.

Pluris omnino faciendum ego reor in numero Latinorum poëtarum Valerium Flaccum, quam vulgo faciunt, immo non vulgo etiam eruditi. Sonus, Spiritus, Eruditio, Gravitas, in eo ſunt inſignes.

Lib. 27. *c.* 3.

Eloquens & doctus Poëta.

Lib. 33. *c.* 3.

Qui profecto melior longe Poëta eſt, quam plerique alii Latini; qui in auribus vulgi regnum tenent.

Idem lib. 43. *Adv. c.* 5.

Idem judicandum cenſeo & de aliis Poëtis, minus vulgo protritis, praecipue de Valerio Flacco non paulo majoris momenti vate, quam cenſuerunt etiam Litterati noſtri judices, genus hominum alioquin ſagaciſſimum, & quos tamdiu ab inquiſitione in hunc auctorem penetrantiore abſtinuiſſe valde mihi mirum. Quod ſi necdum aliquis acutiorum hanc ſibi provinciam ſumendam arbitrabitur, nos demum ei operi accingemur.

Lib. 48. *c.* 16.

Valerium Flaccum nemo ſcriptor nominavit tanto ingenio, tanta eloquentia Poëtam, praeter Quintilianum.

Lib. 53. *c.* 1.

Poëta eruditiſſimus, ſcriptor doctiſſimus, & ingenii minime vulgaris.

Digitized by Google

Idem 56. Adv. c. 11.

Valerio Flacco, ſpiritu, gravitate, numeris & orationis aequalitate nemo poſt Auguſti principatum ſcriptor prior exſtat: medius enim inter illum tumorem & argutam jejunitatem, ingreditur nobili animo, nobili ſermone: ut magnopere mirer poſſe eſſe, qui non ſummis auctoribus Latii eum adſcribant, qui unam ſolummodo ejus paginam legerint. Quod ſi Lucano & Papinio componere tantum ſcriptorem volueris, facile videbis quid illis ſuperſit, quid huic non deſit, ut conſtituatur ex tribus illis Princeps, poſt Maronem, Heroici operis & carminis in Poëſi Latina.

Idem. ad Stat. 1. Theb. 495.

Valerius Flaccus medius inter Maronem & Papinium, ſi manum ultimam operi dare potuiſſet. *Idem repetit fere. ad* V. *Theb.* 735.

Idem ad 11. *Theb.* 92.

Val. Flaccus ſcriptor mihi unice carus ob inaffectatam, genuinam, Romanam dictionis majeſtatem, a qua in tranſlationes peregrinas ſingulis paginis aufertur Papinius.... Sane ego eum auctorem Argonautica ſcribentem legere malo, quam vel Ovidium, vel Papinium: quorum ille tenuem materiem laſcivia utique violaſſet aut depudicaſſet, hic magniloquentia contriviſſet.

Idem ad II. Theb. 209.

Poſtquam Famae deſcriptionem, a Valerio lib. 11. *conſignatam, retuliſſet, ſubdit.* Quae cum ſequentibus ſi apud Maronem legerentur, ſane per multa jam ſecula adorabilia fuiſſent, nunc inanibus paedagogis aliter viſum diu fuit. Noſtrum aevum incipit de tanto auctore paullo melius ſentire. Sed ſuccedent vere docti cordatique homines, qui abſolutam auctoritatem ei dabunt: non enim *reſtituent* licet dicere. Cum Romano aevo omnino non interfuerit Valerius, noſtri nimirum judicio reſervatus. Primus Angelus Politianus Vir maximus

mus vexillum velut ad protrahendum erexit, licet ante eum non nemini innotuerit. Certe Pomponius Sabinus, Virgilii interpres, eum non ſemel citat in teſtimonium. Priores tres Argonauticon libros, cum dimidio quarto in Sangallenſi caenobio reperiſſe jam dum Poggium, conſtat ex codice egregii Viri Laurentii Pignorii, cujus ſubſcriptionem manu Poggii recenſet vir ſummus Ger. Voſſius.

Idem ibid. v. 255.

DE *loco lib.* VIII. 6. Nihil miſerabile majoribus gratiis umquam dictum legimus, quas qui demunt huic Poëtae, utinam in ſe non re ipſa majores eſſe putaviſſent. *Vide & ſequentia.*

Idem ad lib. IV. *Theb.* 84.

Latinitatis Maronianae egregius cuſtos.

Ibidem. v. 485.

Quo loco (I. 775.) quae ſequuntur Dirae & imprecationes, eloquentiam illius egregii Poëtae docent, nulli toto Latio ſecundam, nitidiorem longe Papiniana.

Idem. ad lib. V. *Theb.* 30.

DE Furiis immiſſis late Valer. Flaccus, qui vel ea deſcriptione ſe ſummis proximum Poëtam conſtituit.

Ibid. v. 50.

Valer. Flaccus rem Poëtica venuſtate ex fundamine ipſo narrat, nec ſine gratiis, quas illi vir ſummus Jul. Caeſar Scaliger fruſtra adimit. Tu, ſi Romani oris hominem penitius videre cupis, compara cum eo ejuſdem ſeculi alios, Lucanum puta aut Papinium: videbis quanta comitate Valerius tumentes illas figuras, & ſermonis horrorem ob grandiloquentiam affectatam, Veneri & Charitibus minime commendabiles, ſpernat, & numeris atque elocutione dignitatem egregii, nec tamen efferi Poëtae, ſervet.

Ibid.

Ibid. v. 65.

Valerius Flaccus Venerem in Furiam furentem egregie repraeſentat, cujus verba libenter ponimus, ut excutiantur juventuti faſtidia ejus optimi Poëtae, de quo perperam viri magni judicarunt, *& ſeqq.*

Ibid. 99.

Revera Flaccus magis Poëtice per fabularum tormenta praecipitat ſpiritum Poëticum, ſecundum praeceptum Petronii.

Idem. ad lib. VIII. *Theb.* 212.

Numeroſis & optimis verſibus Val. Flaccus, qui ſane Graecis nihil deberet, ſi ultimam manum ſuo operi imponere potuiſſet.

Idem. ad I. *Achilleid.* 191.

Libentiſſime hujus egregii Poëtae teſtimoniis utor, ut quem neglectum, & inſuper injuriis adfectum ab aliis, a prima uſque pueritia dilexerim. Cujus affectus memoria undique per libros noſtros ſervata eſt hactenus, & nos ad ipſum totum demerendum alicujus (forte unius aut duorum) menſis opera deligabit.

Obertus Giphanius in Indice Lucretiano.

Elegans ac doctus Poëta Valerius Flaccus pag. 401.

Locus docti Poetae pag. 415.

Doctiſſimus Poëta pag. 479.

Andreas Schottus lib. 2. *Obſerv. c.* 39.

Valérius Flaccús nobilis Poëta.

Ibid. c. 54.

Poëta è Graeco Apollonio & Orpheo, quantus eſt, concinnatus.

Ibid. c. 56.

Argonautarum ad aureum vellus è Colchide advehendum jucunda lectu expeditio, conficta primum quidem a Graecis Poëtis Orpheo & Apollonio Rhodio, qui quidem nunc in manibus ſint;

poſteà

poſtea vero à Latinis, poſt Varronem Atacinum, heroico carmine pariter tractata a Valerio Flacco Balbo.

Ægid. Maſerius in Comment. ad lib. 1. v. 218.

S*ubita cum pulcher arundine crines Velat Hylas?* Ex hoc (inquit) Mopſi vaticinio facile cognoſcimus, Poëtam liquiſſe opus imperfectum. Ea namque vates depromit, quae Valerius eſſet deſcripturus, ſed nec Medeae fugam, nec liberorum caedem, Creuſaeve exitium fato interceptus expreſſit.

Petrus Crinitiis lib. 4. de Poëtis Latinis c. 68.

Cajus Valerius Flaccus Setinus, inter eos, qui heroica decantarunt, Poëta multorum judicio adorandus. Patavinus fuit juxta Aponum natus, ut a veteribus traditum eſt, qui ſcribunt ejus patriam fuiſſe maxime inſignem natalibus Livii, Stellae, & Val. Flacci. Itaque hunc ipſum Val. Martialis laris Antenorei alumnum appellavit. Alii Setinum crediderunt ex Setia, Campaniae urbe, quae haut procul a Velitris fuit: unde in magno pretio habita ſunt Setina vina. Et mirum videri debet, quanto ſpiritu Flaccus inſurgat, quantaque ingenii felicitate in ſcribendo carmine praeſtet. Hic eſt ille Val. Flaccus, in cujus obitu multum fuiſſe amiſſum, queritur Fab. Quintilianus. Extant ipſius octo volumina de Argonauticis, quod opus dedicatum eſt Caeſari Domitiano, vel, ut alii volunt, patri Veſpaſiano, quoniam ſic ad eum ſcribat in ipſa praefatione operis: (v. 10.) *Eripe me populis, &c.* Scripturus erat multos plures libros, niſi mors intempeſtiva eum nobis eripuiſſet. Videtur autem in illis, qui ſuperſunt, Apollonium Rhodium non tantum argumento operis expreſſiſſe, ſed etiam ſingulis quandoque carminibus.

Idem lib. 23. de hon. diſciplin. c. 7.

Valerium Flaccum (inquit Marullus) & Lucanum concitatos eſſe, ſed audaciores interdum, quam graviores.

Ber-

TESTIMONIA

Bernardin. Scardeonius de Urbe Patavii lib. I. *claſſ.* III. *pag.* 55.

Flaccus inter eos Poëtas, qui Heroica decantaverunt, fuit judicio omnium admirandus; ſi ſpectes quanto is ſpiritu, & quanta felicitate in ſcribendo carmine caeteris praeſtet. Hic eſt Flaccus, cujus praematurum obitum dolet Quintilianus lib. x. ubi claros oratores commemorat dicens. *Multum nuper in Flacco amiſimus.* Hunc ergo futurum magnum etiam oratorem, ne dum Poëtam illuſtrem Quintilianus haud falſo conjecerat. De hoc Valerio Flacco, Tortelius ingenii aeſtimator eximius, ubi de Argonautis ſcribit, ita honorificentiſſime loquitur. Clariſſimus ille Poëta Valerius Flaccus divino carmine rem omnem Argonautarum explicuit. Exſtant autem illius praeclari operis libri octo ad reditum uſque Heroum: reliquis vero, vel amiſſi caſu, ut multis accidit, vel Poëtae morte intercepti ſunt. Scripturus erat multo plures libros, & majora poëmata, niſi mors intempeſtiua illum nobis eripuiſſet. Videtur autem in his, quae ſcripſit, Apollonium Rhodium non tantummodo argumento operis: verum ipſis etiam carminibus expreſſiſſe. Opus ſuum alii conjiciunt dedicatum fuiſſe Domitiano Caeſari: alii vero Veſpaſiano Patri, cum in praefatione ipſius operis dicat.

Eripe me populis, & habenti nubila terrae
Sancte Pater.

Conſtat mediocri cenſu, ac tenui patrimonio fuiſſe, & Romae praediolum ſuburbanum exiguum poſſediſſe: in quo Muſarum curas deponere ſolitus fuerat. Huic puer maxime gratus fuit, qui Amazonius dicebatur: hujus formam & indolem atque venuſtatem laudat Martialis eleganti epigrammate. Amicos habuit multos, ſed, praecipuos Stellam Conterraneum, & Julium Secundum, & Maternum & Quintilianum. Martialem

vero

vero prae caeteris conjunctiſſimum, & intimum, ut ex plurimis ejus epigrammatis plane conſtat.

Olaus Borrichius de Poëtis.

C. Valerius Flaccus Campanus, imperante Domitiano clarus, Argonautica libris VIII. perſecutus eſt Orpheos & Apollonii exemplo. Dolet Fabio, quod immatura morte interceptus nequierit affectum opus deducere ad umbilicos. Agnoſcimus ſane felicem in illo, licet nondum exaſciato, calorem, impetus Poëticos hinc inde generoſos, judicium plerumque ſubactum, dictionem ſic ſatis floridam, ſed aliquanto inaequalem & duriuſculam, quam emolliiſſet dubio procul, ſi productius ei contigiſſet aevum.

Octavius Ferrarius Proluſione XVI.

Valerius Flaccus carminum majeſtate Heroes, quos cecinit, aequat: eum laudibus cumulat Martialis, immaturum fatum deflet Quintilianus, multumque illius interitu Romanas literas amiſiſſe, rigidus alioquin Cenſor queritur.

Patavii in Praetorio ſub Imagine C. Valerii Flacci haec legi teſtatur Nathan Chytraeus, in Deliciis Itinerum in Europa. p. 146.

C. Valerius Flaccus Patavinus, carmine Heroico, labores Argonautarum decantavit, quod opus fato praeventus imperfectum inemendatumque reliquit, cum ſui magno deſiderio illorum temporum ſtudioſis, imo vel teſtimonio Fabii Quintiliani, conquerentis *nuper in Valerio Flacco multum amiſſum eſſe.* Nec tacuit M. Valerius Martialis, Tellurem Aponam non minus gaudere Stella & Flacco, quam ſuo Livio. Ad quem etiam ſcribens, alumnum & ſpem Laris Antenorei eum appellat. Floruit ſub Veſpaſiano & Tito, pervenit & ad imperium Domitiani, eo genere carminis, aetatis ſuae nemini ſecundus.

Digitized by Google

IN VALERII FLACCI ARGONAUTICA,

A Viro Clariſſimo

PETRO BURMANNO.

EDITA.

Petre, tui ſpes prima, tui ſpes maxima Patris,
Ut laudo fortunas tuas!
Totus es in ſtudiis, aut doctos inter amicos
Vitam beatus tranſigis:
Aut inter thalami conſortem, & pignora lecti,
Noctem diemque dividis:
Aut in rure ſuburbano, dulci abditus horto;
Praetoriove proximo,
Qua formoſa domus, qua villa Hemſtedia laeto
Aſſurgit in coelum ſolo,
Umbroſas inter frondes, undaſque ſonantes,
Jucunda ducis tempora.
Pluribus interea, namque iſta potiſſima cura eſt,
Tu ſaeculum libris beas.
Jamque domo egreditur, qui foetam pube Pelaſga
Deduxit in Colchis ratem.
Prodi Flacce, brevi lucem viſure ſerenam,
Splendorem adeptus priſtinum.
Dextera opem medicam tibi contulit Heinſia; vitam
Burmanniana dat manus.

PETRUS FRANCIUS.

Digitized by Google

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON

LIBER PRIMUS.

Prima deûm magnis canimus freta pervia natis,
Fatidicamque ratem; Scythici quae Phaſidis oras
Auſa ſequi, medioſque inter juga concita curſus
Rumpere, flammifero tandem conſedit Olympo.
Phoebe, mone; ſi Cymaeae mihi conſcia vatis
Stat caſta cortina domo; ſi laurea digna
Fronte viret. Tuque o, pelagi cui major aperti
Fama, Caledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iülos,
Eripe me populis & habenti nubila terrae,
Sancte pater; veterumque fave veneranda canenti
Facta virûm. verſam proles tua pandet Idumen
(Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.
Ille tibi cultuſque deûm, delubraque genti
Inſtituet; cum jam genitor lucebis ab omni
Parte poli. neque enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris:
Seu tu ſigna dabis, ſeu te duce Graecia mittet
Et Sidon Nilusque rates. nunc noſtra ſerenus
Orſa juves; haec ut Latias vox inpleat urbes.
Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis,

Jam gravis & longus populis metus: illius amnes,
Ionium quicumque petunt:ille Othryn & Haemum,
Atque imum felix verſabat vomere Olympum.
Sed non ulla quies animo fratriſque paventi
Progeniem divûmque minas: hunc nam fore regi
Exitio vateſque canunt, pecudumque per aras
Terrifici monitus iterant: ſuper ipſius ingens
Inſtat fama viri, virtuſque haud laeta tyranno.
Ergo anteire metus, juvenemque exſtinguere pergit
Aeſonium; letique vias ac tempora verſat.
Sed neque bella videt, Grajas neque monſtra per urbes
Ulla. Cleonaeo jam tempora cluſus hiatu
Alcides: olim Lernae defenſus ab angue
Arcas; & ambobus jam cornua fracta juvencis.
Ira maris, vaſtique placent diſcrimina ponti.
Cum juvenem, tranquilla tuens, nec fronte timendus,
Occupat; & fictis dat vultum & pondera dictis:
Hanc mihi militiam, veterum quae pulchrior actis,
Adnue; daque animum. noſtri de ſanguine Phrixus
Cretheos ut patrias, audiſti, effugerit aras.
Hunc ferus Aeetes, Scythiam Phaſinque rigentem
Qui colit, (heu magni Solis pudor!) hoſpita vina
Inter, & attonitae mactat ſollemnia menſae,
Nil noſtri divûmque memor. non nuntia tantum
Fama refert. ipſum juvenem tam ſaeva gementem,
Ipſum ego, cum ſerus feſſos ſopor alligat artus,
Aſpicio: meque aſſiduis lacera illius umbra
Queſtibus, & magni numen maris excitat Helle.
Si mihi, quae quondam, vires; vel pendere poenas
Colchida jam, & regis caput hic atque arma videres.
Olim annis ille ardor hebet: necdum mea proles
Imperio & belli rebus matura marique.
Tu, cui jam curaeque vigent, animique viriles,
I decus: & pecoris Nephelaei vellera Grajo
Redde tholo; ac tantis temet dignare periclis.
Talibus hortatur juvenem, propiorque jubenti
Conticuit, certus Scythico concurrere ponto
Cyaneas: tantoque ſilet poſſeſſa dracone

Digitized by Google

Vellera; multifidas regis quem filia linguas
Vibrantem ex adytis cantu dapibuſque vocabat,
Et dabat heſterno liventia mella veneno.
Mox taciti patuere doli, nec vellera curae
Eſſe viro; ſed ſeſe odiis inmania cogi
In freta: qua juſſos ſic tandem quaerere Colchos
Arte queat. nunc aërii plantaria vellet
Perſeos, aut curru ſaevos frenaſſe dracones,
Creditae ut ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flava quercum damnavit ariſta.
Heu quid agat? populumne levem, veterique tyranno
Infenſum, atque olim miſerantes Aeſona patres
Advocet? an ſocia Junone & Pallade fretus
Armiſona, ſuperet magis & freta juſſa capeſſat?
Si qua operis tanti domito conſurgere ponto
Fama queat. tu ſola animos mentemque peruris,
Gloria: te viridem videt inmunemque ſenectae
Phaſidis in ripa ſtantem, juveneſque vocantem.
Tandem animi incertum conſuſaque pectora firmat
Relligio: tendenſque pias ad ſidera palmas,
Omnipotens regina, inquit, quam, turbidus atro
Aethera caeruleum quateret cum Juppiter imbre,
Ipſe ego praecipiti tumidum per Enipea nimbo
In campos & tuta tuli; nec credere quivi
Ante deam, quam te tonitru nutuque repoſci
Conjugis, & ſubita raptam formidine vidi:
Da Scythiam Phaſinque mihi: tuque innuba Pallas,
Eripe me. veſtris egomet tunc vellera templis
Illa dabo: dabit auratis & cornibus igni
Colla pater: niveique greges altaria cingent.
Accepere deae, celerique per aethera lapſu
Diverſas petiere vias. in moenia pernix
Theſpiaca ad carum Tritonia devolat Argum.
Moliri hunc puppim jubet, & demittere ferro
Robora: Peliacas & jam comes exit in umbras.
At Iuno Argolicas pariter Macetûmque per urbes
Spargit, inexpertos tentare parentibus auſtros
Aeſoniden: jam ſtare ratem; remiſque ſuperbam
Poſcere

Poſcere quos revehat, rebuſque in ſaecula tollat.
Omnis avet, quae jam bellis ſpectataque fama,
Turba ducum, primae ſeu quos in flore juventae
Tentamenta tenent, necdum data copia rerum.
At quibus arvorum ſtudiumque inſontis aratri,
Hos ſtimulant, magnaque ratem per luſtra viaſque
Viſi laude canunt manifeſto in lumine Fauni,
Silvarumque deae, atque elatis cornibus Amnes.
Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat: Arcadio cujus flammata veneno
Tela puer, facileſque humeris gaudentibus arcus
Geſtat Hylas: velit ille quidem; ſed dextera nondum
Par oneri, clavaeque capax. quos talibus amens
Inſequitur, ſolitoſque novat Saturnia queſtus:
O utinam Grajae rueret non omne juventae
In nova fata decus: noſtrique Euryſtheos haec nunc
Juſſa forent! imbrem & tenebras ſaevumque tridentem
Jam jam ego, & inviti torſiſſem conjugis ignem.
Hunc quoque nec ſocium noſtrae columenve carinae
Eſſe velim; Herculeis nec me umquam fidere fas ſit
Auxiliis, comiti & tantum debere ſuperbo.
Dixit: & Haemonias oculos detorquet ad undas.
Fervere cuncta virûm coetu, ſimul undique cernit
Delatum nemus, & ducta reſonare bipenni
Litora: jam pinus gracili diſſolvere lamna
Theſpiaden; jungique latus, lentoque ſequaces
Molliri videt igne trabes; remiſque paratis
Pallada velifero quaerentem brachia malo.
Conſtitit ut longo moles non pervia ponto:
Puppis, & ut tenues ſubiere latentia cerae
Lumina, picturae varios ſuperaddit honores.
Hic inſperatos Tyrrheni tergore piſcis
Peleos in thalamos vehitur Thetis: aequora delphin
Corripit: illa ſedet dejecta in lumina palla;
Nec Iove majorem naſci ſuſpirat Achillem.
Hanc Panope, Dotoque ſoror, laetataque fluctu
Proſequitur nudis pariter Galathea lacertis,
Antra petens: Siculo revocat de litore Cyclops.

Contra

Digitized by Google

Contra ignis, viridique torus de fronde, dapeſque,
Vinaque, & aequoreos inter cum conjuge divos
Aeacides: pulſatque chelyn poſt pocula Chiron.
Parte alia Pholoë, multoque inſanus Iaccho
Rhoetus, & Atracia ſubitae de virgine pugnae:
Crateres menſaeque volant, araeque deorum,
Poculaque inſignis veterum labor. optimus haſta
Hic Peleus, hic enſe furens agnoſcitur Aeſon.
Fert gravis invito victorem Neſtora tergo
Monychus: ardenti peragit Clanis Actora quercu:
Nigro Neſſus equo fugit: adcliniſque tapeti
In mediis vacuo condit caput Hippaſus auro.
Haec quamquam miranda viris ſtupet Aeſone natus;
Et ſecum: Heu miſeros noſtrûm natoſque patreſque;
Haccine nos animae faciles rate nubila contra
Mittimus? in ſolum nunc ſaeviet Aeſona pontus?
Non juvenem in caſus eademque pericula Acaſtum
Abripiam? inviſae Pelias freta tuta carinae
Optet, & exoret noſtris cum matribus undas.
Talia conanti laevum Jovis armiger aethra
Advenit: & validis fixam erigit unguibus agnam.
At procul e ſtabulis trepidi clamore ſequuntur
Paſtores, fremituſque canum: citus occupat auras
Raptor; & Aegaei ſuper effugit alta profundi.
Accipit augurium Aeſonides, laetuſque ſuperbi
Tecta petit Peliae. prior huic tum regia proles
Advolat, amplexus fraternaque pectora jungens;
Ductor ait; Non degeneres, ut reris, Acaſte,
Venimus ad queſtus: ſocium te jungere coeptis
Eſt animus. neque enim Telamon, aut Canthus & Idas,
Tyndariuſque puer mihi vellere dignior Helles.
O quantum terrae, quantum cognoſcere coeli
Permiſſum eſt! pelagus quantos aperimus in uſus!
Nunc forſan grave reris opus: ſed laeta recurret
Cum ratis, & caram cum jam mihi reddet Iölcon;
Quis pudor heu noſtros tibi tunc audire labores!
Quam referam viſas tua per ſuſpiria gentes!
Nec paſſus rex plura virum. Sat multa parato

Digitized by Google

In quaecumque vocas; nec nos, ait, optime, ſegnes
Credideris; patriiſque magis confidere regnis,
Quam tibi; ſi primos duce te virtutis honores
Carpere, fraternae ſi des adcreſcere famae.
Quin ego, ne qua metu nimio me cura parentis
Inpediat, fallam ignarum; ſubituſque paratis
Tunc adero, primas linquet cum puppis harenas.
Dixerat. ille animos promiſſaque talia laetus
Accipit; & greſſus avidos ad litora vertit.
At ducis imperiis Minyae monituque frequentes
Puppim humeris ſubeunt; & tento poplite proni
Decurrunt, intrantque fretum. non clamor anhelis
Nauticus, aut blandus teſtudine defuit Orpheus.
Tum laeti ſtatuunt aras. tibi rector aquarum,
Summus honor: tibi caeruleis in litore vittis
Et Zephyris Glaucoque bovem, Tethidique juvencam
Deicit Ancaeus. non illo certior alter
Pinguia letifera perfringere colla bipenni.
Ipſe ter aequoreo libans carcheſia patri
Sic ait Aeſonides: O qui ſpumantia nutu
Regna quatis, terraſque ſalo complecteris omnes,
Da veniam. ſcio me cunctis è gentibus unum
Inlicitas tentare vias, hiememque mereri:
Sed non ſponte feror: nec nunc mihi jungere montes
Mens tumet, aut ſummo depoſcere fulmen Olympo:
Ne Peliae te vota trahant; ille aſpera juſſa
Repperit, & Colchos in me luctumque meorum.
Illum ego. tu tantum non indignantibus undis
Hoc caput accipias, & preſſam regibus alnum.
Sic fatus, pingui cumulat libamine flammam.
Protulit ut crinem denſis luctatus in extis
Ignis; & adſcendit ſalientia viſcera tauri;
Ecce ſacer totuſque Dei per litora Mopſus
Inmanis viſu vittamque comamque per auras
Surgentem lauruſque rotat: vix reddita tandem
Vox horrenda viris: tum facta ſilentia vati:
Heu quaenam aſpicio! noſtris modo conſcius auſis
Aequoreos vocat ecce deos Neptunus, & ingens

Digitized by Google

Concilium: fremere, & legem defendere cuncti
Hortantur. ſic amplexu, ſic pectora fratris
Juno tenet: tuque o puppim ne deſere Pallas:
Nunc, patrui nunc flecte minas. ceſſere, ratemque
Accepere mari. per quot diſcrimina rerum
Expedior! ſubita cur pulcher harundine crines
Velat Hylas? unde urna humeris. niveoſque per artus
Caeruleae veſtes? unde haec tibi vulnera, Pollux?
Quantus io tumidis taurorum e naribus ignis!
Tollunt ſe galeae, ſulciſque ex omnibus haſtae,
Et jam jamque humeri. quem circum vellera Martem
Aſpicio? quaenam aligeris ſecat anguibus auras
Caede madens? quos enſe ferit? miſer eripe parvos
Aeſonide: cerno en thalamos ardere jugales.
Jam dudum longa Minyas ambage ducemque
Terrificat: ſed enim contra Phoebeïus Idmon
Non pallore oris, non ullo horrore comarum
Terribilis, plenus fatis Phoeboque quieto;
(Cui genitor tribuit monitu praenoſcere divûm
Omina, ſeu flammas, ſeu lubrica comminus exta,
Seu plenum certis interroget aëra pennis)
Sic ſociis Mopſoque canit: Quantum augur Apollo,
Flammaque prima docet; praeduri plena laboris
Cerno equidem; patiens ſed quae ratis omnia vincat.
Ingentes durate animae, dulceſque parentum
Tendite ad amplexus. lacrimae cecidere canenti,
Quod ſibi jam cluſos invênit in ignibus Argos.
Vix ea fatus erat; jungit cum talia ductor
Aeſonius: Superûm quando conſulta videtis,
O ſocii, quandoque datur ſpes maxima coeptis;
Vos quoque nunc vires animoſque adferte paternos.
Non mihi Theſſalici pietas culpanda tyranni,
Suſpective doli: deus haec, deus omine dextro
Imperat. ipſe ſuo voluit commercia mundo
Juppiter & tantos hominum miſcere labores.
Ite, viri, mecum; dubiiſque evincite rebus,
Quae meminiſſe juvet, noſtriſque nepotibus inſtent.
Hanc vero, o ſocii, venientem in litore laeti

Digitized by Google

Dulcibus adloquiis ludoque educite noctem.
Paretur. molli juvenes funduntur in alga,
Conſpicuuſque toris Tirynthius. exta miniſtri
Rapta ſimul veribus, Cereremque dedere caniſtris.
Jamque aderat ſummo decurrens vertice Chiron,
Clamantemque patri procul oſtentabat Achillem.
Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, & ingenti tendentem brachia paſſu,
Adſiluit, caraque diu cervice pependit.
Illum nec valido ſpumantia pocula Baccho
Sollicitant: veteri nec conſpicienda metallo
Signa tenent. ſtupet in ducibus: magnumque ſonantes
Haurit, & Herculeo fert comminus ora leoni.
Laetus at inpliciti Peleus rapit oſcula nati,
Suſpicienſque polum; Placito ſi currere fluctu
Pelea vultis, ait, ventoſque optare ferentes;
Hoc, ſuperi, ſervate caput. tu cetera, Chiron,
Da mihi. te parvus lituos & bella loquentem
Miretur: ſub te puerilia tela magiſtro
Venator ferat, & noſtram feſtinet ad haſtam.
Omnibus inde magis calor additus: ire per altum
Magna mente volunt. Phrixi promittitur abſens
Vellus, & auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit, & totum Minyis laetantibus undae
Deduxere diem. ſparguntur litore curvo
Lumina, nondum ullis terras monſtrantia nautis.
Thracius hic noctem dulci teſtudine vates
Extrahit; ut ſteterit redimitus tempora vittis
Phrixus; & injuſtas contectus nubibus aras
Fugerit, Inoo linquens Athamanta Learcho;
Aureus ut juvenem miſerantibus intulit undis
Vector, & adſtrictis ut ſedit cornibus Helle.
Septem Aurora vias, totidemque peregerat umbras
Luna polo; dirimique procul non aequore viſa
Coeperat a gemina diſcedere Seſtos Abydo.
Hic ſoror Aeoliden, aevum manſura per omne,
Deſerit: heu ſaevae nequicquam erepta novercae!
Illa quidem feſſis longe petit humida palmis

Vellera,

Vellera, ſed bibulas urguenti pondere veſtes
Unda trahit, levique manus labuntur ab auro.
Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus aeſtu
Reſpiceres miſerae clamantia virginis ora.
Extremaſque manus, ſparſoſque per aequora crines?
Jamque mero ludoque modus; poſitique quietis
Conticuere toris: ſolus quibus ordine fuſis
Inpatiens ſomni ductor manet. hunc gravis Aeſon,
Et pariter vigil Alcimede ſpectantque tenentque
Pleni oculos: illis placidi ſermonis Iäſon
Suggerit adfatus, turbataque pectora mulcet.
Mox, ubi victa gravi ceciderunt lumina ſomno,
Viſa coronatae fulgens tutela carinae
Vocibus his inſtare duci: Dodonida quercum,
Chaoniique vides famulam Jovis. aequora tecum
Ingredior. nec fatidicis avellere ſilvis
Me niſi promiſſo potuit Saturnia coelo.
Tempus adeſt. age,rumpe moras: dumque aequore toto
Currimus, incertus ſi nubila duxerit aether;
Jam nunc mitte metus, fidens ſuperiſque mihique.
Dixerat. ille pavens, laeto quamquam omine divûm,
Proſiluit ſtratis. Minyas ſimul obtulit omnes
Alma novo criſpans pelagus Tithonia Phoebo.
Diſcurrunt tranſtris. hi celſo cornua malo
Expediunt: alii tonſas in marmore ſummo
Praetentant. prora funem legit Argus ab alta.
Increſcunt matrum gemitus, & fortia languent
Corda patrum. longis flentes amplexibus haerent.
Vox tamen Alcimedes planctus ſuper eminet omnes:
Femineis tantum illa furens ululatibus obſtat;
Obruat Idaeam quantum tuba Martia buxum.
Fatur & haec: Nate indignos aditure labores,
Dividimur: nec ad hos animum conponere caſus
Ante datum; ſed bella tibi terraſque timebam.
Vota aliis facienda deis. ſi fata reducunt
Te mihi, ſi trepidis placabile matribus aequor;
Poſſum equidem lucemq; pati longumq; timorem.
Sin aliud Fortuna parat; miſerere parentum,

Mors bona, dum metus eſt, nec adhuc dolor. hei mihi! Colchos
Unde ego, & avecti timuiſſem vellera Phrixi?
Quos jam mente dies, quam ſaeva inſomnia curis
Proſpicio! quotiens raucos ad litoris ictus
Deficiam, Scythicum metuens pontumq; polumque;
Nec de te credam noſtris ingrata ſerenis!
Da precor amplexus, haeſuraque verba relinque
Auribus, & dulci jam nunc preme lumina dextra.
Talibus Alcimede moeret. ſed fortior Aeſon
Attollens dictis animos: O ſi mihi ſanguis,
Quantus erat, cum ſignifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus haec conpeſcuit auro!
Primus in aeratis poſuiſſem puppibus arma,
Concuſſoque ratem gauderem tollere remo.
Sed patriae valuere preces, audītaque magnis
Vota deis. video en noſtro tot in aequore reges,
Teque ducem: tales, tales ego ducere ſuetus,
Atque ſequi: nunc ille dies, (det Juppiter oro)
Ille ſuper, quo te Scythici regiſque mariſque
Victorem, atque humeros ardentem vellere rapto
Accipiam, cedantque tuae mea facta juventae.
Sic ait. ille ſuo conlabſam pectore matrem
Suſtinuit, magnaque ſenem cervice recepit.
Et jam finis erat: Zephyrumque ratemque morantes
Solverat amplexus triſti tuba tertia ſigno.
Dant remo ſua quiſque viri, dant nomina tranſtris.
Hinc laevum Telamon pelagus tenet: altior inde
Occupat Alcides aliud mare: cetera pubes
Dividitur. celer Aſterion, quem matre cadentem
Criſtatus gemino fovit pater amne Cometes;
Segnior Apidani vires ubi ſentit Enipeus:
Nititur hinc Talaus, fratriſque Leodocus urguet
Remo terga ſui, quos nobile contulit Argos.
Hinc quoque miſſus ad eſt, quamvis arcentibus Idmon
Alitibus; ſed turpe viro timuiſſe futura.
Hic & Naubolides tortas conſurgit in undas
Iphitus: hic patrium frangit Neptunius aequor,

Qui

Digitized by Google

Qui tenet undiſonam Pſamathen, ſemperque patentem
Taenaron Euphemus: mollique à litore Pellae
Deucalion certus jaculis, & comminus enſe
Nobilis Amphion; pariter quos edidit Hypſo,
Nec potuit ſimiles voluitve ediſcere vultus.
Tum valida Clymenus percuſſo pectore tonſa,
Frater & Iphiclus puppim trahit: & face ſaeva
In tua mox Danaos acturus ſaxa, Caphareu,
Nauplius: & tortum non ab Jove fulmen Oïleus
Qui gemet, Euboicas nato ſtridente per undas:
Quique Erymanthei ſudantem pondere monſtri
Amphitryoniaden Tegeaeo limine Cepheus
Juvit; & Amphidamas. at frater plenior actis
Maluit Ancaeo vellus contingere Phrixi.
Tectus & Eurytion ſervato colla capillo,
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.
Te quoque Theſſalicae, Neſtor, rapit in freta puppis
Fama; Mycenaeis olim qui candida velis
Aequora, nec ſtantes mirabere mille magiſtros.
Hic vates, Phoebique fides non vana parentis,
Mopſus; puniceo cui circumfuſa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
Caſſis, & in ſummo laurus Peneïa cono.
Quin etiam Herculeo conſurgit ab ordine Tydeus
Nelideſque Periclymenus: quem parva Methone
Et levis Elis equis, & fluctibus obvius Aulon,
Caeſtibus adverſos viderunt frangere vultus.
Tu quoque Phrixeos remo Paeantie Colchos
Bis Lemnon viſure petis: nunc cuſpide patris
Inclytus, Herculeas olim moture ſagittas.
Proximus hinc Butes Actaeis dives ab oris:
Innumeras nam claudit apes, longaque ſuperbus
Fuſcat nube diem; dum plenas nectare cellas
Pandit, & in dulcem reges dimittit Hymetton.
Inſequeris, caſuſque tuos expreſſa Phalere
Arma geris; vacua nam labſus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis:
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

Tum caelata metus alios gerit arma Eribotes.
Nec Peleus fretus ſoceris & conjuge diva
Defuit. at prora ſplendet tua cuſpis ab alta,
Aeacide: tantum haec aliis excelſior haſtis,
Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.
Linquit & Actorides natum Chironis in antro;
Ut ſocius caro pariter meditetur Achilli
Fila lyrae: pariterque leves puer incitet haſtas:
Diſcat eques placidi conſcendere terga magiſtri.
Et, quem fama genus non eſt decepta Lyaei,
Phleïas inmiſſus patrios de vertice crines.
Nec timet Ancaeum genetrix conmittere ponto,
Plena tulit quem rege maris. ſecurus in aequor
Haud minus Erginus proles Neptunia fertur:
Qui maris inſidias, clarae qui ſidera noctis
Norit, & è clauſis quem deſtinet Aeolus antris;
Non metuat cui regna ratis, cui tradere coelum
Aſſidua Tiphys vultum laſſatus ab Arcto.
Taurea vulnifico portat celataque plumbo
Terga Lacon; ſaltem in vacuos ut brachia ventos
Spargat; & Oebalium Pagaſeïa puppis alumnum
Spectet, ſecuro celebrantem litora ludo.
Oraque Theſſalico melior contundere freno,
Vectorem pavidae Caſtor dum quaereret Helles,
Paſſus Amyclaea pingueſcere Cyllaron herba.
Illis Taenario pariter tremit ignea fuco
Purpura; quod gemina mater ſpectabile tela
Duxit opus: bis Taygeton ſilvaſque comantes
Struxerat: Eurotan molli bis fuderat auro.
Quemque ſuus ſonipes niveo de ſtamine portat,
Evolat amborum patrius de pectore cycnus.
At tibi collectas ſolvit jam fibula veſtes,
Oſtenditque humeros fortes, ſpatiumque ſuperbi
Pectoris Herculeis aequum, Meleagre, lacertis.
Hinc numeroſa phalanx, proles Cyllenia: certus
Aethalides ſubitas nervo redeunte ſagittas
Cogere: tu medios gladio bonus ire per hoſtes,
Euryte: nec patrio Minyis ignobilis uſu,

Nun-

Nuntia verba ducis populis qui reddit Echion.
Sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis,
Heu celerem Scythica te moeſta relinquet harena,
Ceſſantemque tuo lugebit in ordine remum.
Te quoque dant campi tanto paſtore Pheraei
Felices, Admete: tuis nam pendit in arvis
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
Ah quotiens famulo notis ſoror obvia ſilvis
Flevit, ubi Oſſaeae captaret frigora quercus,
Perderet & pingui miſeros Boebeide crines!
Inſurgit tranſtris, & remo Nerea verſat
Canthus, in Aeaeo volvet quem barbara cuſpis
Pulvere: at in terra clari decus adjacet orbis,
Quem genitor geſtarat Abas: ſecat aurea fluctu
Tegmina Chalcidicas fugiens Euripus harenas:
Ceſſaque ſemiferûm contorquens frena luporum
Surgis ab oſtrifero medius, Neptune, Geraeſto.
Et tibi Palladia pinu, Polypheme, revecto
Ante urbem ardentis reſtat deprendere patris
Relliquias: multum famulis pia juſta moratis,
Si venias. breviore petit jam caerula remo,
Occupat & longe ſua tranſtra noviſſimus Idas.
At frater magnos Lynceus ſervatur in uſus;
Quem tulit Arene: poſſit qui rumpere terras,
Et Styga tranſmiſſo tacitam deprendere viſu.
Fluctibus è mediis terras dabit ille magiſtro,
Et dabit aſtra rati; cumque aethera Juppiter umbra
Perdiderit, ſolus tranſibit nubila Lynceus.
Quin & Cecropiae proles vacat Orithyiae,
Temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
Nec vero Odriſius tranſtris inpenditur Orpheus,
Aut pontum remo ſubigit: ſed carmine tonſas
Ire docet, ſummo paſſim ne gurgite pugnent.
Donat & Iphiclo pelagus juvenumque labores
Aeſonides; feſſum Phylace quem miſerat aevo,
Non jam operum in partem; monitus ſed tradat ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.
Arge, tuae tibi cura ratis: te moenia doctum

Theſpia Palladio dant munere: fors tibi ne qua
Parte trahat tacitum puppis mare; fiſſaque fluctu
Vel pice vel molli conducere vulnera cera.
Pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab aſtro
Hagniades; felix ſtellis qui ſegnibus uſum,
Et dedit aequoreos coelo duce tendere curſus.
Ecce per obliqui rapidum compendia montis
Ductor avens laetuſque dolis agnoſcit Acaſtum,
Horrentem jaculis, & parmae luce coruſcum.
Ille ut ſe mediae per ſcuta viroſque carinae
Intulit; ardenti Aeſonides retinacula ferro
Abſcidit. haud aliter ſaltus vaſtataque pernix
Venator cum luſtra fugit; dominoque timentem
Urguet equum; teneras conpreſſus pectore tigres,
Quas aſtu rapuit pavido: dum ſaeva relictis
Mater in adverſo catulis venatur Amano.
Ut pariter propulſa ratis; ſtant litore matres:
Claraque vela oculis, percuſſaque ſole ſequuntur
Scuta virûm: donec jam celſior arbore pontus,
Inmenſuſque ratem ſpectantibus abſtulit aër.
Siderea tunc arce pater pulcherrima Grajûm
Coepta tuens, tantamque operis conſurgere molem,
Laetatur: patrii neque enim probat otia regni.
Una omnes gaudent ſuperi, venturaque mundo
Tempora, quaeque vias cernunt ſibi creſcere Parcae.
Sed non & Scythici genitor diſcrimine nati
Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces:
Summe ſator, cui noſtra dies, volventibus annis,
Tot peragit reficitque vices: tuane iſta voluntas?
Grajaque nunc undis duce te nutuque ſecundo
It ratis? an meritos fas & mihi rumpere queſtus?
Hoc metuens, & ne qua foret manus invida nato,
Non mediae telluris opes, non improba legi
Divitis arva plagae: (teneant uberrima Teucer,
Et Lybis, & veſtri Pelopis domus) horrida ſaevo
Quae premis arva gelu, ſtrictoſque inſedimus amnes.
Cederet his etiam; & ſeſe ſine honore referret
Ulterius: ſed nube rigens ac neſcia rerum

Digitized by Google

Stat ſuper, & noſtros jam zona reverberat ignes.
Quid regio inmanis, quid barbarus amnibus illis
Phaſis, & averſis proles mea gentibus obſtat?
Quid Minyae meruere queri? num vellere Grajo
Vi potitur? profugo quin agmina jungere Phrixo
Abnuit; Inoas ultor nec venit ad aras:
Imperii ſed parte virum nataeque moratus
Conjugio, videt e Graja nunc ſtirpe nepotes:
Et generos vocat, & junctas ſibi ſanguine terras.
Flecte ratem motuſque pater; nec vulnere noſtro
Aequora pande viris: veteris ſat conſcia luctûs
Silva Padi, & viſo flentes genitore ſorores.
Adfremit his, quaſſatque caput, qui vellera dono
Bellipotens ſibi fixa videt: tentataque contra
Pallas, & amborum gemuit Saturnia queſtus.
Tum genitor: Vetera haec nobis & condita pergunt
Ordine cuncta ſuo, rerumque a principe curſu
Fixa manent: neque enim terris tum ſanguis in ullis
Noſter erat, cum fata darem; juſtique facultas
Hinc mihi, cum varios ſtruerem per ſaecula reges.
Atque ego curarum repetam decreta mearum;
Jam pridem regio, quae virginis aequor ad Helles,
Et Tanain tenus inmenſo deſcendit ad Euro,
Undat equis, floretque viris: nec tollere contra
Ulla pares animos, nomenque capeſcere bellis
Auſa manus: ſic fata, locos ſic ipſe fovebam.
Accelerat ſed ſumma dies, Aſiamque labantem
Linquimus, & poſcunt jam me ſua tempora Graji;
Inde meae quercus, tripodeſque animaeque parentum
Hanc pelago miſere manum: via facta per undas,
Perque hiemes, Bellona, tibi: nec vellera tantum
Indignanda: manet proprior de virgine rapta
Ille dolor: ſed nulla magis ſententia menti
Fixa meae. veniet Phrygia nam paſtor ab Ida,
Qui gemitus, iraſque pares, & mutua Grajis
Dona ferat. qua claſſe dehinc effuſa procorum
Bella! quot ad Trojam flentes hiberna Mycenas!
Quot proceres natoſque deûm, quae robora cernes

Oppe-

Digitized by Google

Oppetere, & magnis Aſiam concedere fatis!
Hinc Danaûm de fine ſedet: genteſque fovebo
Mox alias. pateant montes, ſilvaeque, lacuſque,
Cunctaque clauſtra maris; ſpes & metus omnibus eſto
Arbiter. ipſe locos, terrenaque ſumma movendo
Experiar, quae nam populis longiſſima cunctis
Regna velim, linquamque datas ubi certus habenas.
Tunc oculos Aegaea refert ad caerula, robur
Herculeum Ledaeque tuens genus; atque ita fatur:
Tendite in aſtra, viri: me primum regia mundo
Iäpeti poſt bella trucis, Phlegraeque labores
Inpoſuit: durum vobis iter & grave coeli
Inſtitui. ſic ecce meus, ſic orbe peracto
Liber, & expertus terras remeavit Apollo.
Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem: quae puppe propinqua
In bifidum diſceſſit iter, fratreſque petivit
Tyndarios: placida & mediis in frontibus haeſit
Protinus amborum; lumenque innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim inplorabile nautis.
Interea medio ſaevus permiſſa profundo
Carbaſa Pangaea Boreas ſpeculatus ab arce,
Continuo Aeoliam Tyrrhenaque tendit ad antra
Concitus. omne dei rapidis nemus ingemit alis:
Strata Ceres: motoque niger ſub praepete pontus.
Aequore Trinacrio, refugique a parte Pelori
Stat rupes horrenda fretis: quot in aethera ſurgit
Molibus, infernas totiens demiſſa ſub undas.
Nec ſcopulos aut antra minor juxta altera tellus
Cernitur: illam Acamas habitat, nuduſque Pyracmon.
Has nimbi ventique domos, & naufraga ſervat
Tempeſtas: hinc in terras latumque profundum
Eſt iter: hinc olim ſoliti miſcere polumque
Infelixque fretum: neque enim tunc Aeolus illis
Rector erat, Libya cum rumperet advena Calpen
Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undae:
Intonuit donec pavidis ex aethere ventis

Omni-

Digitized by Google

Omnipotens, regemque dedit, quem juſſa vereri
Saeva cohors in monte: chalybs iterataque muris
Saxa domant Euros. cum jam prohibere frementum
Ora nequit, rex tunc aditus & clauſtra refringit
Ipſe volens, placatque data fera murmura porta.
Nuntius hunc ſolio Boreas proturbat ab alto:
Pangaea quod ab arce nefas, ait, Aeole, vidi!
Graja novam ferro molem commenta juventus
Pergit, & ingenti gaudens domat aequora velo:
Nec mihi libertas imis freta tollere harenis.
Qualis eram, non dum vinclis & carcere clauſus!
Hinc animi, ſtructaeque viris fiducia puppis,
Quod Borean ſub rege vident. da mergere Grajos,
Inſanamque ratem: nil me mea pignora tangunt,
Tantum hominum conpeſce minas, dum litora juxta
Theſſala, nec dum aliae viderunt carbaſa terrae.
Dixerat. at cuncti fremere intus & aequora venti
Poſcere. tum valido contortam turbine portam
Inpulit Hippotades. fundunt ſe carcere laeti
Thraces equi: Zephyruſque, & nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus; crinemque procellis
Hiſpidus, & multa flavus caput Eurus harena,
Induxere hiemem; raucoque ad litora tractu
Unanimi freta curva ferunt: nec ſola tridentis
Regna movent: vaſto pariter ruit igneus aether
Cum tonitru, piceoque premit nox omnia coelo.
Excuſſi manibus remi; converſaque frontem
Puppis in obliquam reſonos latere accipit ictus:
Vela ſuper tremulum ſubitus volitantia malum
Turbo rapit. qui tum Minyis trepidantibus horror,
Cum picei fulſere poli. pavidamque coruſcae
Ante ratem cecidere faces, antennaque laevo
Prona dehiſcentem cornu cum ſuſtulit undam!
Non hiemem, miſſoſque putant conſurgere ventos
Ignari, ſed tale fretum. tum murmure moeſto:
Hoc erat, inlicitas temerare rudentibus undas
Quod noſtri timuere patres! vix litore puppim
Solvimus; en quanto fremitu ſe ſuſtulit Aegan!

Digitized by Google

Hoccine Cyaneae concurrunt aequore cautes?
Triſtius an miſeris ſupereſt mare? linquite, terrae,
Spem pelagi, ſacroſque iterum ſeponite fluctus.
Haec iterant, ſegni flentes occumbere leto.
Magnanimus ſpectat pharetras & inutile robur
Amphitryoniades: miſcent ſuprema paventes
Verba alii, junguntque manus, atque ora fatigant:
Aſpectu tota in miſero cum protinus alnus
Solvitur, & vaſto puppis mare ſorbet hiatu.
Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus,
Nunc ſtridens Zephyris aufert Notus; undique fervent
Aequora: cum ſubitus trifida Neptunus in haſta
Caeruleum fundo caput extulit. Hanc mihi Pallas,
Et ſoror hanc, inquit, mulcens mea pectora fletu
Abſtulerint: veniant Phariae Tyriaeque carinae.
Permiſſumque putent. quotiens mox rapta videbo
Vela Notis, plenaſque malis clamoribus undas!
Non meus Orion, aut ſaevus Pliade Taurus
Mortis cauſa novae. miſeris tu gentibus, Argo,
Fata paras: nec iam merito tibi, Typhi, quietum
Ulla parens volet Elyſium maneſque piorum.
Haec ait, & pontum pater ac turbata reponit
Litora, depellitque Notos: quos caerulus horror
Et madido gravis unda ſinu, longeque ſecutus
Imber, ad Aeoliae tendunt ſimul aequora portae.
Emicuit reſerata dies. coelumque reſolvit
Arcus: & in ſummos redierunt nubila montes.
Jam placidis ratis extat aquis, quam gurgite ab imo
Et Tethis, & magnis Nereus ſocer erigit ulnis.
Ergo humeros ductor ſacro velatur amictu,
Aeſoniamque capit pateram: quam munere gaudens
Liquerat hoſpitio, pharetraſque rependerat auro
Salmoneus: nondum ille furens; cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Jovis, contraque ruentem
Aut Athon, aut Rhodopen; moeſtae nemora ardua Piſae
Aemulus & miſeros ipſe ureret Elidis agros.
Hac pelago libat latices, & talibus infit:
Dî, quibus undarum tempeſtatiſque ſonorae

Impe-

Digitized by Google

Imperium, & magno penitus par regia coelo:
Tuque, fretum divoſque pater ſortite biformes:
Seu caſus nox iſta fuit; ſeu volvitur axis,
Ut superûm ſic ſtaret opus; tollique viciſſim
Pontus habet; ſeu te ſubitae nova puppis imago,
Armorumque hominumque truces conſurgere in iras
Inpulit: haec luerim ſatis; & tua numina, rector,
Jam fuerint meliora mihi. da reddere terris
Has animas, patriaeque amplecti limine portae.
Tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
Paſcet honos, ubicumque rotis horrendus equiſve
Stas, pater; atque ingens utrimque fluentia Triton
Frena tenet: tantus noſtras condêre per urbes.
Dixerat haec. oritur clamor, dextraeque ſequentum
Verba ducis. ſic cum ſtabulis & meſſibus ingens
Ira deûm, & Calabri populator Sirius arvi
Incubuit; coit agreſtum manus inſcia priſcum
In nemus, & miſeris dictat pia vota ſacerdos.
Ecce autem molli zephyros deſcendere labſu
Aſpiciunt; volat inmiſſis cava pinus habenis,
Infinditque ſalum, & ſpumas vomit aere tridenti:
Tiphys agit, tacitique ſedent ad juſſa miniſtri.
Qualiter ad ſummi ſolium Jovis omnia circum
Prona parata deo, ventique imbreſque niveſque
Fulguraque & tonitrus, & adhuc in fontibus amnes.
At ſubitus curaque ducem metus acrior omni,
Menſque mali praeſaga quatit; quod regis adortus
Progeniem, raptoque dolis crudelis Acaſto,
Cetera nuda neci, medioque in crimine patrem
Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis,
Ipſe procul nunc tuta tenens: ruat omnis in illos
Quippe furor. nec vana pavet, trepidatque futuris.
Saevit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto
Vela videt: nec qua ſe ardens effundere poſſit.
Nil animi, nil regna juvant. fremit objice ponti
Clauſa cohors, teliſque ſalum facibuſque coruſcat.
Haud ſecus, aeriſona volucer cum Daedalus Ida
Proſiluit, juxtaque comes brevioribus alis;

Digitized by Google

Nube novas linquente domos, Minoïa fruſtra
Infremuit manus, & viſu laſſatur inani
Omnis eques, pleniſque redit Gortyna pharetris.
Quin etiam in thalamis, primoque in limine Acaſti
Fuſus humi, juvenis greſſus & inania ſigna
Ore premit, ſparſiſque legens veſtigia canis;
Te quoque jam moeſti forſan genitoris imago
Nate, ait, & luctûs ſubeunt ſuſpiria noſtri.
Jamque dolos, circumque trucis diſcrimina leti
Mille vides, qua te infelix, quibus inſequar oris?
Non Scythicas ferus ille domos, nec ad oſtia Ponti
Tendit iter; falſae ſed captum laudis amore
Te, puer, in noſtrae durus tormenta ſenectae
Nunc lacerat. celſis an ſi freta puppibus eſſent
Pervia, non ultro juvenes claſſemque dediſſem?
O domus, o freti nequicquam prole penates!
Dixit, & extemplo furiis iraque minaci
Terribilis, Sunt hic etiam tua vulnera, praedo;
Sunt lacrimae; caruſque parens. ſimul aedibus altis
Itque reditque fremens, rerumque aſperrima verſat.
Biſtonas ad meritos cum cornua ſaeva Thyoneus
Torſit, & infelix jam mille furoribus Haemus,
Jam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita longis
Porticibus conjunxque fugit natique Lycurgum.
Tartareo tum ſacra Jovi, Stygiiſque ferebat
Manibus Alcimede, tanto ſuper anxia nato;
Si quid ab excitis melius praenoſceret umbris.
Ipſum etiam, curiſque parem, taleſque prementem
Corde metus ducit, facilem tamen, Aeſona conjunx.
In ſcrobibus cruor, & largus Phlegethontis operti
Stagnat honos, ſaevoque vocat grandaeva tumultu
Theſſalis exanimes atavos, magnaeque nepotem
Pleïones. & jam tenues ad carmina vultus
Extulerat, moeſtoſque tuens natumque nurumque,
Talia libato pandebat ſanguine Cretheus:
Mitte metus volat ille mari: quantumque propinquat,
Jam magis atque magis variis ſtupet Aea deorum
Prodigiis, quatiuntque truces oracula Colchos.

Digitized by Google

Heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror
Pergit! mox Scythiae ſpoliis nuribuſque ſuperbus
Adveniet. cuperem ipſe graves tum rumpere terras.
Sed tibi triſte nefas, fraternaque turbidus arma
Rex parat, & ſaevos irarum concipit ignes.
Quin rapis hanc animam, & famulos citus effugis artus?
I, meus es, jam te in lucos pia turba ſilentum,
Secretiſque ciet volitans pater Aeolus antris.
Horruit interea famulûm clamore ſupremo
Moeſta domus: regemque fragor per moenia differt,
Mille ciere manus, & jam dare juſſa vocatis.
Flagrantes aras, veſtemque, nemuſque ſacerdos
Praecipitat, ſubitiſque pavens circumſpicit Aeſon,
Quid moveat. quam multa leo cunctatus in arta
Mole virum, rictuque genas & lumina preſſit.
Sic curae ſubiere ducem, ferrumne capeſſat
Inbelle, atque aevi ſenior geſtamina primi:
An patres regnique acuat mutabile vulgus.
Contra affuſa manus, haerenſque in pectore conjunx:
Me quoque, ait, caſus, comitem, quicumque propinquat,
Accipies: nec fata traham, natumque videbo
Te ſine. ſat coeli patiens, cum prima per altum
Vela dedit, potui quae tantum ferre dolorem.
Talia fert lacrimans. & jam circumſpicit Aeſon,
Praeveniat quo fine minas, quo fata capeſſat
Digna ſatis. magnos obitus natumque domumque,
Et genus Aeolium. pugnataque poſcere bella.
Eſt etiam ante oculos aevi rudis altera proles,
Ingentes animos & fortia diſcere facta
Quem velit, atque olim leti meminiſſe paterni.
Ergo ſacra novat. veteris ſub nocte cupreſſi
Sordidus, & multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc: cui caeruleae per cornua vittae,
Et taxi frons hirta comis: ipſe aeger, anhelans,
Inpatienſque loci, viſaque exterritus umbra.
Hunc ſibi praecipuum, gentis de more nefandae,
Theſſalis in ſeros Ditis ſervaverat uſus.
Tergeminam tum placat heram, Stygiaſque ſupremo
Obſe-

Obſecrat igne domos, jam jam exorabile retro
Carmen agens. neq; enim ante leves niger avehit umbras
Portitor, & cunctae primis ſtant faucibus Orci.
Illum ubi terrifici ſupereſſe in tempore ſacri
Conſpexit, ſtatuit leto, ſupremaque fatur,
Ipſe manu tangens damnati cornua tauri:
Vos, quibus imperium Jovis, & non ſegne peractum
Lucis iter, mihi conſiliis, mihi cognita bellis
Nomina, magnorum fama ſacrata nepotum:
Tuque excite parens umbris. ut noſtra videres
Funera, & oblitos ſuperûm paterere dolores;
Da placidae mihi ſedis iter; meque hoſtia veſtris
Conciliet praemiſſa locis. tu nuntia ſontum
Virgo Jovi, terras oculis quae proſpicis aequis;
Ultriceſque deae, Faſque, & grandaeva Furorum
Poena parens, meritis regi ſuccedite tectis,
Et ſaevas inferte faces. ſacer effera raptet
Corda pavor. nec ſola mei gravia adfore nati
Arma ratemque putet: claſſes, & Pontica ſigna,
Atque indignatos temerato litore reges
Mente agitet; ſemperque metu decurrat ad undas,
Arma ciens; mors ſera viam tentataque claudat
Effugia, & noſtras nequeat praecurrere Diras:
Sed reduces jam jamque viros, auroque coruſcum
Cernat iter. ſtabo inſultans, & ovantia contra
Ora manuſque feram. tum, vobis ſi quod inauſum
Arcanumque nefas, & adhuc incognita leti
Sors ſupereſt, date fallaci pudibunda ſenectae
Exitia, indecoreſque obitus. non Marte, nec armis,
Aut nati precor ille mei dignatus ut umquam
Enſe cadat. quin fida manus, quin cara ſuorum
Diripiat laceretque ſenem; nec membra ſepulcro
Contegat. haec noſter de rege piacula ſanguis
Sumat, & heu cunctae, quas miſit in aequora gentes.
Adſtitit, & nigro fumantia pocula tabo
Contigit ipſa gravi Furiarum maxima dextra.
Illi avide exceptum pateris hauſere cruorem.
Fit fragor: inrumpunt ſonitu, qui ſaeva ferebant

Impe-

Digitized by Google

Imperia, & ſtrictos juſſis regalibus enſes.
In media jam morte ſenes, ſuffectaque leto
Lumina, & undanti revomentes veſte cruorem
Conſpiciunt: primoque rudem ſub limine rerum
Te, puer, & viſa pallentem morte parentum,
Diripiunt, adduntque tuis. procul horruit Aeſon
Excedens, memoremque tulit ſub nubibus umbram.
Cardine ſub noſtro rebuſque abſciſa ſupernis
Tartarei ſedet aula patris: non illa ruenti
Acceſſura polo, victam ſi volvere molem
Juppiter, & primae velit omnia reddere maſſae.
Ingenti jacet ore Chaos; quod pondere feſſam
Materiem, labſumque queat conſumere mundum.
Hic geminae aeternum portae: quarum altera, dura
Semper lege patens, populos regeſque receptat;
Aſt aliam tentare nefas, & tendere contra;
Rara & ſponte patet; ſi quando pectore ductor
Vulnera nota gerens. galeis praefixa rotiſque
Cui domus, aut ſtudium mortales pellere curas,
Culta fides, longe metus atque ignota cupido:
Seu venit in vittis, caſtaque in veſte ſacerdos.
Quos omnes lenis plantis & lampada quaſſans
Progenies Atlantis agit. lucet via late
Igne dei: donec ſilvas & amoena piorum
Deveniant, campoſque, ubi Sol, totumque per annum
Durat aprica dies, thiaſique, chorique virorum,
Carminaque, & quorum populis jam nulla cupido.
Has pater in ſedes aeternaque moenia natum
Inducitque nurum. tum, porta quanta ſiniſtra
Poena, docet, maneat Pelian; quo limine, monſtrat.
Mirantur tantos ſtrepitus, turbamque ruentem,
Et loca, & infernos almae virtutis honores.

C. VALERII FLACCI BALBI SETINI ARGONAUTICON

LIBER SECUNDUS.

Interea ſcelerum luctûſque ignarus Iaſon
Alta ſecat. neque enim patrios cognoſcere caſus
Juno ſinit; mediis ardens ne flectat ab undis;
Ac temere in Pelian, & adhuc obſtantia regis
Fata ruat, placitoſque deis ne deſerat actus.
Jamque fretis ſummas aequatum Pelion ornos,
Templaque Tiſaeae mergunt obliqua Dianae.
Jam Sciathos ſubſedit aquis, jam longa receſſit
Sepias: attollit tondentes pabula Magnes
Campus equos: vidiſſe putant Dolopeïa buſta,
Intrantemque Amyron curvas quaeſita per oras
Aequora; flumineo cujus redeuntia vento
Vela legunt. remis inſurgitur. inde ſalutant
Eurymenas. recipit velumque fretumque reverſus
Auſter: & in nubem, Minyis repetentibus altum,
Oſſa redit. metus ecce deûm, damnataque bello
Pallene: circumque vident inmania monſtra
Terrigenûm caelo quondam adverſata gigantum;
Quos ſcopulis trabibuſque parens miſerata jugiſque
Induit. & verſos exſtruxit in aethera montes.
Quiſque ſuas in rupe minas, pugnamque, metuſque
Servat adhuc: quatit ipſe hiemes, & torquet ab alto
Fulmina crebra pater: ſcopulis ſed maximus illis
Horror abeſt, Sicula preſſus tellure, Typhoëus.
Hunc profugum, & ſacras revomentem pectore flammas,
Ut memorant, prenſum ipſe comis Neptunus in altum
Abſtulit, inplicuitque vadis: totienſque cruenta

Mole

Mole reſurgentem, torquentemque anguibus undas
Sicanium dedit uſque fretum; cumque urbibus Aetnam
Intulit, ora premens: trux ille ejectat adeſi
Fundamenta jugi; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, injectam feſſo dum pectore molem
Conmovet experiens, gemituque reponit inani.
Jamque Hyperionius metas maris urguet Hiberi
Currus, & evectae prono laxantur habenae
Aethere; cum palmas Tethys grandaeva ſinuſque
Suſtulit, & rupto ſonuit ſacer aequore Titan.
Auxerat hora metus; jam ſe vertentis Olympi
Ut faciem, raptoſque ſimul monteſque locoſque
Ex oculis, circumque graves videre tenebras.
Ipſa quies rerum, mundique ſilentia terrent;
Aſtraque, & effuſis ſtellatus crinibus aether.
Ac velut ignota captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter; non aure quieſcit,
Non oculis; noctiſque metus niger auget utrimque
Campus, & occurrens umbris majoribus arbor.
Haud aliter trepidare viri. ſed pectora firmans
Hagniades, Non hanc, inquit, ſine numine pinum
Dirigimus: nec me tantùm Tritonia curſus
Erudiit; ſaepe ipſa manu dignata carinam eſt.
An non experti, ſubitus cùm luce fugatâ
Horruit imbre dies? quantis, prô Juppiter, auſtris
Reſtitimus! quanta quotiens & Palladis arte
In caſſum decimae cecidit tumor arduus undae!
Quin agite, ô ſocii; micat inmutabile coelum,
Puráque nec gravido ſurrexit Cynthia cornu;
Nullus in orbe rubor; certuſque ad talia Titan
Integer in fluctus, & in uno decidit Euro.
Adde, quòd in noctem venti veloque marique
Incumbunt magis: it tacitis ratis ocior horis.
Atque adeò non illa ſequi mihi ſidera monſtrant,
Quae delabſa polo reficit mare: tantus Orion
Jam cadit; irato jam ſtridet in aequore Perſeus:
Sed mihi dux, vetitis qui numquam conditus undis
Axe nitet ſerpens, ſeptenoſque inplicat ignes.

Sic ait: & certi memorat qui vultus Olympi,
Pleïones Hyadumque locos; quo ſidere vibret
Enſis, & Actaeus niteat qua luce Bootes.
Haec ubi dicta dedit; Cereris tum munere feſſas
Reſtituunt vires, & parco corpora Baccho:
Mox ſomno ceſſere: regunt ſua ſidera puppim.
Jamque ſub Eoae dubios Atlantidis ignes
Albet ager: motiſque truces ab ovilibus urſi
Tuta domoſque petunt: raras & litus in altum
Mittit aves; cum primus equis exegit anhelis
Phoebus Athon, mediaſque diem diſperſit in undas.
Certatim remis agitur mare: roſtraque curſu
Prima tremunt. & jam ſummis Vulcania ſurgit
Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores,
Ignipotens: nec te Furiis & crimine matrum
Terra fugat, meritique piget meminiſſe prioris.
Tempore quo primum fremitus inſurgere opertos
Coelicolûm, & regni ſenſit novitate tumentes
Juppiter; aetheriae nec ſtare ſilentia pacis:
Junonem volucri primam ſuſpendit Olympo
Horrendum chaos oſtendens, poenamque barathri.
Mox etiam pavidae tentantem vincula matris
Solvere, praerupti Vulcanum vertice coeli
Devolvit, ruit ille polo noctemque diemque,
Turbinis in morem; Lemni cum litore tandem
Inſonuit: vox inde repens ut perculit urbem,
Adclinem ſcopulo inveniunt, miſerentq; foventque
Alternos aegro cunctantem poplite greſſus.
Hinc, reduci ſuperas poſtquam pater adnuit arces,
Lemnos cara deo: nec fama notior Aetnae
Aut Lipares domus. has epulas, haec templa, peracta
Aegide, & horrifici formatis fulminis alis,
Laetus adit, contra Veneris ſtat frigida ſemper
Ara loco; meritas poſtquam dea conjugis iras
Horruit, & tacitae Martem tenuere catenae.
Quocirca ſtruit illa nefas, Lemnoque merenti
Exitium furiale movet: neque enim alma videri
Jam tumet, aut tereti crinem ſubnectitur auro,

Side-

Sidereos diffuſa ſinus; eadem effera & ingens,
Et maculis ſuffecta genas, pinumque ſonantem
Virginibus Stygiis, nigramque ſimillima pallam.
Jamque dies aderat, Thracas qui fuderat armis:
Dux Lemni, puppes tenui contexere canna
Auſus, & inducto cratem defendere tergo,
Laeta mari tum ſigna refert: plenaſque movebat
Armentis nuribuſque rates. it barbara veſtis,
Et torques, inſigne loci. ſonat aequore clamor:
O patria. ò variis conjunx nunc anxia curis,
Has agimus longi famulas tibi praemia belli.
Cum dea ſe piceo per ſudum turbida nimbo
Praecipitat; Famamque vagam veſtigat in umbra:
Quam pater omnipotens digna atque indigna canentem,
Spargentemque metus, placidis regionibus arcet
Aetheris: illa fremens habitat ſub nubibus imis,
Non Erebi, non diva poli: terraſque fatigat,
Quas datur: audentem primi ſpernuntque foventque:
Mox omnes agit, & motis quatit oppida linguis.
Talem diva ſibi ſceleriſque dolique miniſtram
Quaerit avens, videt illa prior; jamque advolat ultro
Inpatiens: jamque ora parat; jam ſuſcitat aures.
Hanc ſuperincendit Venus, atque his vocibus inplet:
Vade, age, & aequoream, virgo, delabere Lemnon,
Et cunctas mihi verte domos: praecurrere qualis
Bella ſoles; cum mille tubas, armataque campis
Agmina, & innumerûm flatus cum fingis equorum.
Adfore jam luxu turpique cupidine captos
Fare viros, caraſque toris inducere Threſſas.
Hinc tibi principia; hinc rabidas dolor undique matres
Inſtimulet: mox ipſa adero, ducamque paratas.
Illa abit, & mediam gaudens defertur in urbem:
Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri
Occupat, exeſam curis, caſtumque cubile
Servantem: manet illa viro; famulaſque fatigat
Litoribus: tardi reputans quae tempora belli
Ante torum, & longo mulcens inſomnia penſo.
Huic dea cum lacrimis, & nota veſte Neaerae

181
Digitized by Google

Icta genas: Utinam non hìc tibi nuntius eſſem
O ſoror; aut noſtros, inquit, prius unda dolores
Obruat; in tali quoniam tibi tempore conjunx
Sic meritae, votis quem tu fletuque requiris,
Heu furit & captae indigno famulatur amore.
Jamque aderunt: thalamiſque tuis Threïſſa propin-
quat;
Non forma, non arte colûs, non laude pudoris
Par tibi; nec magni proles praeclara Dorycli:
Picta manus, uſtoque placet ſed barbara mento.
Attamen hos tales forſan ſolabere caſus
Tu thalamis, fatoque leges meliore penates.
Me tua matris egens, damnataque pellice proles
Exanimat; quam jam miſeros tranſverſa tuentem,
Letaleſque dapes, infectaque pocula cerno.
Scis ſimile ut flammis ſimus genus. adde cruentis
Quod patrium ſaevire Dahis. jam lacte ferino,
Jam veniet durata gelu. ſed me quoque pulſam
Fama viro: noſtroſque toros virgata tenebit
Et plauſtro derepta nurus. ſic fata, querelas
Abſcidit: & curis gravidam lacrimiſque relinquit.
Tranſit ad Iphinoën; îſdemque Amythaonis inplet,
Oleniique domum furiis. totam inde per urbem
Perſonat, ut cunctas agitent expellere Lemno;
Ipſi urbem Threſſaeque regant. dolor iraque ſurgit.
Obvia quaeque eadem traditque auditque: neque ulli
Vana fides. tum voce deos, tum queſtibus inplent.
Oſcula jamque toris, jamque oſcula poſtibus ipſis
Ingeminant: lacrimiſque iterum viſuque morantur.
Proſiliunt; nec tecta virûm, thalamoſque reviſunt
Amplius: adglomerant ſeſe, nudiſque ſub aſtris
Condenſae fletus acuunt; ac dira precantur
Conjugia, & Stygias infanda ad foedera taedas.
Has inter medias, Dryopes in imagine moeſtae,
Flet Venus; & ſaevis ardens dea planctibus inſtat.
Primaque: Sarmaticas utinam Fortuna dediſſes
Inſediſſe domos, triſteſque habitaſſe pruinas,
Plauſtra ſequi; vel jam patriae vidiſſe per ignes

Digitized by Google

Culmen agi. ſtragemque deûm! nam cetera belli
Perpetimur. mene ille novis, me deſtinat amens
Servitiis? urbem ut fugiens natoſque relinquam!
Non prius enſe manus, raptoque armabimus igne?
Dumque ſilent, ducuntque nova cum conjuge ſomnos,
Magnum aliquid ſpirabit amor? tunc ignea torquens
Lumina praecipites excuſſit ab ubere natos.
Ilicet arrectae mentes, evictaque matrum
Corda ſacer Veneris gemitus rapit. aequora cunctae
Proſpiciunt, ſimulantque choros, delubraque feſta
Fronde tegunt; laetaeque viris venientibus adſunt.
Jamque domos menſaſq; petunt; diſcumbitur altis
Porticibus: ſua cuique furens feſtinaque conjunx
Adjacet. inferni qualis ſub nocte barathri
Adcubat attonitum Phlegyan & Theſea juxta
Tiſiphone; ſaevaſque dapes & pocula libat,
(Tormenti genus) & nigris amplectitur hydris.
Ipſa Venus quaſſans undantem turbine pinum
Adglomerat tenebras, pugnaeque accincta trementem
Deſilit in Lemnon. nimbiſque & luce fragoſa
Proſequitur polus, & tonitru pater auget honoro.
Inde novam pavidas vocem furibunda per aures
Congeminat: qua primus Athos, & pontus, & ingens
Thraca palus, pariterque toris exhorruit omnis
Mater, & adſtricto riguerunt ubere nati.
Adcelerat Pavor, & Geticis Diſcordia demens
E ſtabulis, atraeque genis pallentibus Irae,
Et Dolus, & Rabies, & Leti major imago
Viſa, truces exſerta manus; ut prima vocatu
Intonuit, ſignumque dedit Mavortia conjunx.
Hîc aliud Venus & multo magis ipſa tremendum
Orſa nefas, gemitus fingit, voceſque cadentum:
Inrupitque domos: & ſingultantia geſtans
Ora manu, taboque ſinus perfuſa recenti,
Adrectaſque comas: Meritos en prima revertor
Ulta toros: premit ecce dies. tum verbere victas
In thalamos agit, & cunctantibus invenit enſes.
Unde ego tot ſcelerum facies, tot fata jacentum

Digitized by Google

Exſequar? heu vatem monſtris quibus intulit ordo!
Quae ſe aperit ſeries! ó qui me vera canentem
Siſtat, & hac noſtras exſolvat imagine noctes!
Invadunt aditus, & quondam cara ſuorum
Corpora: pars, ut erant, dapibus vinoque ſoporos;
Pars conferre manus etiam, magniſque paratae
Cum facibus; quoſdam inſomnes & cuncta tuentes.
Sed tentare fugam, prohibetque capeſſere contra
Arma metus. adeo ingentes inimica videri
Diva dabat; notaque ſonat vox conjuge major.
Tantum oculos preſſere metu; velut agmina cernant
Eumenidum, ferrumve ſuper Bellona coruſcet.
Hoc ſoror, hoc conjunx, propiorque hoc nata parenſque
Saeva valet: prenſoſque toris mactatque trahitque
Femineum genus: inmanes quos ſternere Beſſi,
Nec Geticae potuere manus, aut aequoris irae.
It cruor in thalamis, & anhela in pectore fumant
Vulnera; ſeque toris miſero luctamine trunci
Devolvunt: diras aliae ad faſtigia taedas
Injiciunt, adduntque domos: pars ignibus atris
Effugiunt propere; ſed dira in limine conjunx
Obſidet, & viſo repetunt incendia ferro.
Aſt aliae Threſſas labem cauſamque furoris
Diripiunt. mixti gemitus, clamorque precantum
Barbarus, ignotaeque inplebant aethera voces.
Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus auſis
Ora feram; decus & patriae laus una mentis,
Hypſipyle? non ulla meo te carmine dictam
Abſtulerint, durent Latiis modo ſaecula faſtis,
Iliacique lares, tantique palatia regni.
Inruerant actae pariter nataeque nuruſque;
Totaque jam ſparſis exarſerat inſula monſtris:
Illa pias armata manus, Fuge protinus urbem
Meque, pater: non hoſtis, ait, non moenia laeſi
Thraces habent: noſtrum hoc facinus. ne quaere, quis auctor.
Jam fuge, jam dubiae donum rape mentis, & enſem

Tu potius miſerae retine. tunc excipit artus,
Obnubitque caput, tacitumque ad conſcia Bacchi
Templa rapit: primoque manus à limine tendens,
Exime nos ſceleri, pater, & miſerere piorum
Rurſus, ait. tacita pavidum tunc ſede locavit;
Sub pedibus dextraque dei. latet ille receptus
Veſte ſacra. voces chorus & trieterica reddunt
Aere ſonum, fixaeque fremunt in limine tigres.
Regina ut roſeis Auroram ſurgere bigis
Vidit, & inſomni laſſatas turbine tandem
Conticuiſſe domos; ſtabilem quando optima facta
Dant animum, majorque piis audacia coeptis;
Serta patri, juveniſque comam veſteſque Lyaei
Induit, & medium curru locat; aeraque circum,
Tympanaque, & plenas tacita formidine ciſtas.
Ipſa ſinus hederiſque ligat famularibus artus:
Pampineamque quatit ventoſis ictibus haſtam,
Reſpiciens; teneat virides velatus habenas
Ut pater, & nivea tumeant ut cornua mitra,
Et ſacer ut Bacchum referat ſcyphus. inpulit acri
Tum validas ſtridore fores; rapiturque per urbem,
Talia voce canens: Linque ó mihi caede madentem,
Bacche, domum. ſine foedatum te funere pontus
Expiet; & referam lotos in templa dracones.
Sic medios egreſſa metus: facit ipſe verendam
Nam deus, & flatu non inſcia gliſcit anhelo.
Jamque ſenem tacitis ſaeva procul urbe remotum
Occulerat ſilvis: ipſam ſed conſcius auſi
Nocte dieque pavor, fraudataque turbat Erinnys.
Non ſimiles jam ferre choros (ſemel orgia fallunt)
Audet, non patrios furtis accedere ſaltus:
Et fuga diverſas miſero quaerenda per artes.
Viſa ratis, ſaevae defecta laboribus undae,
Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repoſtam
Solibus, & canis urebat luna pruinis;
Huc genitorem, alte per opaca ſilentia noctis,
Praecipitem ſilvis rapit; & ſic moeſta profatur:
Quam, genitor, patriam, quanta modo linquis inanes

Pube domos! prô dira lues, prô noctis acerbae
Exitium! taliu' poſſum te credere puppi,
Care parens? poſſum tantis retinere periclis?
Solvimus heu ſerum Furiis ſcelus? adnue votis,
Diva, ſoporiferas quae nunc trahis aequore bigas.
Non populos, non dite ſolum, non ulla parenti
Regna peto: patria liceat decedere terra.
Quando ego ſervato mediam genitore per urbem
Laeta ferar? quandô hîc lacrimas planctuſque videbo?
Dixerat. ille procul trunca fugit anxius alno;
Taurorumque locos, delubraque ſaeva Dianae
Advenit. hîc illum triſti dea praeficis arae
Enſe dato. mora nec terris tibi longa cruentis.
Jam nemus Egeriae, jam te ciet altus ab Alba
Juppiter, & ſoli non mitis Aricia Regi,
Arcem nata petit, quo jam manus horrida matrum
Congruerat. rauco fremitu ſedere parentum
Natorumque locis: vacuaeque in moenibus urbis
Jura novant: donant ſolio ſceptriſque paternis,
Ut meritam; redeuntque piae ſua praemia menti.
Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
Arma notant: rapitur ſubito regina tumultu,
Conciliumque vocat, non illis obvia tela
Ferre, nec infeſtos deerat furor inprobus ignes:
Ni Veneris ſaevas fregiſſet Mulciber iras.
Tunc etiam vates Phoebo dilecta Polyxo,
Non patriam, non certa genus, ſed maxima Ceto
* Proteaque ambiguum Pharii ſe patris ab antris
Huc rexiſſe vias, junctis ſuper aequora phocis:
Saepe imis ſe condit aquis, cunctataque paullum
Surgit, ut auditas referens in gurgite voces:
Portum demus, ait. haec hoſpita, credite, puppis
Adveniet: levior Lemno deus aequore flexit
Huc Minyas. Venus ipſa volens dat tempora jungi,
Dum vires utero, maternaque ſufficit aetas.
Dicta placent. portatque preces ad litora Grajis
Iphinoë: nec turba nocens, ſceleriſque recentis
Signa movent; tollitque loci Cytherea timorem.

Proti-

Protinus ingentem procerum ſub nomine taurum
Deicit: inſuetis & jam pia munera templis
Reddit: & hac prima Veneris calet ara juvenca.
Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
Fumant ſaxa jugis, coquiturque vaporibus aër;
Subſtitit Æſonides. atque hîc regina precari
Hortatur: cauſſaſque docens, Haec antra videtis,
Vulcanique, ait, ecce, domos: date vina preceſque,
Forſitan hoc factum jaceat jam fulmen in antro;
Nox dabit ipſa fidem: clauſae cum murmura flammae,
Hoſpes, & incuſſae ſonitum mirabere maſſae.
Moenia tum, vireſque loci, vetereſque parentum
Jactat opes. mediis famulae convivia tectis
Expediunt; Tyrio vibrat torus igneus oſtro.
Stat moerens atavos reges regeſque maritos
Threſſa manus, quaecumque faces timuiſſe jugales
Credita, nec dominae ſanctum tetigiſſe cubile.
Jam medio Aeſonides, jam ſe regina locavit;
Poſt alii proceres: ſacris dum vincitur extis
Prima fames; circum pateris it Bacchus, & omnis
Aula ſilet: dapibus captis mox tempora fallunt
Noctis, & in ſeras durant ſermonibus umbras.
Praecipueque ducis caſus mirata requirit
Hypſipyle: quae fata trahant, quae regis agat vis:
Aut unde Haemoniae molem ratis. unius haeret
Adloquio, & blandos paullatim colligit ignes,
Jam non dura toris, Veneri nec iniqua reverſae:
Et deus ipſe moras ſpatiumque indulget amori.
Pliada lege poli nimboſo moverat aſtro
Juppiter, aeternum volvens opus; & ſimul undis
Cuncta ruunt: unoque dei Pangaea ſub ictu,
Gargaraque, & moeſti ſteterant formidine luci.
Saevior haud alio mortales tempore mentes
Terror agit: tunc urguet enim, tunc flagitat iras
In populos Aſtraea Jovem; terriſque relictis
Invocat aſſiduo Saturnia ſidera queſtu.
Inſequitur niger & magnis cum fratribus Eurus
Intonat Aegaeo; tenditque ad litora pontus.

Digitized by Google

Ut lunam quarto denſam videt imbribus ortu
Theſpiades, longus coeptis & fluctibus arcet
Quem metus: uſque novos divae melioris ad ignes
Urbe ſedent laeti Minyae, viduiſque vacantes
Indulgent thalamis: nimboſque educere luxu;
Nec jam velle vias: Zephyroſque audire vocantes
Diſſimulant; donec reſides Tyrinthius heros
Non tulit, ipſe rati invigilans, atque integer urbis;
Invidiſſe deos tantum maris aequor adortis
Deſertaſque domos, fraudataque tempore ſegni
Vota patrum. quid & ipſe viris cunctantibus adſit?
O miſeri, quicumque tuis acceſſimus actis!
Phaſin, & Aeeten, Scythicique pericula ponti
Redde, ait, Æſonide: me tecum ſolus in aequor
Rerum traxit amor, dum ſpes mihi ſiſtere montes
Cyaneos, vigilemque alium ſpoliare draconem.
Si ſedet Aegaei ſcopulos habitare profundi;
Hoc mecum Telamon peraget meus. haec ubi dicta,
Haud ſecus Æſonides monitis accenſus amaris,
Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra juvat, brevis in laevos piger angitur orbes:
Frena tamen dominumque velit, ſi Martius aures
Clamor, & obliti rurſus fragor inpleat aeris.
Tunc Argum Tiphynque vocat; pelagoque parari
Praecipitat. petit ingenti clamore magiſter
Arma, viros pariter, ſparſoſque in litore remos.
Exoritur novus urbe dolor, planctûſque per omnes
It facies antiqua domos. ſibi moenia linqui
En iterum. ecquando natorum tempora, gentem
Qui recolant, qui ſceptra gerant? nunc triſte nefandae
Noctis opus: vidui nunc illa ſilentia tecti
Saeva magis; thalamos excuſſaque vincla quod auſae
Induere, atque iterum tales admittere curas.
Ipſa quoque Hypſipyle ſubitos per litora curſus
Ut vidit, totaque viros decedere Lemno;
Ingemit, & tali conpellat Jaſona queſtu:
Jamne placet primo deducere vela ſereno,
Carius ô mihi patre caput? modo ſaeva quierunt

Aequora.

Digitized by Google

Aequora. ſic portus fugeret ratis, aſpera ſi te
Plias in adverſae tenuiſſet litore Thraces.
Ergo moras coelo curſumque tenentibus undis
Debuimus? dixit lacrimans: haeſuraque caro
Dona duci promit chlamydem textoſque labores.
Illic ſervati genitoris conſcia ſacra
Preſſit acu, curruſque pios: ſtant ſaeva paventum
Agmina, dantque locum: viridis circùm horrida tela
Silva tremit: mediis refugit pater anxius umbris.
Pars & frondoſae raptus expreſſerat Idae,
Inluſtremque fugam pueri: mox aethere laetus
Adſtabat menſis: quin & Iovis armiger ipſe
Accipit à Phrygio jam pocula blanda miniſtro.
Tunc enſem, notumque ferens inſigne Thoantis,
Accipe, ait, bellis mediaeque ut pulvere pugnae
Sim comes, Aetnaei genitor quae flammea geſſit
Dona Dei, nunc digna tuis adjungier armis.
I, memor, i terrae, quae vos amplexa quieto
Prima ſinu; refer & domitis à Colchidos oris
Vela, per hunc, utero quem linquis Jaſona noſtro.
Sic ait, Haemonii labens in colla mariti.
Nec minùs Orphea triſtis cervice, tuaque,
AEacide, & gemino conjunx à Caſtore pendet.
Has inter lacrimas legitur piger uncus harenis:
Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant,
Spumea ſubſequitur fugientis ſemita clavi.
Tunc tenuis Lemnos; tranſitque Electria tellus
Threïciis arcana ſacris: hîc numinis ingens
Horror; & incautis decreta piacula linguis.
Hunc demiſſa Jovi non umquam laedere fluctu
Audet hiems: ſponte ipſe deus tunc aſperat undas,
Cùm vetat infidos ſua litora tangere nautas.
Obvius at Minyas terris adytiſque ſacerdos
Excipit, hoſpitibus reſerans ſecreta, Thyotes.
Hactenus in populos, vates Samothraca, diemque
Miſſa mane; ſacriſque metum ſervemus opertis.
Illi ſole novo laeti, plenique deorum,
Conſidunt tranſtris. jam, quas praeviderat urbes

Digitized by Google

Navita, condebat: proraeque acceſſerat Imbros:
Et Sol aetherias medius conſcenderat arces.
Theſſala Dardaniis tunc primùm puppis harenis
Adpulit, & fatis Sigeo litore ſedit.
Deſiliunt: pars hinc levibus candentia velis
Caſtra levat: tracto pars frangit adorea ſaxo
Farra: citum ſtrictis alius de cautibus ignem
Oſtendit foliis, & ſulfure paſcit amico.
Alcides Telamonque comes dum litora blando
Anfractu ſinuoſa legunt, vox accidit aures,
Flebile ſuccedens, ceu fracta remurmurat unda.
Attoniti preſſere gradum; vacuumque ſequuntur
Vocis iter: jam certa ſonat: deſertaque durae
Virgo neci quem non hominum ſuperûmq; vocabat?
Acrius hoc inſtare viri, ſuccurrere certi.
Qualiter, inplevit gemitu cùm taurus acerbo
Avia, frangentem morſu ſuper alta leonem
Terga ferens; coit è ſparſo concîta mapali
Agreſtum manus, & caeco clamore coloni.
Conſtitit Alcides; viſuque eniſus, in alta
Rupe truces manicas, defectaque virginis ora
Cernit, & ad primos turgentia lumina fluctus.
Exanimum veluti, multa tamen arte coactum,
Moeret ebur; Pariuſve notas & nomina ſumit
Cùm lapis; aut liquidi referunt miranda colores.
Ductor ait: Quod, virgo, tibi nomenque genuſque,
Quae ſors iſta, doce. tendunt cur vincula palmas!
Illa tremens, triſtique oculos dejecta pudore,
Non ego digna malis, inquit; ſuprema parentum
Dona vides, oſtro ſcopulos auroque frequentes.
Nos Ili veteris quondam genus, invida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
Principio morbi, coeloque exacta ſereno
Temperies; arſere rogis certantibus agri:
Cùm ſubitus fragor, & fluctus Idaea moventes
Cum ſtabulis nemora: ecce, repens conſurgere ponto
Bellua, monſtrum ingens; hanc tu nec montibus ullis,
Nec noſtro metire mari: primaeva furenti

Digitized by Google

Huic manus, amplexus inter planctuſque parentum,
Deditur. hoc ſortes, hoc corniger imperat Hammon,
Virgineam damnare animam, ſortitaque Lethen
Corpora: crudelis ſcopulis me deſtinat urna.
Verùm ô iam redeunt Phrygibus ſi numina, tuque
Ille ades, auguriis promiſſe & ſorte deorum;
Jam cui candentes votivo in gramine paſcit
Cornipedes genitor, noſtrae ſtata dona ſalutis,
Adnue, meque, precor, defectaq; Pergama monſtris
Eripe; namque potes. neq; enim tam lata videbam
Pectora, Neptunus muros cùm jungeret aſtris;
Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.
Auxerat haec locus, & facies moeſtiſſima capti
Litoris, & tumuli, coelumque, quod incubat urbi:
Quale laborantis Nemees iter, aut Erymanthi
Vidit, & infectae miſeratus flumina Lernae.
Dat procul intereà ſignum Neptunus: & unà
Monſtriferi mugire ſinus: Sigeaque peſtis
Adglomerare fretum: cujus ſtellantia glauca
Lumina nube tremunt, atque ordine curva triſulco
Fulmineus quatit ora fragor; pelagoque remenſo
Cauda redit, paſſoſque ſinus rapit ardua cervix.
Illam incumbentem per mille volumina pontus
Proſequitur lateri adſultans; trepidiſque ruentem
Litoribus ſua cogit hiems. non fluctibus aequis
Nubiferi venit unda Noti, non Africus alto
Tantus ovat, patriiſque manus cùm plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
Ecce ducem placitae furiis crudeſcere pugnae,
Surgentemque toris ſtupet, inmanemque paratu
Aeacides; pulſentque graves ut terga pharetrae.
Ille patrem, pelagique deos, ſuaque arma precatus,
Inſiluit ſcopulo; motumque è ſedibus aequor
Horruit, & celſi ſpatioſa volumina monſtri.
Qualis ubi à gelidi Boreas convallibus Hebri
Tollitur, & volucres Riphaea per ardua nubes
Praecipitat, piceo nec dum tenet omnia coelo.
Ille ſimul molem horrificam, ſcopuloſaque terga

Digitized by Google

Promovet, ingentique umbra ſubit; intremere Ide,
Inliſique ratis, pronaeque reſurgere turres.
Occupat Alcides arcum, totaque pharetrae
Nube premit. non illa magis, quàm ſede moveri
Magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.
Jam brevis, & telo volucri non utilis aër.
Tum verò fremitus, vanique inſania coepti,
Et tacitus pudor; & rurſus palleſcere virgo.
Projicit arma manu, ſcopulos vicinaque ſaxa
Reſpicit, & quantum ventis adjuta vetuſtas
Inpulerit, pontive fragor, tantum abſcidit imi
Concutiens à ſede maris. jamque agmine toto
Piſtris adeſt, miſeraeque inhiat jam proxima praedae.
Stat mediis elatus aquis, recipitque ruentem
Alcides: ſaxoque prior ſurgentia colla
Obruit: hinc vaſtos nodoſi roboris ictus
Congeminat. fluctus defertur bellua in imos,
Jam totis reſoluta vadis. Idaeaque Mater,
Et chorus, & ſummis ulularunt collibus amnes.
Protinus è ſcopulis, & opaca valle reſurgunt
Paſtores, magniſque petunt clamoribus urbem.
Nuntius hinc ſocios Telamon vocat; ac ſimul ipſi
Horreſcunt, ſubitoque vident in ſanguine puppim.
Nec minus in ſcopulos, crudique cacumina ſaxi
Emicat Alcides, vincliſque tenentibus aufert
Virgineas de rupe manus: aptatque ſuperbis
Arma humeris: regem inde petens ſuperabat ovante
Litora tuta gradu. qualis per paſcua victor
Ingreditur, cúm colla tumens, tum celſior artus
Taurus ubi aſſueti pecoris ſtabula alta reviſit,
Et patrium nemus, & bello quos ultus amores.
Obvia cui contrà longis emiſſa tenebris
Turba Phrygum, parvumque trahens cum conjuge natum
Laomedon, jam moeſtus equos, jam debita poſci
Dona gemit. pars aërii faſtigia muri
Cingit, & ignotis juvenem mirantur in armis.
Illum torva tuens, atque acri lubricus aſtu.

Digitized by Google

Rex ſubit, & patrio fatur male laetus amore:
Maxime Grajugenûm, quem non Sigea petentem
Litora, nec noſtrae miſerantem funera Trojae
Adpulit his Fors ipſa locis; ſi vera parentem
Fama Jovem, ſummique tibi genus eſſe Tonantis;
Noſter ades, junctuſque veni: ſator unus, & idem
Stirpis honos: quamquam longis disjungimur oris.
Quot mihi poſt lacrimas, poſt quanta piacula patrum
Serus ades? quam parva tuis jam gloria factis?
Verùm, age, nunc ſocios fraternis moenibus infer,
Ut tibi, ſervata ſtatui quae munera prole,
Craſtina lux bijuges ſtabulis oſtendat apertis.
Dixerat haec: tacituſque dolos, dirumque volutat
Corde nefas, clauſum ut thalamis ſomnoque gravatum
Inmolet, ereptaque luat reſponſa pharetra:
Namque bis Herculeis deberi Pergama telis
Audierat. Priami ſed quis jam vertere regnis
Fata queat? manet inmotis nox Dorica luſtris,
Et genus Aeneadûm, & Troiae melioris honores.
Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, oſtia ponti
Raptat iter; mox huc veſtras revehemur ad oras,
Donaque dicta feram. tum verò plura vocatis
Adnuit ille deis. promiſſa infida tyranni
Jam Phryges, & miſerae flebant diſcrimina Troiae.
Panditur hinc totis in noctem carbaſus alis;
Litoraque, & veteres tumulos praelabitur Ili,
Dardaniumque patrem: vigili ſimul omnia ludo
Feſta vident. hinc unda, ſacris hinc ignibus Ide
Vibrat, & horriſonae reſpondent Gargara buxo.
Inde ubi jam medii tenuere ſilentia ponti,
Stridenteſque juvant aurae, Phrixea ſubibant
Aequora; & anguſtas quondam ſine nomine fauces.
Ecce autem prima volucrem ſub luce dehiſcens
Terruit unda ratem: vittataque conſtitit Helle,
Jam Panopes Tethidiſque ſoror: jamq; aurea laeva
Sceptra tenens: tum ſternit aquas, proceresque du-
cemque
Aſpicit, & placidis conpellat Jăſona dictis:

Digitized by Google

Te quoque ab Haemoniis ignota per aequora terris,
Regna infeſta domûs, fatiſque ſimillima noſtris
Fata ferunt: iterum Aeolios Fortuna penates
Spargit, & infelix Scythicum gens quaeritis amnem.
Vaſta ſuper tellus, longum (ne defice coeptis)
Aequor; & ipſe procul, verum dabit oſtia, Phaſis.
Hîc nemus arcanum, geminaeque virentibus arae
Stant tumulis. celeres hîc prima piacula Phrixo
Ferte manu; cinerique precor mea reddite dicta:
Non ego per Stygiae, quod rere, ſilentia ripae,
Frater, agor. fruſtra vacui ſcrutaris Averni,
Care, vias. neq; enim ſcopulis me & fluctibus actam
Frangit hiems; celeri extemplo ſubiere ruentem
Cymothoê Glaucuſque manu: pater ipſe profundi
Has etiam ſedes, haec numine tradidit aequo
Regna; nec Inoïs noſter ſinus invidet undis.
Dixerat: & moeſtos tranquilla ſub aequora vultus
Cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
Tum pelago vina invergens dux talibus infit:
Undarum decus & gentis, Cretheïa virgo,
Pande viam, curſuque tuos age, diva, ſecundo.
Inmittitque ratem, mediaſque intervolat urbes,
Qua brevibus furit aeſtus aquis; Aſiamq; prementem
Effugit abruptis Europa inmanior oris.
Has etiam terras, conſertaque gentibus arva,
Sic, pelago pulſante, reor, Neptunia quondam
Cuſpis, & adverſi longus labor abſcidit aevi;
Ut Siculum Libycumq; latus: ſtupuitque fragorem
Canus & occiduis regnator montibus Atlas.
Jam juga Percotes, Pariumque infame fragoſis
Exſuperant Pythiamque vadis, tranſmiſſaque puppi
Lampſacus: Ogygii quam nec trieterica Bacchi
Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris,
Sed ſuus in Venerem raptat deus. illius aras
Urbe ſuper, celſique vident velamina templi.
Rarior hinc tellus, atque ingens undique coelum
Rurſus, & incipiens alium proſpectus in orbem.
Terra ſinu medio Pontum jacet inter & Hellen,

Ceu fundo prolata maris: namque inproba caecis
Intulit arva vadis, longoque ſub aequora dorſo
Litus agit. tenet hinc veterem confinibus oris
Pars Phrygiam, pars diſcreti juga pinea montis.
Nec procul ad tenuis ſurgit confinia ponti
Urbs placidis demiſſa jugis: rex divitis agri
Cyzicus: Haemoniae qui tum nova ſigna carinae
Ut videt, ipſe ultro primas procurrit ad undas,
Miraturque viros, dextraque amplexus, & haerens,
Incipit: O terris nunc primùm cognita noſtris
Aemathiae manus, & fama mihi major imago.
Non tamen haec adeò ſemota, neque ardua tellus,
Longaque jam populis inpervia lucis Eoae;
Cùm tales intraſſe duces, tot robora cerno.
Nam licet hinc ſaevas tellus alat horrida gentes,
Meque fremens tumido circumfluat ore Propontis;
Veſtra fides, rituſque pares, & mitia cultu
His etiam mihi corda locis. procul effera virtus
Bebrycis, & Scythici procul inclementia ſacri.
Sic memorat; laetoſque rapit: ſimul hoſpita pandi
Tecta jubet, templiſque ſacros largitur honores.
Stant gemmis auroque tori, menſaeque paratu
Regifico; centumque pares primaeva miniſtri
Corpora: pars epulas manibus, pars aurea geſtant
Pocula, bellorum caſus expreſſa recentum.
Atque ea prima duci porgens carcheſia Grajo
Cyzicus, Hic portus, inquit, mihi territat hoſtis:
Has acies ſub nocte refert: haec verſa Pelaſgûm
Terga vides: meus hic, ratibus qui paſcitur, ignis.
Subjicit Aeſonides: Utinam nunc ira Pelaſgos
Efferat, & ſolitis tentent concurrere furtis;
Cunctaque ſe ratibus fundat manus: arma videbis
Hoſpita, nec poſt hanc ultra tibi proelia noctem.
Sic ait: haſque inter variis nox plurima dictis
Rapta vices, nec non ſimili lux poſtera tractu.

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON

LIBER TERTIUS.

TERTIA jam gelidas Tithonia ſolverat umbras,
Exueratque polum; Tiphyn placida alta vocabant.
It tectis Argoa manus; ſimul urbe profuſi
Aenidae caris ſociûm digreſſibus haerent.
Dat Cererem, lectumque pecus; nec palmite Bacchum
Bithyno Phrygiove ſatum; ſed quem ſua noto
Colle per anguſtae Lesbos freta ſuggerit Helles.
Ipſe agit Aeſonide junctos ad litora greſſus
Cyzicus abſceſſu lacrimans; oneratque ſuperbis
Muneribus, primas conjunx Percoſia veſtes
Quas dabat, & picto Clyte variaverat auro.
Tum galeam, & patriae telum inſuperabile dextrae
Addidit: ipſe ducis pateras & Theſſala contra
Frena capit: manibuſque datis junxere penates.
Tu mihi nunc cauſas infandaque proelia, Clio,
Pande virûm: tibi enim ſuperûm data, virgo, facultas
Noſſe animos, rerumque vias; cur talia paſſus
Arma; quid hoſpitiis junctas concurrere dextras
Juppiter; unde tubae, nocturnaque movit Erinnys.
Dindyma ſanguineis famulûm bacchata lacertis
Dum volucri quatit aſper equo, ſilvaſque fatigat
Cyzicus, ingenti praedae deceptus amore,
Aſſuetum Phrygias dominam vectare per urbes,
Oppreſſit jaculo redeuntem ad frena leonem.
Et nunc ille jubas captivaque poſtibus ora

Inpoſuit, ſpolium infelix, divaeque pudendum.
Quae poſtquam Haemoniam, tantae non inmemor irae,
Aeriſono de monte ratem, praefixaque regum
Scuta videt; nova monſtra viro, nova funera volvit;
Ut ſocias in nocte manus, utque inpia bella
Conſerat; & ſaevis erroribus inplicet urbem.
Nox erat, & leni canebant aequora ſulco;
Et jam prona leves ſpargebant ſidera ſomnos.
Aura vehit: religant tonſas: veloque Procneſſon,
Teque etiam medio flaventem Rhundace ponto,
Spumoſumque legunt fracta Scylacëion ünda.
Ipſe diem longè Soliſque cubilia Tiphys
Conſulit; ipſe ratem vento ſtelliſque miniſtrat.
Atque illum non ante ſopor luctamine tanto
Lenit agens divûm imperiis; cadit inſcia clavo
Dextera, demittitque oculos: ſolataque puppis
Turbine flectit iter, portuque refertur amico.
Ut notis adlabſa vadis, dant aethere longo
Signa tubae: vox & mediis emiſſa tenebris:
Hoſtis habet portus; ſoliti rediere Pelaſgi.
Rupta quies: deus ancipitem lymphaverat urbem,
Mygdoniae Pan juſſa ferens ſaeviſſima Matris.
Pan nemorum bellique potens; quem lucis ab horis
Antra tenent: patet ad medias per devia noctes.
Saetigerum latus, & torvae coma ſibila frontis.
Vox omnes ſuper una tubas, qua conus & enſes,
Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris
Clauſtra cadunt; taleſque metus non Martia caſſis,
Eumenidumque comae, non triſtis ab aethere Gorgon
Sparſerit, aut tantis aciem raptaverit umbris.
Ludus & ille deo; pavidum praeſepibus aufert
Cum pecus, & profugi ſternunt dumeta juvenci.
Ilicet ad regem clamor ruit. exſilit, altis
Somnia dira toris ſimulacraque pallida linquens,
Cyzicus. ecce ſuper foribus Bellona recluſis,
Nuda latus, paſſuque movens orichalcha ſonoro,
Adſtitit, & triplici pulſans faſtigia criſta,
Inde ciere virum. ſequitur per moenia demens

Digitized by Google

Ille deam, & fatis extrema in proelia tendit.
Qualis in Alciden & Theſea, Rhoetus iniqui
Nube meri, geminam Pholoën majoraque cernens
Aſtra, ruit: qualiſve redit, venatibus actis,
Luſtra pater Triviamq; canens; humeroq; Learchum
Advehit: at miſerae declinant lumina Thebae.
Jamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur
Excubias ſortita manus: quae prima furenti
Advolat; hinc alii ſubeunt, ut proxima quaeque
Intremuit domus, & motus accepit inanes.
At Minyas anceps fixit pavor. aegra virorum
Corda labant: nec quae regio, aut diſcrimina; cernunt:
Cur galeae clipeïque micent: num pervigil armis
Hoſtis, & exciti dent obvia proelia Colchi.
Donec & haſta volans inmani turbine tranſtris
Inſonuit, monuitque ratem rapere obvia caeca
Arma manu. Princeps galeam conſtringit Iäſon,
Vociferans: Primam hanc nati, pater, accipe pugnam:
Voſque, viri, optatos huc adfore credite Colchos.
Biſtonas in medios ceu Martius exſilit aſtris
Currus; ubi ingentes animae clamorque tubaeque
Sanguineae juvere deum. non ſegnius ille
Occupat arva furens; ſequitur vis omnis Achivûm:
Adglomerant latera; & denſis thoracibus horrens
Stat manus; aegiſono quam nec fera pectore virgo
Diſpulerit, nec dextra Jovis, Terrorque Pavorque
Martis equi. ſic contextis umbonibus urguent;
Caeruleo veluti cum Juppiter agmine nubem
Conſtituit; certant Zephyri, fruſtraque rigentem
Pulſat utrimque Notus: pendent mortalia longo
Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.
Hinc manus infelix, clamore inpellere magno
Saxa, faceſque atras, & tortae pondera fundae:
Fert ſonitus inmota phalanx; iraſque retentant,
Congeries dum prima fluat. ſtellantia Mopſus
Tegmina, & ingentem Corythi notat Eurytos umbram.
Reſtitit ille gradu; ſeſeque à lumine ferri
Suſtinuit praeceps: ſubitum ceu paſtor ad amnem,

Spu-

Spumantem nimbis, fluctuque arbuſta ruentem.
Et Tideus, en intentis quem viribus, inquit,
Opperiar; manibuſque dari quem comminus optem:
Quo ſteteris moriere loco. ſubit ilia cuſpis
Olenii: dedit ille ſonum; conpreſſaque mandens
Aequora purpuream ſingultibus expulit auram.
Ac velut in medio rupes latet horrida ponto,
Quam ſuper ignari numquam rexere magiſtri
Praecipites inpune rates: ſic agmine caeco
Incurrit ſtrictis manus enſibus. occubat Iron,
Et Cotys, & Pyrno melior genitore Bienor.
At magis intereà diverſo turbida motu
Urbs agitur. Genyſo conjunx amoverat arma:
Aſt illi ſubitus ventis vivoque reluxit
Torre focus; telis gaudes miſerande repertis.
Linquit & undantes menſas, infectaque pernox
Sacra Medon; chlamys inbelli circumvenit oſtro
Torta manum: ſtrictoque vias praefulgurat enſe.
Talis in arma ruit; nec vina dapeſque remotae:
* Statque loco torus; in quo (omen) manſere miniſtri.
* Inde vagi nec tela modis nec caſibus hiſdem
Conſeruere manum, & longè jacuere peremti.
Ecce gravem nodis pinguique bitumine quaſſans
Lampada, turbata Phlegyas decurrit ab arce:
Ille leves de more manus, aciemque Pelaſgûm
Per noctem remeaſſe ratus; pulſumque requirens
Saepe ſibi vano Thamyrum clamore petebat
Arduus, & latè fumanti nube coruſcus,
Quantus ubi inmenſo proſpexit ab aethere Typhon,
Igne ſimul ventiſque rubens; quem Juppiter altè
Crine tenet: trepidant diro ſub lumine puppes.
Tollitur hinc, totuſque ruit Tirynthius arcu,
* Pectore certa regens adverſa ſpicula flamma,
Per piceos accenſa globos: & pectus harundo
Per medium contenta fugit. ruit ille comanti
Ore facem ſupra, majorque apparuit ignis.
Ambroſium Peleus, ingentem Ancaeus Ethelum
Sternit; & elatae propius ſuccedere dextrae

Telecoonta ſinit; duplicataque ora ſecuri
Disjecit cervice tenus. ſimul aſpera victor
Cingula ſubluſtri vibrantia detrahit umbra.
Has precor exuvias & prima cadavera, Neſtor,
Linquite, ait: ferro potius mihi dextera, ferro
Navet opus: prenſumq; manu detruncat Amaſtrum:
Diverſaſque ſimul ſocios invadere turmas
Admonuit. pergunt rupta teſtudine fuſi;
Qua tenebrae campique ferunt. gravis inruit Ochum
Phleïas, & trepido Pollux inpingitur Hebro.
Ipſe ſuper vultus, taboque labantia terga,
Dux campi Martiſque potens, ut caeca profundo
Currit hiems, Zelen & Broten Abarinque relinquit
Semineces; Glaucum ſequitur; Glaucumque ruentem
Occupat, & jugulo vulnus molitur aperto.
Ille manu contra telum tenet, ultima fruſtra
Verba ciens; fixamque videt decreſcere cornum.
Hinc Halyn, hinc rigido tranſcurrens demetit enſe
Prothin, & inſignem cithara cantuque fluenti
Dorcea; qui dulci feſtis adſiſtere menſis
Pectine Biſtoniae magnum poſt auſus alumnum.
Nec pharetram, aut acres ultra Tirynthius arcus
Exercet; ſocia ſed disjicit agmina clava.
Ac veluti magna juvenum cum denſa ſecuri
Silva labat; cuneiſque gemit grave robur adactis;
Jamque abies piceaeque ruunt: ſic dura ſub ictu
Oſſa virûm malaeque ſonant, ſparſuſque cerebro
Albet ager. levis ante pedes ſubſederat Ichon;
Occupat os barbamque viri, clavamque ſupernè
Intonat: Occumbens i nunc, ait, Herculis armis;
Donum ingens, ſemperque tuis mirabile fatis.
Horruit ille cadens: nomenque agnovit amicum
Primus, & ignaris dirum ſcelus attulit umbris.
Nec tibi, Theſſalicos tunc profuit, Ornyte, reges
Hoſpitiis, aut mente moras foviſſe benigna;
Et laribus ſacraſſe diem: procul advenit Idmon,
Oblatumque ferit, galeam criſtaſque rubentes
Heu tua dona gerens. quem te, qualemque videbit

Digitized by Google

Attonitus, Crenaee, parens! en frigidus orbes
Purpureos jam ſomnus obit: jam candor, & anni
Deficiunt; vitaque fugit decus omne ſoluta.
Deſere nunc nemus, & Nympharum durus amores.
At diverſa Sagen turbantem fallere nervo
Tum primum puer auſus Hylas: ſpes maxima bellis
Pulcher Hylas, ſi fata ſinant, ſi proſpera Juno;
Proſtravitque virum celeri per pectora telo.
Acceſſere (nefas) tenebris fallacibus acti
Tyndaridae in ſeſe: Caſtor prius ibat in ictus
Neſcius; aſt illos nova lux, ſubituſque diremit
Frontis apex. tum Caſtor Ityn; qua caerulus ambit
Balteus, & gemini conmittunt ora dracones;
Frater Hagem, Thapſumq;, ſecurigerumq; Nealcem
Tranſigit, & Canthi pallentem vulnere Cydrum.
Torſerat hic totis conniſus viribus haſtam
Venatori Erymo: brevis hanc ſed fata ferentem
Prodidit, & piceo comitem miſerata refulſit
Luna polo: ceſſere jubae; raptumque per auras
Vulnus; & extrema ſonuit cita caſſide cuſpis.
Niſaeum Telamon, & Ophelten vana ſonantem,
Per clipei cedentis opus, partemque trilicem,
Qua ſtomachi ſecreta, ferit; laetuſque profatur:
Di, precor, hunc regem, aut aequè delegerit alta
Fors mihi gente ſatum; magnuſque & flebilis urbi
Conciderit. ſuper addit Aren, fratremque Melanthum,
Phoceaque Oleniden; Lelegum qui pulſus ab oris,
Regis amicitiam, & famuli propioris honores
(Quâ patiens non arte?) tulit. nox alta cadentum
Ingentes denſet ſonitus, augetque ruinas.
Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Veſuius, attonitas acer cum ſuſcitat urbes:
Sic pugnae crudeſcit opus. neque enim ignea cedunt
Aſtra loco; lentis haeret nox conſcia bigis.
Perge, age, Tartareae mecum ſimul omnia noctis,
Muſa, ſequi, trepidam Phaëthon adflavit ab alto
Tiſiphonen; graviorque oculos jam luce propinqua
Umbra premit: non ſigna virûm, non funera cernunt:

Digitized by Google

Et rabie magis ora calent. vos prodite, divae,
Eumenidum noctiſque globos; vatique pateſcat
Armorum fragor, & trepidi ſingultibus agri
Labentum, atque acti Minyis per litora manes.
Cyzicus hic aciem vanis diſcurſibus inplet
Fata trahens; jam pulſa ſibi ceſſiſſe Pelaſgûm
Agmina, jam paſſim vacuos disjecta per agros
Credit ovans, tales aditus, ea gaudia fingit
Ira deûm. fundo veluti cùm Coeus in imo,
Vincla Jovis fractoque trahens adamante catenas,
Saturnum Tityonque vocat; ſpemque aetheris amens
Concipit: aſt illum fluviis & nocte remenſa
Eumenidum canis, & ſparſae juba reppulit hydrae.
Saevit acerba fremens; tardumque à moenibus agmen
Increpitat: Numquamne dolor virtute ſubibit,
Nil auſas ſine rege manus? at barbara buxus
Si vocet, & motis ululantia Dindyma ſacris;
Tunc enſis placeatque furor: modò tela ſacerdos
Porrigat, & juſta ſanguis exuberet urna.
Talibus inſultans jamdudum numine divae
Deficit: infracti langueſcunt frigore curſus:
Corda pavent; audit fremitus iraſque leonum,
Cornuaque; & motas videt inter nubila turres.
Tunc gravis, & certo tendens ſtridore per umbras,
Aeſonii venit haſta ducis, latumque ſub imo
Pectore rumpit iter. quam nunc incognita vellet
Luſtra ſibi, nulliſque datos venatibus annos!
Talia magnanimi diverſo turbine fundunt
Tela viri; ſonituque pedum, ſuſpectaque motu
Explorant: prenſant ſocios, vocemque repoſcunt.
Quod ſi tanta lues ſeros duraſſet in ortus;
Exſtinctum genus, & ſolas per moenia matres
Vidiſſet, ſtratamque dies in litore gentem.
Tum pater omnipotens tempus, jam rege peremto,
Flectere fata ratus, miſeraſque abrumpere pugnas;
Supremam celeravit opem: nutuque ſereno
Intonuit: quem nocte ſatae, quem turbidus horret
Armipotens, tunc porta trucis coit infera belli.

Digitized by Google

Continuo dant terga metu, verſique per agros
Diffugiunt; quae ſola ſalus: nec terga ruentum
Mens Minyis converſa ſequi: ſtetit anxia virtus.
Ecce, levi primos jam ſpargere lumine portus
Orta dies; notaeque (nefas) albeſcere turres.
Dî maris, attonito conclamat ab agmine Tiphys,
Ut mea fatali damnaſtis pectora ſomno!
Heu ſocii quantis conplerunt litora monſtris!
Ulum autem neque adhuc gemitus, neque conſcia facti
Ora levant: tenet exſangues rigor horridus artus.
Ceu pavet ad crines, & triſtia Pentheos ora
Thyas; ubi inpulſae jam ſe deus agmine matris
Abſtulit, & caeſi vaneſcunt cornua tauri.
Nec minus effuſi grandaevum ad litora vulgus,
Ut ſocias videre manus, dare verſa retrorſus
Terga metu; dextram tendens proclamat Jäſon:
Quo fugitis? vellem hac equidem me ſtrage meoſque
Procubuiſſe magis. deus haec, deus aſper utriſque
Implicuit. ſumus heu Minyae, ſumus hoſpita turba!
Cur etiam flammas, miſeroſque moramur honores?
Tum ſuper exſangues confertae caedis acervos
Praecipiti plangore ruunt. agnoſcit in alta
Strage virûm ſua texta parens, ſua munera conjunx.
It gemitus toto ſinuoſa per aequora coelo.
Pars tenues flatus, & adhuc ſtridentia prenſant
Vulnera: pars ſera conponunt lumina dextra.
At verò, in mediis exſangui rege reperto
Aggeribus, triſti ſileant ceu cetera planctu,
Sic famulûm matrumque dolor, ſic omnis ad unum
Verſa manus. circa lacrimis ac mentibus aegri
Stant Minyae: deflentque nefas, & cuſpidis ictus
Aeſoniae; ſortemque ducis ſolantur acerbam.
Ille ubi concretos pingui jam ſanguine crines,
Pallenteſque genas, infractaque pectore caro
Tela, neque heſternos agnovit in hoſpite vultus;
Ingemit, atque artus fatur conplexus amicos:
Te tamen ignarum tanti, miſerande, furoris
Nox habet, & nullo teſtantem foedera queſtu;

At mihi luctificum venit jubar. en quibus adſum
Conloquiis? cui me hoſpitio Fortuna revexit?
Exſtinguine mea (fatis hoc defuit unum?)
Speravi te poſſe manu? taliſve reliqui
Has ego, amice, domos? quod ſi jam bella manebant;
Et placitum hoc Superis: nonne haec mea juſtius eſſent
Funera? meque tuus potius nunc plangeret error?
Nec Clarii nunc antra dei, quercuſque Tonantis
Arguerem. taleſne acies, taleſne triumphos
Sorte dabant? tantumne nefas mens conſcia vatum
Conticuit, patriae exitium crudele ſenectae,
Et tot acerba canens? heu divis viſa ſiniſtris
Regna mihi! quinam reditus? quae me hoſpita tellus
Accipiet? quae non primis prohibebit harenis?
Invidere dei, ne Phaſidis arva remoti,
Et Scythicas populatus opes, haec rurſus adirem
Litora; neve tuos irem tunc ultor in hoſtes.
Fas tamen eſt conferre genas; fas jungere tecum
Pectora, & exſangues miſcere amplexibus artus.
Vos, age, funereas ad litora volvite ſilvas,
Et ſocios luſtrate rogos; date debita caeſis
Munera, quae noſtro miſiſſet Cyzicus igni.
Parte alia Clyte laceras ſuper ora mariti
Fuſa comas, miſera in planctus vocat agmina matrum;
Fatur & haec: Primis conjunx ereptus in annis
Cuncta trahis: necdum ſuboles, nec gaudia de te
Ulla mihi; quîs moeſta tuos nunc, optime, caſus
Perpeterer, tenui luctum ſolamine fallens.
Mygdonis ora patrem, funeſtaque proelia nuper
Natales rapuere domos; Triviaeque potentis
Occidit arcana genetrix abſumta ſagitta:
Tu mihi qui conjunx pariter fraterque parenſque
Solus, & à prima fueras ſpes una juventa,
Deſeris heu; totamque deus ſimul inpulit urbem!
Aſt ego non media te ſaltem, Cyzice, vidi
Tendentem mihi morte manus; aut ulla monentis
Verba tuli. quin & thalamis modo queſta morari,
Heu talem tantique metûs ſecura recepi?

Digitized by Google

Illam vix gemino moerens cum Caſtore Pollux
Erigit haerentem, conpreſſaque colla trahentem.
Intereà innumeras undatis montibus urguent
Certatim decorantque pyras; & corpora moeſti
Summa locant: vadit ſonipes cervice remiſſa;
Venatrix nec turba canum, pecudumque morantur:
Funereae quae cuique manus, quae cura ſuorum,
Quae fortuna fuit. medio rex aggere longè
Eminet; hunc crebris quatiens ſingultibus ora
Adlevat Aeſonides, celſoque reponit in oſtro.
Dat pictas auro atque ardentes murice veſtes,
Quas rapuit telis feſtina vocantibus auſtris
Hypſipyle: galeam dilectaque cingula regi
Injicit: ille, ſuam vultum converſus ad urbem,
Sceptra manu veterum retinet geſtamen avorum.
Nam quia nec proles, alius nec denique ſanguis,
Ipſe decus regnique refert inſigne paterni.
Inde, ter armatos Minyis referentibus orbes,
Concuſſi tremuere rogi: ter inhorruit aether,
Luctificum clangente tuba: jecere ſupremo
Tum clamore faces. rerum labor omnis in auras
Solvitur, & celſis conlucent aequora flammis.
Scilicet haec illo juvenem populoſque manebant
Tempore; Peliacis caderet cum montibus arbor:
Hoc volucrumque minae, praeſagaque fulmina longo
Acta mari tulerant. ſed quis non prima refellat
Monſtra deûm, longoſque ſibi non auguret annos?
Jamque ſolutus honos cineri: jam paſſibus aegris
Dilapſae cum prole nurus: tandemque quieſcunt
Diſſona pervigili planctu juga. qualiter Arctos
Ad patrias avibus medio jam vere revectis
Memphis, & aprici ſtatio ſilet annua Nili.
At non inde dies, neque magnis aſpera curis
Nox Minyas tanta caeſorum ab imagine ſolvit.
Bis Zephyri jam vela vocant; fiducia moeſtis
Nulla viris: aegro aſſiduè mens carpitur aeſtu:
Necdum omnes lacrimas, atque omnia reddita caeſis
Juſta putant: patria ex oculis, acerque laborum

Digitized by Google

Pulſus amor; ſegnique juvat frigeſcere luctu.
Ipſe etiam Aeſonides (quamquam triſtiſſima rerum
Caſtiganda duci, vultuque premenda ſereno)
Dulcibus indulget lacrimis, aperitque dolorem.
Tum ſecreta trahens Phoebeum ad litora Mopſum:
Quaenam, ait, iſta lues? aut quae ſententia divûm?
Decretuſne venit fato pavor? an tibi nectunt
Corda moras? cur inmemores famaeque lariſque
Angimur? aut pariet quemnam haec ignavia finem?
Dicam, ait, ac penitus cauſſas labemque docebo,
Mopſus; & aſtra tuens: Non ſi mortalia membra,
Sortituſque breves, & parvi tempora fati
Perpetimur, ſocius ſuperi quondam ignis Olympi;
Fas ideo miſcere neces: ferroque morantes
Exigere hinc animas, redituraque ſemina coelo.
Quippe nec in ventos, nec in ultima ſolvimur oſſa:
Ira manet, duratque dolor: cùm deinde tremendi
Ad ſolium venêre Jovis, queſtuque nefandam
Edocuere necem; patet ollis janua leti;
Atque iterum remeare licet: comes una ſororum
Additur, & pariter terras atque aequora luſtrant.
Quiſque ſuos ſontes, inimicaque pectora poenis
Inplicat; & varia meritos formidine pulſant.
At quibus invito maduerunt ſanguine dextrae,
Si fors laeva tulit miſeros, & proxima culpae;
Hos variis mens ipſa modis agit: & ſua carpunt
Facta viros reſides: & jam nil amplius auſi,
In lacrimas, humileſque metus, aegramque fatiſcunt
Segnitiem: quos ecce vides. ſed noſtra requiret
Cura viam, memori jam pridem cognita vate.
Eſt procul, ad Stygiae devexa ſilentia noctis,
Eumenidum domus, & ſuperis incognita tellus,
Caeruleo tenebroſa ſitu: quo flammea numquam
Sol juga, ſidereos nec mittit Juppiter annos:
Stant tacitae frondes; inmôtaque ſilva comanti
Horret verna jugo: ſpecus umbrarumque meatus
Subter, & Oceani praeceps fragor; arvaque nigro
Vaſta m[illegible] ſubitae poſt longa ſilentia voces.

Enſi

Enſifer hîc, atraque ſedens in veſte Celeneus;
Inſontes errore luit: culpamque remittens,
Carmina turbatos volvit placantia manes.
Ille mihi, quae danda forent luſtramina caeſis,
Prodidit: ille volens Erebum terraſque retexit.
Ergo ubi puniceas oriens adſcenderit undas;
Tu ſocios adhibere ſacris, armentaque magnis
Bina deis: me jam coetus accedere veſtros
Haud fas intereà; donec luſtralia pernox
Vota fero. movet en gelidos Latonia currus.
Flecte gradum; placitis ſileant age litora coeptis.
Jamque ſopor mediis tellurem preſſerat horis,
Et circum tacito volitabant ſomnia mundo:
Cùm vigil arcani ſpeculatus tempora ſacri
Ampycides, petit adverſis Aeſepia ſilvis
Flumina, & aequoreas pariter decurrit ad undas.
Hic ſale purpureo, vivaque nitentia lympha
Membra novat; ſeque horrificis adcommodat actis.
Tempora tum vittis & ſupplice caſtus oliva
Inplicat, & ſtricto deſignat litora ferro:
Circum humiles aras, ignotaque nomina divûm
Inſtituit; ſilvaque ſuper contriſtat opaca.
Utque metum numenque loco, ſacramque quietem
Addidit; ardenti nitidum jubar evocat alto.
Atque Argoa manus variis inſignis in armis
Ibat, agens lectas aurata fronte bidentes.
Delius hîc longè candenti veſte ſacerdos
Occurrit, ramoque vocat: jamque ipſe recenti
Stat tumulo, placida tranſmittens agmina lauro:
Ducit & ad fluvios, ac vincula ſolvere monſtrat
Prima pedum; glaucaſque comis praetexere frondes
Imperat. hinc altè Phoebi ſurgentis ad orbem
Ferre manus, totiſque ſimul procumbere campis.
Tunc piceae mactantur oves; proſectaque partim
Pectora, per medios partim gerit obvius Idmon.
Ter tacitos egere gradus; ter triſtia tangens
Arma ſimul veſteſque virûm, luſtramina ponto
Pone jacit: rapidis adolentur cetera flammis.

Quin etiam truncas nemorum effigieſque virorum
Rite locat quercus; ſimulataque ſubligat arma.
Huc Stygias tranſire minas, iramque ſeveri
Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas:
Atque ita luſtrifico cantu vocat: Ite peremti,
Ac memores abolete animas; ſint otia vobis,
Sit Stygiae jam ſedis amor. procul agmine noſtro,
Et procul eſte mari: cunctiſque abſiſtite bellis.
Vos ego nec Grajas umquam contendere ad urbes,
Nec triviis ululare velim; pecorique ſatiſque
Nullae adeo peſtes, nec luctifer ingruat annus:
Nec populi, noſtrive luant ea facta minores.
Dixerat: & ſummas frondentibus intulit aris,
Libavitque dapes; placidi quas protinus angues,
Umbrarum famuli, linguis rapuere coruſcis.
Continuò puppim petere, & conſidere tranſtris
Imperat Ampycides; nec viſum vertere terrae:
Exciderint quae geſta manu, quae debita fatis.
Illi alacres pars arma locant, pars ardua celſis
Inſternunt tabulata foris: oriturque trementum
Remorum ſonus, & laetae concordia vocis.
Juppiter urguentem ceu ſumma Ceraunia nubem
Cum pepulit, movitque jugis; fulſere repente
Et nemora & ſcopuli, nitiduſque reducitur aether.
Sic animi rediere viris: jamque ipſe magiſter
Nutat ab arce ratis, remiſque obſiſtere tendit.
Inſtaurant primi certamina, liber amictu
Eurytus, & dictis Talai non territus Idas:
Inde alii increpitant; atque aequora pectore tollunt.
Par gemitu pulſuque labor: verſumque viciſſim
Mittitur in puppim remo mare. laetus & ipſe
Alcides: Quiſnam hos vocat in certamina fluctus?
Dixit: &, intortis adſurgens arduus undis,
Percuſſit ſubito deceptum fragmine pectus:
Atque in terga ruens, Talaum, fortemque Eribotem,
Et longè tantae ſecurum Amphiona molis
Obruit; inque tuo poſuit caput, Iphite, tranſtro.
Jam ſummas coeli Phoebus candentior arces

Vi-

Vicerat. & longas medius revocaverat umbras.
Tardior hinc ceſſante Euro, quae proxima Tiphys
Litora, quoſque dabat denſa trabe Myſia montes,
Advehitur. petit excelſas Tirynthius ornos:
Haeret Hylas lateri, paſſuſque moratur iniquos.
Illum ubi Juno, poli ſummo de vertice, puppim
Deſeruiſſe videt; tempus rata diva nocendi;
Pallada conſortem curis curſuſque regentem
(Ne qua inde inceptis fieret mora) fallere prima
Molitur; caroque dolis avertere fratri.
Tunc ſic adloquitur: Procerum vi pulſis iniqua
*Germanique manu; repetit quo crimine Perſes;
Barbaricas jam movit opes Hyrcanaque ſigna:
AEëtes contrà thalamis & virgine pacta
Conciliat reges Scythicos; primuſque coacta
Advehit Albana Styrus gener agmina porta.
Bellum ingens: atque ipſe citis Gradivus habenis
Fundit equos. viden' Arctoo de carcere quanta
Tollat ſe nubes, atque aequore pendeat atro?
Corripe prima vias; finem cùm Phaſidis alti
Tranſierit Perſes, aciemque admoverit urbi,
Coepta refer; paulumque nefas & foedera necte,
Conſiliis atque arte tua. ſponde, adfore reges
Dîs genitos, quîs arma volens, quîs agmina jungat.
At virgo, quamquam inſidias aeſtuſque novercae
Sentiat, & blandos quaerentem fingere vultus,
Obſequitur tamen, & juſſas petit ocius oras.
Ingemuit Juno, tandemque ſilentia rumpit:
En labor; en odiis caput inſuperabile noſtris.
Quam Nemeen tot feſſa minis, quae bellua Lernae
Experiar? Phrygiis ultro concurrere monſtris
Nempe virum, & pulchro reſerantem Pergama ponto
Vidimus. en ego nunc regum ſoror: & mihi gentis
Ullus honos? jam tum indecores, juſtaeq; dolorum
Primitiae, & tenero ſuperati protinus angues.
Debueram nullos juveni jam quaerere caſus,
Victa nec ad tales forſan deſcendere pugnas:
Verùm animis inſiſte tuis; aſtumque per omnem

Digitized by Google

Tende pudor: mox & Furias Ditemque movebo.
Haec ait; & pariter laevi juga pinea montis
Reſpicit, ac pulchro venantes agmine Nymphas,
Undarum nemorumque decus. levis omnibus arcus,
Et manicae virides, & ſtricta myrtus avena;
Summo palla genu; tenui vagus innatat umbra
Crinis, ad obſcurae decurrens cingula mammae.
Ipſa citatarum tellus pede plauſa ſororum
Perſonat; & teneris ſubmittit gramina plantis.
E quibus Herculeo Dryope percuſſa fragore,
Cùm fugerent jam tela ferae, proceſſerat ultra
Turbatum viſura nemus; fontemque petebat
Rurſus, & attonitos referebat ab Hercule vultus.
Hanc delapſa polo, piceaeque adclinis opacae
Juno vocat, prenſaque manu ſic blanda profatur:
Quem tibi conjugio tot dedignata dicavi
Nympha procos, en Haemonia puer adpulit alno,
Clarus Hylas; ſaltuſque tuos,ronteſque pererrat.
Vidiſti, roſeis haec per loca Bacchus habenis
Cùm domitas acies, & Eoi fercula regni
Duceret: ac rurſus thiaſos & ſacra moventem
Hunc tibi, vel poſito venantem pectine Phoebum,
Crede dari. quae ſpes Nymphis aufertur Achaeis!
Praereptum quanto proles Baebeïa queſtu
Audiet, & flavi quam triſtis nata Lycormae!
Sic ait; & celerem frondoſa per avia cervum
Suſcitat; ac juveni ſublimen cornibus offert.
Ille animos tarduſque fugae longumque reſiſtens
Sollicitat, ſuadetque pari contendere curſu.
Credit Hylas; praedaeque ferox ardore propinquae
Inſequitur: ſimul Alcides hortatibus urguet
Proſpiciens: jamque ex oculis aufertur uterque.
Cùm puerum inſtantem quadrupes feſſaque minantem
Tela manu procul ad nitidi ſpiracula fontis
Ducit, & intactas levis ipſe ſuperfugit undas.
Hoc pueri ſpes luſa modo eſt, nec tendere certat
Amplius: utque artus & concita pectora ſudor
Diluerat; gratos avidus procumbit ad amnes.

Sta-

Digitized by Google

Stagna vaga ſic luce micant, ubi Cynthia coelo
Proſpicit, aut medii tranſit rota candida Phoebi:
Tale jubar diffudit aquis; nil umbra, comaeque,
Turbavitqve ſonus ſurgentis ad oſcula Nymphae.
Illa avidas injecta manus, heu ſera cientem
Auxilia, & magni referentem nomen amici,
Detrahit: adjutae prono nam pondere vires.
Jam pater umbroſis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat, magnoque jugi ſtridore revulſas
Terga ſuper fulvi porrexerat horrida monſtri,
Litora curva petens: alio nam calle reverſum
Credit Hylan, captaque dapes auxiſſe ferina.
Sed neque apud ſocios, ſtructaſque in litore menſas
Unanimum videt aeger Hylan; nec longius acrem
Intendens aciem. varios hinc excitat aeſtus,
Nube mali percuſſus amor: quibus haeſerit oris;
Quis tales inpune moras caſuſve laborve
Attulerit: denſam interea deſcendere noctem
Jam majore metu: tum vero & pallor & amens
Cum piceo ſudore rigor. ceu pectora nautis
Congelat hiberni vultus Jovis agricoliſve;
Cùm coit umbra minax: comitis ſic adficit error
Alciden, ſaevaeque monet meminiſſe novercae.
Continuò, volucri ceu pectora tactus aſylo,
Emicuit Calabris taurus per confraga ſeptis,
Obvia quaeque ruens: tali ſe concitat ardens
In juga ſenta fuga. pavet omnis conſcia latè
Silva; pavent montes; luctu ſuccenſus acerbo
Quid ſtruat Alcides, tantaque quid adparet ira.
Ille, velut refugi quem contigit inproba Mauri
Lancea, ſanguineus vaſto leo murmure fertur,
Frangit & abſentem vacuis ſub dentibus hoſtem;
Sic Furiis accenſa gerens Tirynthius ora
Fertur; & intento decurrit montibus arcu.
Heu miſerae, quibus ille, ferae, quibus incidit uſquam
Inmeritis per luſtra viris! volat ordine nullo
Cuncta petens; nunc ad ripas, dejectaque ſaxis
Flumina; nunc notas nemorum procurrit ad umbras:

Rurſus Hylan, & rurſus Hylan per longa reclamat
Avia: reſponſant ſilvae, & vaga certat imago.
At ſociis inmota fides, auſtriſque ſecundis
Certa morae: nec parvus Hylas: quamquam omnibus aeque
Grata rudimenta, Herculeo ſub nomine pendent.
Illum omnes lacrimis, moeſtique repoſcere votis;
Incertique metu, nunc longas litore voces
Spargere: nunc feris oſtendere noctibus ignes.
Ipſe, vel excelſi cùm denſa ſilentia montis,
Strata vel oblatis ductor videt aequora ventis,
Stat lacrimans; magnoque viri cunctatur amore
Illius inceſſus, habilemque ad terga pharetram;
Illum inter proceres, moeſtaeque ſilentia menſae
Quaerit inops, quondam ingenti conprenſa trahentem
Vina manu, & durae referentem monſtra novercae:
Nec minus intereà crudelis Iäpyga Juno
Aſſiduè movet, & primis cum ſolibus offert.
Jamque morae inpatiens, cunctantes increpat auſus
Tiphys; & oblato monet otia rumpere curſu.
Ergo animum flexus dictis inſtantis Iäſon
Concedit; ſocioſque ſimul ſic fatur ad omnes:
O utinam, Scythicis ſtruerem cùm funera terris,
Vox mihi mentitas tulerit Parnaſia ſortes;
Agmine de tanto ſociûm, qui maximus armis
Adforet, hunc Jovis imperiis fatoque teneri,
Ante procelloſum ſcopulis errantibus aequor.
Nec dum fama viri, nec certior exſtitit auctor.
Verùm agite, & dubiis variant quia pectora curis,
Conſulite: &, motis ſeu vos via flatibus urguet;
Pergite, & inceptos mecum revocate labores:
Seu plures tolerare moras, rurſuſque propinquis
Quaeſiviſſe jugis; pretium haud leve temporis acti.
Dixerat. & ſtudiis jamdudum freta juventus
Orat inire vias: unum tanto adfore coetu;
Nec minus in ſeſe generis, dextraſque potentes
Eſſe ferunt. tali mentem pars maxima flatu
Erigit, & vana gliſcunt praecordia lingua.

Salti-

Saltibus ut mediis tum demum laeta reducit
Cerva gregem; tum geſtit aper, reboatque ſuperbis
Comminus urſa lupis; cùm ſeſe Martia tigris
Abſtulit, aut curvo tacitus leo condidit antro.
At pius ingenti Telamon jam fluctuat ira
Cum fremitu, ſaeviſque furens in jurgia dictis
Inſequitur, magnoque inplorat numina queſtu.
Idem orans prenſatque viros, demiſſaque ſupplex
Haeret ad ora ducis; nil ſe ſuper Hercule fari,
Sed ſocio quocum̃que gemens: quamquam aſpera fama,
Jam loca, jamque feras per barbara litora gentes;
Non alium contra Alciden, non pectora tanta
Poſſe dari. rurſum inſtimulat, ducitque faventes
Magnanimus Calydone ſatus; potioribus ille
Deteriora fovens, ſemperque inverſa tueri
Durus, & haud ullis umquam ſuperabilis aequis,
Rectorumve memor: Non Herculis, inquit, ademti,
Sed tuus in ſeros haec noſtra ſilentia queſtus
Traxit honor; dum jura dares, dum tempora fandi.
Septimus hic celſis deſcendit montibus auſter,
Jamque ratem Scythicis forſan ſtatuiſſet in oris;;
Nos patriae inmemores, maneant ceu nulla revectos
Gaudia, ſed duro ſaevae ſub rege Mycenae;
Ad medium cunctamur iter. ſi finibus ullis
Has tolerare moras, & inania tempora poſſem;
Regna hodie, & dulcem ſceptris Calydona tenerem,
Laetus opum paciſque meae: tutuſque manerem,
Quis genitor materque, locis. quid deſide terra
Haeremus? vacuos cur laſſant aequora viſus?
Tun' comitem Alciden ad Phaſidis amplius arva
Adfore, tu ſocias ultra tibi rere pharetras?]
Non ea fax odiis; oblitaque numine feſſo
Juno ſui. nova Tartareo, fors, ſemine monſtra,
Atque iterum Inachiis jam nuntius urguet ab Argis.
Non datur haec magni proles Iovis; at tibi Pollux
Stirpe pares Caſtorque manent, at cetera divûm
Progenies; nec parva mihi fiducia gentis.

Aſt egomet quocumque voces, qua tegmina ferro
Plura metam; tibi dicta manus, tibi quidquid in ipſo
Sanguine erit: jamque hinc, operum quae maxima, poſco.
Scilicet in ſolis profugi ſtetit Herculis armis
Noſtra ſalus? nempe ora aeque mortalia cuncti
Ecce gerunt: ibunt aequo nempe ordine remi.
Ille, vel inſano jam dudum turbidus aeſtu,
Vel parta jam laude tumens, conſortia famae
Deſpicit, ac noſtris ferri comes abnuit actis.
Vos, quibus & virtus, & ſpes in limine primo,
Tendite; dum rerum patiens calor, & rude membris
Robur ineſt: nec enim ſolis dare funera Colchis
Sit ſatis, & tota pelagus luſtraſſe juventa.
Spes mihi, quae tali potuit longiſſima caſu
Eſſe, fuit: quiſcumque virum perquirere ſilvis
Egit amor: loca vociferans non ulla reliqui.
Nunc quoque, dum vario nutat ſententia motu,
Cernere devexis redeuntem montibus opto.
Sat lacrimis comitique datum; quem ſortibus aevi
Crede, vel in mediae raptum tibi ſanguine pugnae.
Talibus Oenides urguet. ſimul incita dictis
Heroum manus. ante omnes Argoa jubebat
Vincla rapi Calais. furias miratur ovantum
Aeacides: multuſque viri cunctantia corda
Fert dolor; an ſeſe comitem tam triſtibus actis
Abneget, & celſi moerens petat ardua montis.
Non tamen & gemitus, & inanes deſinit iras
Fundere: Quis terris, prô Juppiter, inquit, Achaeis
Iſte dies! ſaevi capient quae gaudia Colchi!
Non hi tum flatus, non iſta ſuperbia dictis,
Litore cum patrio, jam vela petentibus auſtris,
Cunctus ad Alciden verſus favor. ipſe juvaret,
Ipſe ducis curas, meritoſque ſubiret honores.
Jamne animis, jam gente pares, atque inclita vulgi
Dextera? nulla fides, nulli ſuper Hercule fletus?
Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles,
Aſpera nunc pavidos contra ruit agna leones?

Hanc

Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam,
Quae neque jam frondes, virides nec proferet umbras,
Ut ſemel eſt evulſa jugis, ac matre peremta
Fida miniſteria, & duras obit horrida pugnas,
Teſtor: & hoc omni ductor tibi numine firmo:
Saepe metu, ſaepe in tenui diſcrimine rerum,
Herculeas jam ſerus opes, ſpretique vocabis
Arma viri: nec nos tumida haec tum dicta juvabunt.
Talibus Aeacides ſocios terroribus urguens
Inlacrimat; multaque comas deformat harena.
Fata trahunt: raptuſque virûm certamine ductor
Ibat, & obtenta mulcebat lumina palla.
Hîc verò ingenti repetuntur pectora luctu:
Ut ſocii ſedere locis, nullaeque leonis
Exuviae; tantique vacant veſtigia tranſtri:
Flet pius Aacides: moerent Paeantia corda:
Ingemit & dulci frater cum Caſtore Pollux.
Omnis adhuc vocat Alciden, fugiente carina,
Omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto.
Dat procul intereà toto pater aequore ſignum
Phorcys; & inmanes intorto murice phocas
Contrahit antra petens: ſimul & Maſſylus, & una
Lyctius, & Calabris redit armentarius arvis.
Ilicet extremi nox litore Solis Hiberas
Condidit alta domos, & ſidera ſuſtulit aſtris.
Flamina conticuere; jacet ſine fluctibus aequor.
Amphitryoniades, nec quae nova luſtra requirat,
Nec quo tentet iter, comitis nec fata peremti
Quae referat, videt, aut ſocios qua mente reviſat.
Urit amor; ſoliſque negat decedere ſilvis.
Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtae
*Terga dedit; ſedet inde viis: incluſaque longo
*Pervigilant caſtella metu: dolor attrahit orbes
Intereà, & miſero manat juba ſordida luctu.

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON

LIBER QUARTUS.

ATque ea non oculis divûm pater amplius aequis
Suſtinuit: natique pios miſeratus amores,
Junonem ardenti trepidam gravis increpat ira:
Ut nova nunc tacito te pectore gaudia tollunt!
Haeret inops, ſoliſque furit Tirynthius oris.
At comite inmemores Minyae facileſque relicto
Alta tenent: ſic Iuno ducem fovet anxia curis
Aeſonium, ſic arma viro ſocioſque miniſtrat.
Jam, quibus inſertam bellis, Scythicaeque paventem
Gentis opes, quanta trepidam formidine cernam!
Tum precibus, tum me lacrimis, & ſupplice dextra
Attentare veto: rerum mihi firma poteſtas.
I, Furias Veneremque move: dabit impia poenas
Virgo, nec Aeëtae gemitus patiemur inultos.
Dixit, & arcano redolentem nectare rorem,
Quem penes alta quies, liquidique potentia ſomni,
Detulit, inque vagi libavit tempora nati.
Ille graves oculos & Hylan reſonantia ſemper
Ora ferens, ut nulla deum ſuperare poteſtas,
Procumbit. tandem feſſis pax reddita ſilvis:
Fluminaque, & vacuis auditae montibus aurae.
Ecce, puer ſumma ſe tollere viſus ab unda
Frondibus in croceis, & iniquae munere Nymphae;
Stanſque ſuper carum tales caput edere voces:
Quid, pater, in vanos abſumis tempora queſtus?
Hoc nemus, haec fatis mihi jam domus: inproba quo me

*Nym-

Digitized by Google

*Nympha rapit, ſaevae monitu Junonis: inanes
Nunc Iovis acceſſus; & jam mihi limina coeli
Conciliat: jungitque ſuos & fontis honores.
O dolor! ô dulces, quas geſſimus ante, pharetrae!
Jam ſocii laetis rapuerunt vincula ventis;
Hortator poſtquàm furiis & voce nefanda
Inpulit Oenides. verùm cum gente domoque
Iſta luet; ſaevaeque aderunt tua numina matri.
Surge, age, & in duris haud umquam defice; coelo
Mox aderis; teque aſtra ferent: tu ſemper amoris
Sis memor, & cari comitis ne abſcedat imago.
Talibus orantem dictis, viſuque fruentem,
Ille ultro petit; & vacuis amplexibus inſtat:
Languentiſque movet fruſtra conamina dextræ.
Corpus hebet ſomno, refugaque eluditur umbra;
Tum lacrimis, tum voce ſequi; tum rumpere queſtus;
Cùm ſopor & vano ſpes moeſta reſolvitur actu.
Fluctus ab undiſoni ceu forte crepidine ſaxi
Cum rapit Halcyones miſerae foetumque laremque;
It ſuper aegra parens: queriturque tumentibus undis,
Certa ſequi quocumque ferant; audetque, pavetque;
Icta fatiſcit aquis donec domus, hauſtaque fluctu eſt:
Illa dolens vocem dedit, & ſe ſuſtulit alis.
Haud aliter ſomni moeſtus labor. exſilit amens,
Effuſiſque genas lacrimis rigat: Ibimus, inquit;
Solus & hos montes deſertaque luſtra tenebis,
Care puer? nec res ultra mirabere noſtras?
Haec fatus relegitque vias, & vallibus exit,
Incertus quid Iuno ferat, quas adparet iras.
Nec minus & ſocios cernit procul aequore ferri
Praecipites; tacitumque pudet potuiſſe relinqui.
Jamque iter ad Teucros, atque hoſpita moenia Trojae
Flexerat; Iliaci repetens promiſſa Tyranni:
Cum moeſto Latona ſimul Dianaque vultu
Ante Iovem ſtetit; & ſupplex ſic fatur Apollo:
In quem alium Alciden, in quae jam tempora differs
Caucaſium, rex magne, ſenem? nullumne malorum
Finem adeò poenaeque dabis? te cuncta precantur

Gen-

Digitized by Google

Gens hominum; atq; ipſi jam te, pater optime, montes,
Feſſaque cum ſilvis orant juga. ſat tibi furtum
Ignis, & aetheriae defenſa ſilentia menſae.
*Exit ubi è ſcopulis, media inter pabula diri
Vulturis. ipſum etiam gemitu moeſtaque fatigat
Voce Iovem, ſaevis relevans ambuſta pruinis
Lumina: congeminant amnes rupeſque fragorem
Caucaſiae: ſtupet ipſe dei clamoribus ales.
Tunc etiam ſuperas Acheronte auditur ad arces
Iäpetus gravis: orantem procul arcet Erinnys,
Reſpiciens celſi legem Iovis: illе, dearum
Fletibus & magno Phoebi conmotus honore,
Velocem roſeis demittit nubibus Irim:
I, Phrygas Alcides, & Trojae differat arma;
Hunc, ait, eripiat dirae Titana volucri.
Diva volat; defertque viro celeranda parentis
Imperia; atque alacrem laetis hortatibus inplet.
Jam Minyae mediis clarae per ſidera noctis
Fluctibus intulerant placido cava lintea curſu;
Multaque deſerto memores ſuper Hercule volvunt.
Thracius at ſumma ſociis è puppe ſacerdos,
Fata deûm, & miſerae ſolans incommoda vitae,
Securum numeris agit & medicabile carmen:
Quod ſimul adſumta pulſum fide; luctus, & irae,
Et labor, & dulces cedunt è pectore nati.
Intereà, magni jamjam ſubeuntibus aſtris
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra ſonant: Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum jubar & biſſeno ſidere textam
Loricam induitur: ligat hanc, qui nubila contra
Balteus undantem variat mortalibus arcum.
Inde ſuper terras & Eoi cornua montis
Emicuit, traxitque diem candentibus undis:
Et Minyas viſo liquerunt flamina Phoebo.
Proxima Bebrycii panduntur litora regni;
Pingue ſolum, & duris regio non invida tauris.
Rex Amycus. regis fatis & numine freti
Non muris cinxere domos; non foedera legum

Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.
Quales Aetnaeis rabidi Cyclopes in antris
Nocte ſub hiberna ſervant freta; ſicubi ſaevis
Advectet ratis acta Notis tibi pabula dira,
Et miſeras, Polypheme, dapes: ſic undique in omnes
Proſpiciunt, curſantque vias qui corpora regi
Capta trahant. ea Neptuno trux ipſe parenti
Sacrifici pro rupe jugi, media aequora ſupra,
Torquet agens. ſin forma viris praeſtantior adſit;
Tum legere arma jubet, ſumtiſque occurrere contra
Caeſtibus. haec miſeri ſors eſt aequiſſima leti.
Huc ubi devectam Neptunus gurgite puppim
Senſit; & extremum nati proſpexit in oras,
Et quondam laetos domini certamine campos;
Ingemit, ac tales evolvit pectore queſtus:
Infelix, imas quondam mihi rapta ſub undas,
Nec potius magno, Melie, tum mixta Tonanti:
Uſq; adeone meam quacumque ob origine prolem
Triſtia fata manent? ſic te olim pergere ſenſi
Juppiter, injuſtae quando mihi virginis armis
Concidit infelix, & nunc chaos inplet, Orion.
Nec tibi nunc virtus, aut det fiducia noſtri,
Nate, animos: opibuſque ultra ne crede paternis.
Jamjam aliae vires majoraque ſanguine noſtro
Vincunt fata Iovis; potior cui cura ſuorum eſt.
Atque adeo, neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuive ratem: nec jam mora morti
Hinc erit ulla tuae, reges doliture ſecundos.
Abſtulit inde oculos, natumque & triſtia linquens
Proelia, ſanguineo terras pater adluit aeſtu.
Principio fluvios, gentemque, & litora ductor
Explorare jubet: paullumque egreſſus Echion,
Invenit obſcura gemitus in valle trahentem
Clam juvenem; & caeſi moerentem nomen amici.
Ille, virum ut contrà venientem, umbrataque vidit
Tempora Parrhaſio patris de more galero,
Paciferaeque manu nequicquam inſignia virgae,
Heu fuge, ait, certo quicumque es, perdite, paſſu,

Digitized by Google

Dum datur. obſtupuit viſu Nonacria proles,
Quid ferat admirans. poſtquam remeare monentem
Ocius, & dictis perſtantem cernit in îſdem;
Arripit, & ſociis, quae ſint ea, promere cogit.
Ille manum tendens, Non haec, ait, hoſpita vobis
Terra, viri; non hîc ullos reverentia ritus
Pectora: mors habitat, ſaevaeque hoc litore pugnae.
Jam veniet diros Amycus qui tollere caeſtus
Imperet, & vaſto qui vertice nubila pulſet.
Talis in advectos Neptuni credita proles
Aeternùm furit: atque aequae virtutis egentes,
Ceu ſuperûm ſegnes ad iniqua altaria tauros,
Conſtituit: tandem ut miſero lavet arma cerebro.
Conſulite, atque fugae medium ne temnite tempus.
Namque iſti fruſtra quiſquam concurrere monſtro
Audeat. & quaenam talem vidiſſe voluptas?
Ductor ad haec: Bebryxne venis, diverſaque regi
Corda gerens? (melior vulgi nam ſaepe voluntas.)
Hoſtis an externis fato delatus ab oris?
Et tua cur Amycus caeſtu nondum obruit ora?
Nomen, ait, praedulce mihi, nomenque ſecutus
Otreos unanimi: decus ille, & laeta ſuorum
Gloria, nec veſtros comes aſpernandus in actus,
Heſionam & Phrygiae peteret cum gaudia nuptae,
Hic Amycum contrà juſſus ſtetit: atque ego palmas
Inplicui: ſed prima procul vix dum ora levantis
Fulminea frontem dextra disjectaque fudit
Lumina, me numquam leto dignatus & armis.
Sed lacrimis potiùs luctuque abſumor inerti.
Spes tamen, his fando ſi nuntius exſtitit oris,
Et Mariandynûm patrias penetravit ad urbes,
Unde genus fraterque viro: ſed & ille quierit
Oro; nec à vanis cladem Lycus augeat armis.
Haec ubi non ulla juvenes formidine moti
Accipiunt: dolor & duras inſurgere mentes,
Terga ſequi, properoſque jubet conjungere greſſus.
Litore in extremo ſpelunca apparuit ingens,
Arboribus ſuper & dorſo contecta minanti;

Non

Digitized by Google

Non quae dona deûm, non quae trahat aetheris ignem;
Infelix domus, & ſonitu tremebunda profundi;
Et varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, ſtrictoque inmortua caeſtu,
Oſſaque taetra ſitu; & capitum moeſtiſſimus ordo.
Reſpicias, quibus adverſo ſub vulnere nulla
Jam facies, nec nomen erat: media ipſius arma
Sacra metu, magnique aris inpoſta parentis.
Hoſpitis hic primum monitus rediere Timantis;
Et pavor, & monſtri ſubiit abſentis imago:
Atque oculos cuncti inter ſe tenuere ſilentes.
Donec ſidereo Pollux interritus ore,
Te tamen hac, quicumque es, ait, formidine ſaxo
Jam tua ſilva ferat; modò ſint tibi ſanguis & artus.
Omnibus idem animus forti decernere pugna;
Exoptantque virum, contraque occurrere poſcunt.
Qualiter ignotis ſpumantem funditus amnem
Taurus aquis qui primus init, ſpernitque tumentem,
Pandit iter: mox omne pecus formidine pulſa
Pone ſubit: jamque & mediis praecedit ab undis.
At procul è ſilvis ſeſe gregibuſque ferebat
Saevus in antra gigas: quem nec ſua turba tuendo
It tanti ſecura metûs. mortalia nuſquam
Signa manent: inſtar ſcopuli, qui montibus altis
Summus abit, longeque jugo ſtat ſolus ab omni.
Devolat inde furens; nec, quo via, curve profecti,
Nec genus ante rogat; ſed tali protonat ira:
Incipite, ô juvenes. etenim fiducia, credo,
Huc tulit; auditas & ſponte laceſſitis oras.
Sin errore viae, nec dum mens gnara locorum;
Hìc mihi lex, caeſtus adverſaque tollere contrà
Brachia. ſic ingens Aſiae plaga, quique per Arcton
Dexter & in laevum Pontus jacet, haec mea viſit
Hoſpitia: hoc cuncti remeant certamine reges.
Neptuni domus, atque egomet Neptunia proles.
Jam pridem caeſtus reſides, & frigida raris
Dentibus aret humus. qui mecum foedera junget
Prima manu? cui dona fero? mox omnibus idem

Digitized by Google

Ibit honos. fuga ſub terras, fuga nulla per auras:
Nec lacrimae, nec forte preces, ſuperive vocati
Pectora noſtra movent: aliis rex Juppiter oris.
Faxo Bebrycium nequeat tranſcendere puppis
Ulla fretum, & ponto volitet Symplegas inani.
Talia dicta dabat: cùm protinus aſper Iaſon,
Et ſimul Aeacidae, ſimul & Calydonis alumni,
Nelideſque, Idaſque prior, quae maxima ſurgunt
Nomina: ſed nudo ſteterat jam pectore Pollux.
Cùm pavor, & gelidus defixit Caſtora ſanguis.
Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis;
Nec ſonat Oebalius caveae favor, aut juga notae
Taygeti; lavitur patrios ubi victor ad amnes:
Nec pretium ſonipes aut ſacrae taurus harenae;
Praemia ſed manes, recluſaque janua leti.
Illum Amycus, nec fronte trucem, nec mole tremendum,
Vixdum etiam primae ſpargentem ſigna juventae
Ore renidenti, luſtrans obit; & fremit auſum:
Sanguineoſque rotat furiis ardentibus orbes.
Non aliter jam regna poli, jam capta Tiphoëus
Aſtra ferens; Bacchum ante acies, primamque deorum
Pallada, & oppoſitos doluit ſibi virginis angues.
Sic adeò inſequitur, rabidoque ita murmure terret:
Quiſquis es, infelix celera puer; haud tibi pulchrae
Manſerit hoc ultra frontis decus: orave matri
Nota feres. tune è ſociis electus iniquis?
Tune Amyci moriere manu? nec plura moratus,
Ingentes humeros ſpatioſaque pectoris oſſa
Protulit, horrendoſque toris informibus artus.
Deficiunt viſu Minyae: miratur & ipſe
Tyndarides: redit Alcidae jam ſera cupido:
Et vacuos moeſto luſtrarunt lumine montes.
At ſatus aequoreo fatur tunc talia rege:
Aſpice & haec crudis durata volumina tauris,
Nec pete ſortis opem; ſed, quos potes, indue caeſtus.
Dixit, & urguentis poſt ſera piacula fati
Neſcius, extremum hoc, armis innectere palmas

Dat

Digitized by Google

Dat famulis; dat & inde Lacon. odia aſpera ſurgunt
Ignotis prius; atque incenſa mente feruntur
In medium ſanguis Jovis & Neptunia proles.
Hinc illinc dubiis intenta ſilentia votis.
Et pater orantes caeſorum Tartarus umbras
Nube cava tandem ad meritae ſpectacula pugnae
Emittit: ſummi nigreſcunt culmina montis.
Continuò Bebryx, Maleae velut arce fragoſa
Turbo rapax, vix ora virum, vix tollere paſſus
Brachia, torrenti praeceps agit undique nimbo,
Curſibus involvens: totaque inmanis harena
Inſequitur. vigil ille metu, cum pectore & armis
Huc alternus & huc, ſemper cervice reducta,
Semper & in digitis, & ſummi pulvere campi,
Projectuſque redit, ſpumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam ſola magiſtri
Cura tenet, rapidum ventis certantibus aequor
Intemerata ſecat. Pollux ſic providus ictus
Servat, & Oebalia dubium caput eripit arte.
Ut deinde urguentes effudit nubibus iras
Ardoremque viri, paullatim inſurgere feſſo
Integer, & ſummos manibus deducere caeſtus.
Ille dies aegros Amyci ſudoribus artus
Primus, & arenti cunctantem vidit hiatu.
Nec ſua defeſſum noſcunt loca, nec ſua regem
Agmina: reſpirant ambo, paullumque reponunt
Brachia, ceu Lapithas aut Paeonas aequore in ipſo
Dum refovet, fixaque ſilet Gradivus in haſta.
Vix ſteterant, & jam ecce ruunt: inflictaque latè
Terga ſonant: nova vis iterum, nova corpora ſurgunt.
Hunc pudor, hunc noto jam ſpes audentior hoſte
Inſtimulat. fumant crebro praecordia pulſu.
Avia reſponſant gemitu juga. pervigil ut cum
Artificum notat ipſe manus, & fulmina Cyclops
Proſubigit; pulſis trepitant incudibus urbes.
Emicat hic, dextramque parat, dextramque minatur
Tyndarides. redit huc oculis & pondere Bebryx
Sic ratus: ille autem celeri rapit ora ſiniſtra.

Con-

Digitized by Google

Conclamant ſocii, & ſubitas dant gaudia voces.
Illum inſperata turbatum fraude, furentemque
Oebalides prima refugit, dum detonet ira,
Territus ipſe etiam, atque ingentis conſcius auſi.
Saevit inops Amycus, nullo diſcrimine ſeſe
Praecipitans; aviduſque viri (reſpectat ovantes
Quippe procul Minyas) caeſtu velatus utroque
Inruit. hos inter Pollux ſubit, & trucis ultro
Advolat ora viri: nec ſpes effoeta; ſed ambae
In pectus cecidere manus. hoc ſaevior ille,
Ecce iterum vacuas agit inconſulta per auras
Brachia. ſentit enim Pollux rationis egentem:
Dat genibus junctis latus, effuſumque ſecutus
Haud revocare gradus patitur: turbatque, premitque
Ancipitem; crebros & liber congerit ictus
Deſuper averſo: ſonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditque malis. jam tempora manant,
Sanguineaeque latent aures: vitalia donec
Vincula, qua primo cervix committitur artu,
Solvit dextra gravis. labentem propulit heros,
Ac ſuper inſiſtens; Pollux ego miſſus Amyclis,
Et Jove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes; ſic & memori noſcêre ſepulcro.
Bebrycas extemplo ſpargit fuga: nullus ademti
Regis amor: montem celeres ſilvamque capeſſunt.
Haec ſors, haec Amycum tandem manus arguit auſi,
Effera ſervantem Ponti loca; vimque juventae
Continuam, & magni ſperantem tempora patris.
Tenditur ille ingens hominum pavor, arvaque latè
Occupat. annoſi veluti ſi decidat olim
Pars Erycis, vel totus Athos. qua mole jacentis
Ipſe etiam expleri victor nequit; oraque longo
Comminus obtutu mirans tenet. at manus omnis
Heroum denſis certatim amplexibus urguent:
Armaque ferre juvat, feſſaſque attollere palmas.
Salve vera Jovis, vera ô Jovis, undique, proles,
Ingeminant: ô magnanimis memoranda palaeſtris
Taygeta, & primi felix labor ille magiſtri!

Dum-

Digitized by Google

Dumque ea dicta ferunt; tenues tamen ire cruores
Siderea de fronte vident. nec ſanguine Pollux
Territus, averſo ſiccabat vulnere caeſtu.
Illius excelſum ramis caput, armaque Caſtor
Inplicat, & viridi connectit tempora lauro:
Reſpicienſque ratem, Patriis, ait, has precor oris
Diva refer frondes, cumque hac freta curre corona.
Dixerat. hinc valida caedunt armenta bipenni;
Perfuſique ſacro placati gurgitis amne
Graminea ſternuntur humo: tunc liba dapeſque
Frondibus adcumulant: exſortia terga Laconi
Praecipiunt pecudum. toto mox tempore menſae
Laetus ovat nunc laude virûm, nunc vatis honoro
Carmine, victori geminans cratera parenti.
Jamque dies auraeque vocant: rurſuſque capeſſunt
Aequora, qua rigidos eructat Boſporos amnes.
Illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Iö
Tranſierat fluctus; unde haec data nomina ponto.
Tum pius Oeagri claro de ſanguine vates,
Admonita genetrice, refert caſuſque locorum,
Inachidoſque vias, pelaguſque emenſa juvencae
Exſilia; intentiſque canit: Vidêre priores
Saepe Jovem, terras Argivaque regna Pelaſgûm
Virginis Iäſiae blandos deſcendere ad ignes.
Sentit Juno dolos, curaque accenſa jugali
Aethere deſiluit: dominam Lyrceïa tellus,
Antraque deprenſae tremuerunt conſcia culpae.
Cùm trepida Inachiae pellex ſubit ora juvencae,
Sponte dei: plauſu fovet hanc, & pectora mulcet
Juno, renidenti cohibens ſuſpiria vultu.
Mox ita adorta Jovem: Da, quam modò ditibus Argis
Campus alit, primae referentem cornua Phoebes,
Indomitamque bovem, da carae munera nuptae.
Ipſa ego dilectae pecudi jam paſcua digna,
Praecipuoſque legam fontes. qua fraude negaret,
Aut quos inventos timuiſſet Juppiter aſtus?
Muneris illa potens cuſtodem protinus Argum
Adjungit: cuſtos Argus placet: inſcia ſomni

Digitized by Google

Lumina non aliter toto cui vertice; quàm ſi
Lyda nurus ſparſo telas maculaverit oſtro.
Argus & in ſcopulos, & monſtris horrida luſtra,
Ignotas jubet ire vias; heu multa morantem,
Conantemque preces incluſaque pectore verba.
Ultima tum patriae cedens dedit oſcula ripae.
Flevit Amymone, flerunt Meſſenides undae,
Flevit & effuſis revocans Hyperia lacertis.
Illa, ubi vel feſſi tremerent erroribus artus,
Vel rueret ſummo jam frigidus aethere veſper,
Heu quotiens ſaxo poſuit latus! aut ubi longa
Aegra ſiti; quos ore lacus, quae pabula carpſit!
Verbere candentes quotiens exhorruit armos!
Quin & ab excelſo meditantem vertice ſaltus,
Audentemque mori, valles citus egit in imas
Argus; & arbitrio durus ſervavit herili.
Cùm ſubitò Arcadio ſonuit cava fiſtula ritu;
Imperiumque patris celerans Cyllenius ales
Advenit, & leni modulatur carmen avena.
Quoque, ait, hinc diverſus abis? heu reſpice cantus.
Haud procul inſectans Argum, languentia ſomno
Lumina cuncta notat, dulceſque ſequentia ſomnos:
Et celerem mediis in cantibus exigit harpen.
Jamque refecta Jovi, paulatim in imagine priſca
Ibat agris Iö victrix Junonis; & ecce
Cum facibus ſpiriſque & Tartareo ululatu
Tiſiphonen videt: ac primo veſtigia viſu
Fugit; & in miſerae rurſus bovis ora recurrit;
Nec qua valle memor, nec quo ſe vertice ſiſtat.
Inachias errore etiam defertur ad undas,
Qualis, & à prima quantum mutata juvenca!
Nec pater, aut trepidae tentant accedere Nymphae.
Ergo iterum ſilvas, iterum petit invia retro,
Ceu Styga, dilectum fugiens caput. inde per urbes
Raptatur Grajas, atque ardua flumina ripis:
Oblato donec paullum cunctata profundo
Incidit: abſiſtunt fluctus, & gnara futuri
Dant pavidae alta viam: celſis procul ipſa refulget

Cor-

Cornibus, ac ſumma palearia ſuſtinet unda.
Aſt Erebi virgo ditem volat aethere Memphim
Praecipere, & Pharia venientem pellere terra.
Contrà Nilus adeſt; & toto gurgite torrens
Tiſiphonen agit, atque imis inlidit harenis,
Ditis opem ac ſaevi clamantem numina regni.
Adparent ſparſaeque faces, disjectaque longè
Verbera, & abruptis excuſſi crinibus hydri.
Nec Jovis intereà ceſſat manus. intonat alto
Inſurgens coelo genitor, curamque fatetur:
Atque ipſa imperium Juno pavet. haec procul Iō
Spectat ab arce Phari, jam divis addita, jamque
Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.
Boſporon hinc veteres errantis nomine divae
Vulgavere. juvet noſtros nunc ipſa labores,
Inmiſſiſque ratem ſua per freta provehat Euris.
Dixerat: & placidi tendebant carbaſa venti.
Poſtera non caſſae Minyis Aurora retexit
Noctis iter: nova cuncta vident; Thynnaeaque juxta
Litora, fatidici poenis horrentia Phinei.
Dira deûm ſummoque lues urguebat in aevo.
Quippe neque extorrem tantum, nec lucis egentem,
Inſuper Harpyiae Typhonides ira Tonantis
Depopulant, ipſoque dapes praedantur ab ore.
Talia prodigia, & tales pro crimine poenas
Perpetitur. ſpes una ſeni, quòd pellere ſaevam
Quondam fata luem dederunt Aquilone creatis.
Ergò ubi jam Minyas certamque accedere Phineus
Sentit opem, primas baculo defertur ad undas:
Veſtigatque ratem, atque oculos attollit inanes.
Tunc tenuem ſpirans animam: Salve, ô mihi longùm
Exſpectata manus, noſtriſque, ait, agnita votis.
Novimus, & divis geniti quibus, & via juſſos
Quae ferat: ac veſtri rebar ſic tempora curſûs
Proxima, quaeque legens; quantum Vulcania Lemnos
Traxerit; infelix tulerit quae Cyzicus arma.
Senſi & Bebrycio ſupremam in litore pugnam

Digitized by Google

Jam propior, jamque hoc animam ſolamine mulcens.
Non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus,
Aut memorem, mea quod vates inſedit Apollo
Pectora; praeſentis potius miſereſcite fati.
Nec mihi diverſis erratum caſibus orbem,
Amiſſas aut flere domos, aut dulcia tempus
Lumina: conſuetis ſerum eſt ex ordine fatis
Ingemere. Harpyiae ſemper mea pabula ſervant,
Fallere quas nuſquam miſero locus: ilicet omnes
Deveniunt, niger intorto ceu turbine nimbus,
(Iamque alis procul, & ſonitu mihi nota Celaeno)
Diripiunt verruntque dapes, foedataque turbant
Pocula. ſaevit odor; ſurgitque miſerrima pugna:
Parque mihi monſtriſque fames. ſprevere quod omnes
Pollueruntque manus, quodque unguibus excidit atris,
Has mihi fert in luce moras. nec rumpere fata
Morte licet: trahitur victu crudelis egeſtas.
Sed vos ô ſervate precor; (praedicta deorum
Si non falſa mihi) vos finem inponite poenis.
Nempe adſunt, qui monſtra fugent, Aquilonia proles,
Non externa mihi: nam rex ego divitis Hebri,
Iunctaque veſtra meo quondam Cleopatra cubili.
Nomen ad Actaeae Calais Zeteſque ſororis
Proſiliunt. Zeteſque prior; Quem cernimus, inquit?
Tune ille Odryſiae Phineus rex inclitus orae?
Tu Phoebi comes, & noſtro dilecte parenti?
O ubi nunc regni, generiſque ubi gloria? quàm te
Exêdit labor, & miſeris feſtina ſenectus!
Quin age, mitte preces; namque eſt tibi noſtra voluntas;
* Si non ira deûm, vel ſi placabilis urguet.
Suſtulit hîc geminas Phineus ad ſidera palmas:
Teque, ait, injuſti, quae nunc premis, ira Tonantis
Ante precor: noſtrae tandem jam parce ſenectae:
Sit modus: & fore credo equidem: nam veſtra voluntas
Quò, juvenes, ſine pace deûm? nec credite culpam
Saevitiae, ſcelerumve mihi nunc crimina pendi;
Fata loquax mentemque Iovis, quaeque abdita ſolus
Conſilia, & terris ſubito ventura parabat,

Pro-

Prodideram, miſerans hominum genus: hinc mihi tanta
Peſtis, & offuſae media inter dicta tenebrae.
Iam tandem ceſſere irae: nec caſus, ab alto
Ipſe volens noſtris ſed vos deus adpulit oris.
Sic ait, &, fatis ira jam cedentibus, omnes
Inpulit, & durae conmovit imagine poenae.
Inſtituêre toros, mediiſque tapetibus ipſum
Accipiunt, circumque jacent: ſimul aequora ſervant,
Aſtra ſimul: veſcique jubent, ac mittere curas.
Cùm ſubitus miſero tremor, & pallentia primae
Ora ſenis fugêre manus. nec prodita peſtis
Ante, ſed in mediis dapibus vidêre volucres.
Fragrat acerbus odor; patriique exſpirat Averni
Halitus: unum omnes inceſſere planctibus, unum
Infeſtare manus: inhiat Cocytia nubes
Luxurians, ipſoque ferens faſtidia viſu.
Tum ſola colluvie, atque inliſis ſtramina menſis
Foeda rigant: ſtridunt alae; praedaque retenta
Saevit utrimque fames: nec ſolum horrenda Celaeno
Phinea, ſed miſeras etiam prohibere ſorores.
Emicat hìc ſubitò, ſeſeque Aquilonia proles
Cum clamore levat: genitor ſimul inpulit alas.
Hoſte novo turbata lues; labſaeque rapinae
Faucibus: & primùm pavidae Phineïa tecta
Pervolitant, mox alta petunt: ſtant litore fixi
Haemonidae, atque oculis palantia monſtra ſequuntur.
Sic ubi prorupti tonuit cùm fortè Veſevi
Heſperiae letalis apex; vix dum ignea montem
Torſit hiems: jamque Eoas cinis induit urbes.
Turbine ſic rapido populos atque aequora longè
Trans abeunt: nullaque datur conſidere terra.
Iamque & ad Iönii metas, atque intima tendunt
Saxa; vocat magni Strophadas nunc incola ponti.
Hìc feſſae, letique metu propioris anhelae
Dum trepidant, humilique graves timidoque volatu
Inplorant clamore patrem Typhona nefando:
Extulit adſurgens noctem pater; imaque ſummis

Miſcuit, & mediis vox exaudita tenebris:
Iam ſatis huc pepuliſſe deas. cur tenditis ultra
In famulas ſaevire Iovis? quas, fulmina quamquam
AEgidaque ille gerens, magnas ſibi legit in iras.
Nunc quoque Agenoreis idem decedere tectis
Imperat: agnoſcunt monitus, juſſaeque recedunt.
Mox tamen & vobis ſimilis fuga, cùm premet arcus
Letifer. Harpyiae numquam nová pabula quaerent,
Donec erunt divûm meritae mortalibus irae.
Haeſit uterque polo, dubiiſque elanguit alis:
Mox abit, & ſociae victor petit agmina puppis.
Intereà Minyae pulſa lue prima Tonanti
Sacra novant: tum vina toris, epulaſque reponunt.
Ipſe inter medios, ceu dulcis imagine ſomni
Laetus, ad oblitae Cereris ſuſpirat honores:
Agnoſcit Bacchi latices, agnoſcit & undam:
Et nova non pavidae miratur gaudia menſae.
Hunc ubi reclinem ſtratis, & pace fruentem
Adſpicit, ac longae ducentem oblivia poenae;
Talibus adpellat, ſupplexque ita fatur Iäſon:
Vota, ſenex, perfecta tibi. nunc me quoque curis
Eripe, & ad noſtros animum converte labores.
Omnis adhuc ſors laeta quidem: nec numine vano
(Si qua fides curae ſuperûm) tantum aequor adorti
Tendimus: ipſa mihi puppim Jovis optima proles
Inſtituit; ſocioſque dedit Saturnia reges.
Fidere mens ſed caeca nequit. quantumque propinquat
Phaſis, & ille operum ſummus labor; hoc magis angunt
Proxima: nec vates ſat jam mihi Mopſus & Idmon.
Ille ducem nec ferre preces, nec dicere paſſus
Amplius, hic demum vittas laurumque capeſſit,
Numina nota ciens. ſtupet AEſonis inclita proles
Phinea, ceu numquam poenis, nullaque gravatum
Peſte Jovis. tam largus honos, tam mira ſenectae
Majeſtas infuſa: vigor novus auxerat artus.
Tum canit: O terras fama venture per omnes;
Quem ſociis ducibuſque deis, atque arte benigna

Palla-

Pallados, ipſe ultro Pelias ad ſidera tollit
Demens, dum profugi non ſperat vellera Phrixi:
Fata locoſque tibi (poſſum quas reddere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.
Ipſe etiam, qui me prohibet ſua pandere terris
Saecula, te propter fandi mihi Juppiter auctor.
Hinc iter ad Ponti caput, erranteſque per altum
Cyaneas: furor his medio concurrere ponto;
Necdum ullas vidêre rates: ſua comminus actae
Saxa premunt, cauteſque ſuas; cùm vincula mundi
Ima labant; tremere ecce ſolum, tremere ipſa repente
Tecta vides; illae redeunt, illae aequore certant.
Dî tibi progreſſo propius, Dî forſitan ipſi
Auxilium mentemque dabunt. aſt ipſe juvare
Auſa quibus monitis poſſim tua? quippe per altum
Tenditis, undè procul venti, procul unde volucres,
Et pater ipſe maris pavidas detorquet habenas.
Si qua brevis ſcopulis fuerit mora, ſi ſemel orſis
Ulla quies; fuga tunc medio properanda recurſu.
Vix repetunt primae celeres confinia terrae,
Jamque alio clamore ruunt; omniſque tenetur
Pontus, & infeſtis anceps cum montibus errat.
Verùm animo redit illa meo ſors cognita divûm:
(Fabor enim, nec ſpe dubios ſolabor inani,)
Cùm mihi Tartareas ſaevo clangore volucres
Protulit ira Jovis; vox haec ſimul accidit aures:
Ne vanas inpende preces, finemque malorum
Expete, Agenoride: pontum penetraverit ulla
Cùm ratis, & rapidi ſteterint in gurgite montes;
Tunc ſperare modum poenae veniamque licebit.
Sic Deus. aut vobis ergo fera ſaxa pateſcunt,
Aut mea jam ſaevae redeunt ad pabula Dirae.
Verùm inter medias dabitur ſic currere cautes,
Certè digna manus, vacuumque exibis in aequor;
Proxima regna Lyci: remeat qui victor ab oris
Bebryciis: toto non ullus litore Ponti
Mitior. hic lecto comitum de robore ſi quem

Perculerit vicina lues, ne deſice, caſus
Praedicti memor, atque animos adcinge futuris.
Illic peſtiferas ſubter juga concava torquet
Ater aquas Acheron; vaſtoque exundat hiatu
Eumeus; & ſaeva ſequitur caligine campus:
Linque gravem fluvium, & miſeris ſua fata colonis.
Sic quoque non uno dabitur tranſcurrere luctu.
Quid tibi nubifera ſurgentem rupe Carambin,
Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon?
Proxima Thermodon hîc jam ſecat arva: memento.
Inclita Amazonidum, magnoque exorta Gradivo
Gens ubi: femineas nec tu nunc crede catervas.
Sed qualis, ſed quanta viris inſultat Enyo,
Divaque Gorgonei geſtatrix innuba monſtri.
Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppim
Ventus agat; ludo volitans cùm turma ſuperbo
Pulvereis exſultat equis; ululataque tellus
Intremit, & pugnas mota pater incitat haſta.
Non ita ſit metuenda tibi, ſaeviſſima quamquam
Gens Chalybum; duris patiens cui cultus in arvis,
Et tonat adflicta ſemper domus ignea maſſa.
Inde omnem innumeri reges per litoris oram,
Hoſpitii quîs nulla fides: ſed limite recto
Puppis, & aequali tranſcurrat carbaſus aura:
Sic demum rapidi venies ad Phaſidis amnem.
Caſtra ibi jam Scythiae, fraternaque ſurgit Erynnis:
Ipſe truces illic Colchos hoſtemque juvabis
Auxiliis. nec plura equidem diſcrimina cerno.
Fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
Sed te non animis, ſed ſolis viribus aequum
Credere; ſaepe acri potior prudentia dextra.
Quam tulerit deus, arripe opem. jamque ultima nobis
Promere fata nefas: ſileo, & precor. atque ita facto
Fine dedit tacitis iterum reſponſa tenebris.
Tum ſubita reſides ſocios formidine Iàſon
Praecipitat; rumpitque moras, tempuſque timendi.
Ipſe viros gradiens ad primi litoris undam
Proſequitur Phineus: Quaenam tibi praemia, dixit,

Quas, decus ô Boreae, poſſim perſolvere grates?
Me Pangaea ſuper rurſus juga, meque paterna
Stare Tyro, dulceſque iterum mihi ſurgere ſoles
Nunc reor: exactae nam verè abiere volucres:
Nec metuam, tutaeque dapes. date tangere vultus:
Dem, ſinite, amplexus: propiuſque accedite dextrae.
Dixerat. abſcedunt terris, & litora condunt.
Omnibus extemplo ſaeva ſub imagine rupes
Cyaneae, propiorque labor; quando adfore, quaque
Parte putent: ſtant ora metu, nec feſſa recedunt
Lumina diverſas circum ſervantibus undas.
Cum procul audiri ſonitus inſanaque ſaxa.
Saxa neque illa viris, ſed praecipitata profundo
Siderei pars viſa poli. dumque ocius inſtant
Ferre fugam, maria ante ratem, maria ipſa repentè
Diffugere, adverſoſque vident diſcedere montes.
Omnibus & gelida rapti formidine remi.
Ipſe per arma volans, & per juga ſumma carinae
Hortatur, ſupplexque manus intendit Iäſon,
Nomine quemque premens: Ubi nunc promiſſa ſuperba,
Ingenteſque minae, mecum quibus iſta ſecuti?
Idem animos Amyci viſo timor omnibus antro
Perculerat: ſtetimus tamen, & deus adfuit auſis.
Quin iterum idem aderit, credo, deus. haec ubi fatus;
Corripit abjecti remumque locumque Phaleri,
Et trahit: inſequitur flammata pudore juventus.
Unda laborantes praeceps rotat, ac fuga ponti
Obvia: miſcentur rupes: jamque aequore toto
Cyaneae juga praecipites inliſa remittunt.
Bis fragor infeſtas cautes, adverſaque ſaxis
Saxa dedit: flamma expreſſo bis fulſit in imbri.
Sic ubi multifidus ruptis è nubibus horror
Effugit, & tenebras nimboſque intermicat ignis,
Terrificique ruunt tonitrus, eliſaque noctem
Lux dirimit; pavor ora virûm, pavor occupat aures.
Haud ſecus inplevit pontum fragor: effluit imber
Spumeus, & magno puppim procul aequore veſtit.

Digitized by Google

Advertêre dei, defixaque numina ponto,
Quid ſcopulis praecluſa ratis, quid dura juventus
Expediat: pendet magnis favor ortus ab auſis.
Prima coruſcanti ſignum dedit aegide virgo.
Fulmineam jaculata facem. vixdum ardua cautes
Ceſſerat; illa volans tenui per concita ſaxa
Luce fugit: rediere viris animique manuſque.
Ut vidêre viam: Sequor ô, quicumque deorum,
AEſonides, vel fallor, ait: praecepſque fragores
Per medios ruit, & fumo ſe condidit atro.
Coeperat hinc cedens abductis montibus unda
Ferre ratem, pelagoque dies occurrere aperto;
Sed neque permiſſis jam fundere rector habenis
Vela, nec eniti remis pote; cùm ſuper adſunt
Cyaneae: premit umbra ratem, ſcopulique feruntur
Comminus. hîc Juno praecepſque ex aethere Pallas
Inſiliunt pariter ſcopulos: hunc nata coërcet,
Hunc conjunx Jovis. ut valido qui robore tauros
Sub juga, & invito detorquet in ilia cornu.
Inde, velut mixtis Vulcanius ardor harenis
Verſet aquas, ſic ima fremunt, fluctuque coacto
Angitur, & clauſum ſcopulos ſuper effluit aequor.
Contrà omnes validis tenui diſcrimine remis
Pergere iter; medioſque ratem transferre per ictus:
Saxa ſed extremis tamen increpuere corymbis:
Parſque (nefas) deprenſa jugis. nam cetera coelo
Debita. conclamant Minyae: latera utraque quippe
Diſſiluiſſe putant. fugit ipſe noviſſimus ictus
Tiphys, & è mediis ſequitur freta rapta ruinis:
Nec prius obſeſſum ſcopulis reſpexit ad aequor,
Aut ſociis tentata quies; nigrantia quàm jam
Litora, longinquique exirent flumina Rhebi.
Tunc feſſas poſuere manus, tunc arida anheli
Pectora. diſcuſſa quales formidine Averni
Alcides Theſeuſque comes pallentia jungunt
Oſcula, vix primis amplexi luminis oris.
Nec verò ipſe metus curaſque reſolvere ductor:
Sed maria adſpectans; Heu quis datus iſte deorum

Sorte labor nobis? ſerum ut veniamus ad amnem
Phaſidis, & mites, inquit, dent vellera Colchi,
Unde per hos iterum montes fuga? talia fundit,
Imperio fixos Iovis aeternumque revinctos
Neſcius. id fati certa nam lege manebat,
Si qua per hos undis umquam ratis iſſet apertis.
Tum freta, quae longis fuerant inpervia ſaeclis,
Ad ſubitam ſtupuere ratem: Pontique jacentis
Omne ſolum regeſque patent genteſque repoſtae.
Non alibi effuſis ceſſerunt longius undis
Litora; nec tantas quamvis Tyrrhenus & Aegon
Volvat aquas; geminis & deſint Syrtibus undae.
Nam ſuper huc vaſtos tellus quoque congerit amnes.
Non ſeptem gemini memorem quas exitus Hiſtri,
Quas Tanais, flavuſque Lyces, Hypaniſque, Melaſque
Addat opes; quantoſque ſinus Maeotia laxent
Aequora. flumineo ſic agmine frangit amari
Vim ſalis, hinc Boreae cedens glacialibus auris
Pontus, & exorta facilis concreſcere bruma.
Utque vel inmotos Urſae rigor invenit amnes,
Vel freta verſa vadis: hiemem ſic unda per omnem
Aut campo jacet, aut tumido rigat ardua fluctu;
Atque hac Europam curvis aufractibus angit,
Hac Aſiam, Scythicum ſpecie ſinuatus in arcum.
Illic umbroſae ſemper ſtant aequore nubes,
Et non certa dies: primo nec ſole profundum
Solvitur, aut vernis cùm lux aequata tenebris:
Sed redit extremo tandem in ſua litore Tauro.
Jam Mariandynis advertit puppis harenis:
Atque celer terras regemque exquirit Echion,
Dicta ferens: lectos fama eſt ſi nominis umquàm
Haemonii ſubiiſſe viros, det litora feſſis.
Adproperat Lycus auditis laetatus Achivis:
Ac ſimul Aeſoniden, omnemque in regia turbam
Tecta trahit, modo Bebryciis praefixa tropaeis:
Mitis & in mediis effatur talia Grajis:
Haud temere eſt. fato divûm reor ad mea vectos
Litora vos: odium quibus atque eadem ira furentis

Bebryciae; ſaevaque pares de gente triumphi.
Certa fides animis, idem quibus incidit hoſtis.
Nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti,
Senſimus; & ſaevis frater mihi fuſus harenis.
Ultor ego, atque illuc cunctis accenſus in armis
Tunc aderam; cùm vos mediis contenta ferebant
Vela fretis. illum in ſanie, taboque recenti
Vidimus, aequoreo ſimilem per litora monſtro.
Nec verò praerepta mihi ſuprema tyranni
Fata queror: bellove magis laetarer & armis
Procubuiſſe meis; quàm lege quod occidit ultus
Ipſe ſua; meritoque madent quòd ſanguine caeſtus.
Excipit Aeſonides: Tuus ergo in montibus ignis
Ille? tuas acies medio de gurgite vidi?
Fatur. & oſtentans prolem Jovis, Hic tibi Pollux
En, ait, inviſo ſolvit cui pectore poenas.
Ille virum circa mirantia lumina volvit.
Feſta dehinc mediis ineunt convivia tectis,
Communeſque vocant ſuperos; quorum eruta nutu
Bebrycia: & votis pariter praedaque fruuntur.

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON

LIBER QUINTUS.

Altera lux haud laeta viris emerſit Olympo.
Argolicus morbis fatiſque rapacibus Idmon
Labitur; extremi ſibi tum non inſcius aevi.
At memor Æeſonides nimium jam vera locuti
Phineos, hinc alios rapto pavet Idmone luctus.
Tum comiti pia juſta tulit: caelataque multa

Arte Dolionii donat velamina regis:
Hoſpes humum ſedemque Lycus. flens arma revellit
Idmonis è celſa Mopſus rate: robora caedunt
Pars ſilvis, portantque arae: pars auguris alba
Fronde caput vittiſque ligant; poſitumque feretro
Congemuere: dies ſimul & ſuus admonet omnes.
Ecce, inter lacrimas, interque extrema virorum
Munera, quem curſus penes imperiumque carinae,
Tiphyn agit violenta lues; cunctique pavore
Attoniti fundunt moeſtas ad ſidera voces:
Arcipotens adverte, precor, nunc denique, Apollo;
Hoc, pater, hoc nobis refove caput: ulla laboris
Si noſtri te cura movet, qui cardine ſummo
Vertitur, atque omnis manibus nunc pendet ab unis.
Dicta dabant ventis, nec debita fata movebant.
Qualem praecipiti gravidum jam ſorte parentem
Natorum flet parva manus; trepidique precantur,
Duret ut invalidis, & adhuc genitoris egenis.
Haud aliter ſocii ſupremo in tempore Tiphyn
Ante alios ſupereſſe volunt. mors frigida contrà
Urguet: & ille recens oculis intervolat Idmon.
Exanimum fruſtra Minyae clamore morantur,
Avellique negant: vix membra rigentia tandem
Inpoſuere rogo; lacrimaſque & munera flammis
Vana ferunt: creſcit donis feralis acervus.
Ut verò amplexus feſſi rupere ſupremos,
Et rapidae ſonuere faces; tunc ipſa cremari
Viſa ratis, medioque viros deponere ponto,
Non tulit Aeſonides, geminis flagrantia cernens
Corpora cara rogis: ſed pectore ductor ab imo
Talia voce gemit: Quid tantum infenſa repente
Numina? quas noſtri poenas meruere labores?
Bina (nefas) tuto pariter mihi funera ſurgunt
Litore. magna adeò comitum numeroſaque pubes?
Aut ſocios rapit atra dies, aut ipſe relinquo
Sontibus inpulſus Furiis. ubi Tiphys? ubi Idmon
Fata canens? ubi monſtriferae par ille novercae?
Te ſine, Theſpiade, nos ulla movebimus ultra

Aequora? nec ſumma ſpeculantem puppe videbo
Pleïadumque globos & agentes noctibus Arctos?
Cui Minyas, caramque ratem, cui ſidera tradis?
Carpere ſecuras quis quam jubet Aeſona noctes?
Hoc labor, hoc dulci totiens fraudata ſopore
Lumina, & admotis nimium mens anxia Colchis
Profuit? heu quantum Phaſis, quantum Aea receſſit!
Nunc quoque, ſi tenui ſuperant in imagine curae,
Adſis umbra, precor, venturi praeſcia coeli,
Rectoremque tuae moneas ratis. haec ubi fatus,
Sola virûm flammis vidit labentibus oſſa.
Quod tamen externis unum ſolamen in oris
Reſtat, ait, caras humus haec non dividet umbras,
Oſſaque nec tumulo, nec ſepare conteget urna;
Sed ſimul: ut junctis veniſtis in aequora fatis.
Haud mora: relliquias ſocii defletaque miſcent
Nomina. tum vivo frondens è ceſpite tellus
Adgeritur: cineremque Lyco commendat Iäſon.
Moeſti omnes dubiique, ratem fidiſſima cujus
Dextra regat: ſimul Ancaeus, ſollerſque petebant
Nauplius. Erginum fato vocat ipſa monenti
Quercus: & ad tonſas victi rediere magiſtri.
Ac velut ille, gregis ceſſit cui regia, taurus
Fertur ovans: hunc omnis honos, hunc omnis in unum
Tranſit amor. primo laetos ſic tempore rector
Ingreditur curſus: etenim dat candida certam
Nox Helicen. jam prora fretum commoverat, & jam
Puppe ſedens placidas dimiſerat ancora terras.
Inde, premente Noto, triſtes Acheruſidos oras
Praeterit; & feſta vulgatum nocte Lyaei
Callichoron: nec vana fides. his Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes ſanguine thyrſos.
Illum, poſt acies rubrique noviſſima clauſtra
Aequoris, hic reſides thiaſos, hic aera moventem,
Udaque pampinea nectentem cornua vitta,
Nunc etiam meminiſtis, aquae: Boeotia qualem
Thyas, & infelix cuperet vidiſſe Cithaeron.
Fama per extremos quin jam volat inproba manes

Inter-

Intereà, & magnis fatorum laudibus inplet
Venturam coelo fatis melioribus Argo:
Addita jamque fretis repetens freta, jamque ferentes
Cyaneas. ardent avidos attollere vultus,
Quos pietas, vel tangit adhuc quos aemula virtus.
Fata inmota manent: unum, qui litore in illo
Conditus, ad carae mittunt ſpectacula turbae.
It Sthenelus: qualem Mavortia vidit Amazon,
Cumque ſuis comitem Alcides ut condidit armis:
Talis ab aequorei conſurgens aggere buſti
Emicuit: fulſere undae; Sol magnus ut orbem
Tolleret, aut nubem quateret polus. atque ea vix dum
Viſa viris atrâ nox protinus abſtulit umbrâ:
Ille dolens altum repetit chaos. omina Mopſus
Dum ſtupet, in prima tumulum procul adſpicit acta:
Obnubenſque caput, cineri dat vina vocato.
Carmina quin etiam viſos placantia manes
Odryſius dum rite movet; mixtoque ſonantem
Percutit ore lyram, nomenque reliquit harenis.
Altius in ventos recipit ratis; ac fugit omne
Crobiali latus, & fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium: ante alios Triviae qui creditur amnes
Fidus, & Inopi materna gratior unda.
Mox etiam Cromnae juga pallentemque Cytoron,
Teque cita penitus condunt, Erythia, carina.
Jamque reducebat noctem polus: alta Carambis
Raditur, & magnae pelago tremit umbra Sinopes.
Aſſyrios conplexa ſinus ſtat opima Sinope;
Nympha prius, blandoſque Jovis quae luſerat ignes,
Coelicolis inmota procis: deceptus amatae
Fraude deae nec ſolus Halys, nec ſolus Apollo.
Addidit hic caſu comites Fortuna benigno,
Autolycum Phlogiumque & Deïleonta, ſecutos
Herculis arma viros: vagus hos ibi fixerat error:
Ut Grajam videre manum, puppimque Pelaſgam;
Prima ruunt celeres ad litora, ſeque precantur
Accipiant ſocios. nova dux accedere gaudet
Nomina, deſertos & jam ſibi currere remos.

Digitized by Google

Tranſit Halys, longiſque fluens anfractibus Iris,
Saevaque Thermodon medio ſale murmura volvens;
Gradivo ſacer, & ſpoliis ditiſſimus amnis:
Donat equos, donat votas cui virgo ſecures,
Cùm redit ingenti per Caſpia clauſtra triumpho,
Maſſageten Medumque trahens. eſt vera propago
Sanguinis; eſt ollis genitor deus. hinc magis alta
Haemonidae petere, & monitus non temnere Phinei.
Ipſe autem comitum converſus ad ora novorum:
Vos mihi nunc pugnas, ait, & victricia, ductor,
Herculis arma mei, veſtraſque in litore Martis
Intereà memorate manus. ſic fatus, & aegro
Corde ſilens, audit currus, bellique labores
Virginei: exciderit frenis quae prima remiſſis:
Semianimem patrius quam vexerit amnis in aequor;
Quae pelta latus, atque humeros nudata pharetris
Fugerit, Herculeae mox vulnere prenſa ſagittae;
Utque ſecurigeras ſtimulaverit ira catervas,
Fleturuſque pater; quantus duce terror in ipſa,
Qui furor: inſignis quo balteus arſerit auro.
Nocte ſub extrema clauſis telluris ab antris
Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
Ruricolae, Gradive, tui: ſonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius ignoti quàm dura cubilia ferri
Eruerent, enſeſque darent; odia aegra ſine armis
Errabant, iraeque inopes, & ſegnis Erinnys.
Inde Genetaei rupem Iovis, hinc Tibarenum
Dant virides poſt terga lacus: ubi deſide mitra
Foeta ligat, partuque virum fovet ipſa ſoluto.
Vos quoque non notae mirati vela carinae
Moſſyni: vos & ſtabulis Macrones ab altis,
Byzereſque vagi, Philyraeque à nomine dicta
Litora, quae cornu pepulit Saturnus equino.
Ultimus inde ſinus, ſaevumque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas conſurgens Caucaſus Arctos.
Ille etiam Alciden Titania fata morantem
Adtulerat tum forte dies: jamque aſpera niſu

Undi-

Undique convellens, veteris cum ſtrage pruinae,
Vincula prenſa manu ſaxis adduxerat imis
Arduus, & laevo gravior pede: conſonat ingens
Caucaſus: & ſummo pariter cum monte ſecutae
Incubuere trabes, abductaque flumina ponto:
Fit fragor: aetherias ceu Juppiter arduus arces
Inpulerit, imas manus aut Neptunia terras.
Horruit inmenſum Ponti latus: horruit omnis
Armeniae praetentus Hiber: penituſque recuſſo
Aequore Cyaneas Minyae timuere relictas.
Tum gemitu propiore Chalybs, denſuſque revulſis
Rupibus audiri montis labor, & grave Titan
Vociferans, fixos ſcopulis dum vellitur artus.
Contrà autem ignari (quis enim nunc credat in illis
Montibus Alciden? dimiſſave vota retentet?)
Pergere iter ſocii: tantum mirantur ab alto
Litora diſcuſſa ſterni nive, ruptaque ſaxa,
Et ſimul ingentem moribundae deſuper umbram
Alitis, atque atris rorantes imbribus auras.
Sol propius flammabat aquas: extremaque feſſis
Coeperat optatos jam lux oſtendere Colchos:
Magnus ubi adverſum ſpumanti Phaſis in aequor
Ore ruit. cuncti pariter loca debita noſcunt,
Signaque conmemorant, emenſaſque ordine gentes:
Dantque ratem fluvio. ſimul aethere plena coruſco
Pallas, & alipedum Juno juga ſiſtit equorum.
Ac dum prima gravi ductor ſubit oſtia pulſu;
Populeos flexus, tumulumque virentia ſupra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi:
Quem comes infelix Pario de marmore juxta
Stat ſoror. hinc ſaevae formidine moeſta novercae,
Inde maris, pecudique timens inponere palmas.
Siſtere tum ſocios jubet, atque hinc prima ligari
Vincula, ceu Pagaſas patriumque intraverit amnem.
Ipſe, gravi patera ſacri libamina Bacchi
Rite ferens, umbram vocat, & ſic fatur ad aras:
Per genus, atque pares tecum mihi, Phrixe, labores
Tu precor orſa regas, meque his tuteris in oris;

Digitized by Google

* Tot freta, tot dure properantia ſidera paſſis,
Phrixe, fave; & patrias placidus reminiſcere terras.
Tu quoque nunc, tumulo nequicquam condita inani,
Annue, diva maris; numeroque accede tuorum.
Quando egomet rurſus per te vehar? aurea quando
Seſton, & infauſtos agnoſcent vellera fluctus?
Vos etiam ſilvae, vos Colchidos hoſpitis orae
Pandite, dives ubi pellis micet arbore ſacra.
Tunc tibi, fecundi proles Iovis, orte nivali
Arcados axe deae, fluvio modò, Phaſi, quieto
Palladiam patiare ratem, nec dona, nec arae
Defuerint tellure mea: veneranda fluentis
Effigies te, Phaſi, manet; quàm magnus Enipeus,
Et pater aurato quantus jacet Inachus antro.
Dixerat: atque illi dextra ſine verſa magiſtri
Protinus in proram rediit ratis, omine certo
Fluminis os pontumque tuens. promittis ut, ecce,
Utque vocas, revehemur, ait. ſic deinde precatus,
Arma jubet celſa ſocios depromere puppi:
Dona dehinc Bacchi, caſus qui firmet in omnes.
Rapta Ceres: virideſque premunt longo ordine ripas.
Incipe nunc alios cantus, dea; viſaque vobis
Theſſalici da bella ducis. non mens mihi, non haec
Ora ſatis: ventum ad furias, infandaque natae
Foedera, & horrenda trepidam ſub virgine puppim:
Inpia monſtriferis ſurgunt jam proelia campis.
Ante dolos, ante infidi tamen exſequar aſtus
Soligenae, falli meriti, meritique relinqui.
Inde canens: Scythica ſenior jam Solis ab urbe
Fata laborati Phrixus conpleverat aevi;
Illius extremo ſub funere mira repente
Flamma poli, magnoque aries adparuit aſtro,
Aequora cuncta movens. at vellera, Martis in umbra,
Ipſe ſui Phrixus monumentum inſigne pericli
Liquerat, ardenti quercum conplexa metallo.
Quondam etiam tacitae viſus per tempora noctis
Effigie vaſta: ſocerumque exterruit ingens
Prodita vox: O qui patria tellure fugatum

Quae-

Digitized by Google

Quaerentemque domos, his me conſidere paſſus
Sedibus, oblata generum mox prole petiſti:
Tunc tibi regnorum labes luctuſque ſuperſunt,
Rapta ſoporato fuerint cum vellera luco.
Praeterea infernae quae nunc ſacrata Dianae
Fert caſtos Medea toros, quemcumque procorum
Pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis.
Dixit, & admota pariter fatalia viſus
Tradere terga manu: tum falſo fuſus ab auro
Currere per ſummi fulgor laquearia tecti.
Membra toris rapit ille tremens, patriumque precatur
Numen, & Eoo ſurgentes litore currus.
Haec tibi, fatorum genitor tutela meorum
Omnituens: tua nunc terris, tua lumina toto
Sparge mari: ſeu noſtra dolos molitur opertos,
Sive externa manus, primus mihi nuntius eſto.
Tu quoque, ſacrata rutilant cui vellera quercu,
Excubias Gradive tene; praeſentia luco
Arma tubaeque ſonent: vox & tua noctibus exſtet.
Vix ea: Caucaſeis cum labſus montibus anguis,
Haud ſine mente dei, ſpiris nemus omne refuſis
Inplicuit, Grajumque procul reſpexit ad orbem.
Ergo omnes prohibere minas, praedictaque Phrixi
Invigilat: plena necdum Medea juventa
Adnuitur thalamis Albani virgo tyranni.
Interea auguriis monſtriſque minacibus urbem
Territat ante monens ſemper deus, & rata ſeri
Signa mali: reddi jubet exitiale ſacerdos
Vellus, & Haemoniis infauſtum mittere terris.
Contra Sole ſatus, Phrixi praecepta volutans
Aegro corde negat: nec vulgi cura tyranno,
Dum ſua ſit modo tuta ſalus. tunc ordine regi
Proximus, & frater materno ſanguine Perſes
Increpitare virum: ſequitur duce turba reperto.
Ille furens ira ſolio ſe proripit alto,
Praecipitatque patres: ipſum quoque talibus auſis
Spem ſibi jam rerum vulgi levitate ferentem
Enſe petit. rapit inde fugam, crudelia Perſes

Signa gerens, omnemque quatit rumoribus Arcton.
Jamque aderat magnis regum cum millibus urbi,
Primaque in adverſos fruſtratus proelia muros
Conſtiterat. datus & ſociis utrimque cremandis
Ille dies, alterque dies; cum, Marte remiſſo,
Debitus Aeacis dux Theſſalus adpulit oris.
Nox hominum genus & duros miſerata labores
Rettulerat feſſis optata ſilentia terris:
At Juno & ſummi virgo Jovis intima ſecum
Conſilia & varias ſociabant pectore curas.
Virgo prior; Magna pariter quos mole petamus,
Cernis, ait, Colchos habeant quae proelia, quique
Nunc ſtatus. hinc Perſes, illinc non viribus aequis
Adparat Aeëtes aciem. quibus addimur armis?
Cui Juno: Dimitte metus, ne proelia forte
Hinc tibi grata negem: manet ingens aegida ſudor,
Et noſtros jam ſudor equos: ſtat pectore fixum,
Aeëtae ſociare manus: ſcio perfida regis
Corda quidem; nullos Minyis exſolvet honores.
Verum alios tunc ipſa dolos, alia orſa movebo.
Sint, precor, haec: tua namque mihi comitanda poteſtas,
Pallas ait: liceat Grajis ut reddere terris
Aeſonium caput; & puppim, quam ſtruximus ipſae,
Jactatam tandem noſtro conponere coelo.
Talia tunc hominum ſuperi pro laude movebant.
Triſtior at numquam, tantove paventibus ulla
Nox Minyis egeſta metu; nil quippe reperto
Phaſide, nil domitis actum Symphlegados undis;
Cunctaque adhuc magni veniant dum regis ad urbem
Ambigua, & dubia rerum pendentia ſumma.
Praecipuè Aeſoniden varios incerta per aeſtus
Mens rapit undantem curis, ac multa novantem.
Qualiter ex alta cum Juppiter arce coruſcat,
Pliadas ille movens, mixtumque ſonoribus imbrem,
Horriferamve nivem canis ubi tollitur omnis
Campus aquis, aut ſanguinei magna oſtia belli,
Aut altos duris fatorum gentibus ortus.
Sic tum diverſis hinc atque hinc molibus anceps

Pecto-

Pectora dux crebro gemitu quatit: optat & almum
Jam jubar, & certi tandem diſcriminis horas:
Tunc defixa ſolo, coetuque intenta ſilenti
Verſus ad ora virûm, Quod primum ingentibus auſis
Optaviſtis, ait, veterumque quod horruit aetas,
Adſumus en, tantumque fretis enavimus orbem.
Nec pelagi nos mille viae, nec fama fefellit,
Soligenam Aeëten media regnare ſub Arcto.
Ergo ubi lux altum ſparget mare, tecta petenda
Urbis, & ignoti mens experienda tyranni:
Adnuet ipſe, reor; neque inexorabile certè,
Quod petimus: ſin vero preces & dicta ſuperbus
Reſpuerit, jam nunc animos firmate repulſae;
Quaque via patriis referamus vellera terris,
Stet potius: rebus ſemper pudor abſit in artis.
Dixerat: &, Scythicam qui ſe comitentur ad urbem,
Sorte petit: numeroque novem ducuntur ab omni.
Inde viam, qua Circaei plaga proxima campi,
Corripiunt, regemque petunt. jam luce reducta,
Forte deûm variis per noctem exterrita monſtris,
Senſerat ut pulſas tandem Medea tenebras,
Rapta toris primi jubar ad placabile Phoebi
Ibat, & horrendas Inſtrantia flumina noctes.
Namque, ſoporatos tacitis in ſedibus artus
Dum premit alta quies, nullaeque in virgine curae,
Viſa pavens caſtis Hecates excedere lucis:
Dumque pii petit ora patris, ſtetit arduus inter
Pontus, & ingenti circum ſtupefacta profundo:
Fratre tamen conante ſequi: mox ſtare paventes
Viderat intenta pueros nece, ſeque trementum
Spargere caede manus & lumina rumpere fletu.
His turbata minis fluvios ripamque petebat
Phaſidis, aequali Scythidum comitante caterva.
Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Sicula ſub rupe choros, hinc greſſibus haerens
Pallados, hinc carae Proſerpina juncta Dianae:
Altior, ac nulla comitum certante, priuſquam
Palluit, & viſo pulſus decor omnis Averno.

Talis

Talis & in vittis geminae cum lumine taedae
Colchis erat, nondum miſeros exoſa parentes.
Ut procul extremi gelidis à fluminis undis
Prima viros tacito vidit procedere paſſu,
Subſtitit, & moeſto nutricem adfata timore eſt:
Quae manus haec, certo ceu me petat agmine, mater,
Advenit, haud armis, haud umquam cognita cultu?
Quaere fugam, precor, & tutos circumſpice ſaltus.
Audit virginei cuſtos grandaeva pudoris
Henioche, cultus primi cui creditus aevi:
Tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
Non tibi ab hoſte minae, nec vis, ait, ulla propinquat,
Nec metus; externo jam flammea murice cerno
Tegmina; jam vittas frondemque inbellis olivae.
Grajus adeſt: Grajo ſic cuncta ſimillima Phrixo.
Sic ait. at Juno, pulchrum longiſſima quando
Robur cura ducis, magnique edêre labores,
Mole nova & roſeae perfudit luce juventae.
Jam Talaum, jamque Ampyciden, aſtroque comantes
Tyndaridas ipſe egregio ſupereminet ore.
Non ſecus, autumno quàm cùm magis aſperat ignes
Sirius, & ſaevo cùm nox accenditur auro,
Luciferas crinita faces, hebet Arcas, & ingens
Juppiter: aſt illum tanto non gliſcere coelo
Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.
Regina, attonito quamquam pavor ore ſilentem
Exanimet, mirata tamen, paullumque reductis
Paſſibus inſolito ſtupuit duce. nec minus inter
Ille tot ignoti ſocias gregis haeret in una
Defixus, ſentitque ducem dominamque catervae.
Si dea, ſi magni decus huc ades, inquit, Olympi;
Has ego credo faces, haec virginis ora Dianae,
Teque renodatam pharetris, ac pace fruentem,
Ad ſua Caucaſeae producunt flumina Nymphae.
Si domus in terris, atque hinc tibi gentis origo,
Felix prole parens, olimque beatior ille,
Qui tulerit, longis & te ſibi junxerit annis.
Sed fer opem, regina, viris. nos hoſpita pubes

Adve-

Digitized by Google

Advehimur, Grajûm proceres tua tecta petentes.
Duc, precor, ad veſtri, quicumque eſt, ora tyranni:
Ac tu prima doce fandi tempuſque modumque.
Nam mihi ſollicito deus ignaroque locorum
Te dedit: in te animos, ſed & omnia noſtra repono.
Dixit, & operiens trepidam ſtetit. illa, parumper
Virgineo cunctata metu, ſic orſa viciſſim:
Quem petis Aeëten, genitor meus: ipſaque juxta
Moenia; ſi bivios poſſis diſcernere calles.
Hac adeò duce ferte gradus: ingentia namque
Caſtra alios aditus, atque inpius obſidet hoſtis.
Dixerat haec, patriumque viam detorquet ad amnem;
Sacraque terrificae ſupplex movet irrita Nocti.
Ille autem inceptum famula duce protinus urguet
Aëre ſeptus iter: patitur nec regia cerni
Juno virum, prior Aeëtae ne nuntius adſit.
Jamque inerat populo mediaeque incognitus urbi;
Cum comes orſa loqui: Phoebi genitoris ad aras
Ventum, ait. huc adytis jam ſe de more paternis
Rex feret: hic proceres audit, populoſque precantes
Adloquii facilis (praeſens pater admonet) aequi.
Dixerat. aſt illi propere monſtrata capeſſunt
Limina: non aliter, quàm ſi radiantis adirent
Ora dei, veraſque aeterni luminis arces.
Tale jubar per tecta micat. ſtat ferreus Atlas
Oceano, genibuſque tumens infringitur unda:
At medii per terga ſenis rapit ipſe nitentes
Altus equos, curvoque diem ſubtexit Olympo:
Pone rota breviore, ſoror, denſaeque ſequuntur
Pliades, & madidis rorant è crinibus ignes.
Nec minus hic varia dux laetus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hic ortuſque tuens: ut prima Seſoſtris
Intulerit rex bella Getis; ut clade ſuorum
Territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem;
Phaſidis hos inponat agris, Colchoſque vocari
Imperet: Arſinoën illi tepidaeque requirunt
Otia laeta Phari, pinguemque ſine imbribus annum:

Et jam Sarmaticis permutant carbaſa bracis.
Barbarus in patriis ſectatur montibus Aean
Phaſis, amore furens: pavidas jacit illa pharetras
Virgineo turbata metu; diſcurſibus & jam
Deficit: ac volucri victam deus adligat unda.
Flebant populeae juvenem Phaëthonta ſorores,
Ater & Eridani trepidum globus ibat in amnem:
At juga vix Tethys ſparſumque reconligit axem,
Et formidantem patrios Pyroënta dolores.
Aurea quin etiam praeſaga Mulciber arte
Vellera, venturoſque olim caelarat Achivos:
Texitur Argoa pinus Pagaſea ſecuri:
Jamque eadem remos, eadem dea flectit habenas:
Ipſe ſubit, nudaque vocat dux agmina dextra.
Exoritur Notus, & toto ratis una profundo
Cernitur. Odryſio gaudebant carmine phocae.
Adparent trepidi per Phaſidis oſtia Colchi,
Clamantemque procul linquens regina parentem.
Urbs erat hîc contrà gemino circumflua ponto,
Ludus ubi & cantus, taedaeque in nocte jugales,
Regalique toro laetus gener: ille priorem
Deſerit: ultrices ſpectant à culmine Dirae.
Deficit in thalamis, turbataque pellice conjunx
Pallam & gemmiferae donum exitiale coronae
Adparat, ante omnes ſecum dequeſta labores;
Munere quo patrias pellex ornetur ad aras
Infelix: & jam rutilis correpta venenis
Inplicat igne domos. haec tum miracula Colchis
Struxerat ignipotens, nondum noſcentibus, ille
Quis labor, aligeris aut quae ſecet anguibus auras,
Caede madens: odere tamen, viſuſque reflectunt.
Quin idem Minyas operum defixerat error;
Cùm ſe Sole ſatus patriis penetralibus infert.
Filius hunc juxta primis Abſyrtus in annis,
Dignus avo, quemque inſontem meliora manerent.
Tum gener Albanis Styrus qui advenerat oris,
Diſtulerant ſed bella toros: tum Phrontis & Argus
Aeolidae, fraterque Melas, quos advena Phrixus

Digitized by Google

Progenuit; pariterque levi Cytiſorus in haſta.
Poſt alii, quos praecipuo Titania tellus
Legit honore patres, motique ad proelia reges.
Admonet hîc ſocios, nebulamque erumpit Iaſon,
Sideris ora ferens: nova lux obfuſa Citaeis.
Conveniunt, rogitantque viros, rogitantque, quid auſi,
Quidve ferant. poſtquàm primis inhiantia dictis
Agmina, ſuppreſſumque videt jam murmur Iàſon;
Talia miranti propius tulit orſa tyranno:
Rex Hyperionide, quem per freta tanta petendum
Coelicolae, & prima dignum ſtatuêre carina:
Si quando hîc aliquam noſtro ſatus orbe ſolebat
Theſſaliam, ſi quos Phrixus memorare Pelaſgos;
Hi tibi, tot caſus, horrenda tot avia menſi,
Cernimur. ipſe egomet proprio de ſanguine Phrixi:
Namque idem Cretheus ambobus & Aeolus auctor,
Cum Jove, Neptunoque, & cum Salmonide Nympha.
Meque nec huc enſes, araeque egere paternae:
Nec tua Theſſàlicis quamquam inclita nomina terris
Sponte ſequor. cui non juſſo tot adire voluptas
Monſtra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
Sceptra tui toto Pelias ſub nomine Phoebi
Maxima ſorte tenens, totque illa creantia divos
Oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu;
Ille meum imperiis urguet caput: ille labores
Dat varios. ſuus ut magnum rex ſpargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipſe ſatus. tamen aſpera regum
Perpetimur juga; nec melior parere recuſo.
Hic ſibi me auratae pecudis quiſcumque periclis
Exuvias perferre jubet. tibi gratia noſtri
Sit precor haec, meritique locus, quod juſſa recepi:
Teque alium, quàm quem Pelias ſperatque cupitque,
Promiſi, & meliora tuae mihi foedera dextrae.
Si petere hoc ſaevi ſtatuiſſem ſanguine belli;
Oſſa dabat Pinduſque rates: quotque antè ſecuti
Inde nec audacem Bacchum, nec Perſea reges.
Sed me nuda fides, ſanctique potentia juſti
Huc tulit, & medii ſociatrix gratia Phrixi,

Jam-

Digitized by Google

Jamque tibi noſtra geniti de ſtirpe nepotes.
Nec tamen aut Phrygios reges, aut arva furentis
Bebryciae ſpernendus adî. ſeu fraude petivi;
Seu quis honore meo ſua reddita dona; deûmque
Nos genus, atque ratem magnae ſenſere Minervae.
Vix tandem longis quaeſitam Colchida votis
Contigimus; qualemque dabat te fama, videmus.
Tu modo ne claros Minyis invideris actus.
Non aliena peto, terriſve indebita noſtris,
Si quis & in precibus vero locus: atque ea Phrixo
Crede dari; Phrixum ad patrios ea ferre penates.
Munera tu contrà victum mihi vecta per aequor
Accipe, Taenarii chlamydem de ſanguine aheni,
Frenaque, & accinctum gemmis fulgentibus enſem:
Hoc patrium decus; haec materni texta laboris:
His Lapithes adſuerat eques. da jungere dextram,
Da Scythicas ſociare domos: ſciat effera regis
Ira mei, quem te horrifero ſortitus in axe
Caucaſus, atque tuis quantum miteſcat habenis.
Talibus orantem vultu gravis ille minaci
Jam dudum premit; & furiis igneſcit opertis.
Ceu tumet, atque imo ſub gurgite concipit auſtros
Unda ſilens; trahit ex alto ſic barbarus iras:
Et nunc auſa viri, nunc heu ſua prodita Grajis
Regna fremit: quin & facili ſibi mente receptum
Jam Phrixum dolet, & Scythiae periiſſe timores:
Nunc quaſſat caput, ac juvenis ſpes ridet inanes;
Quid veſanus agat, quòd vellera poſcat ab angue.
Urit & antiquae memorem vox praeſcia ſortis;
Cur ſimul aut Perſen illinc ſibi moverit, aut hinc
Theſſalicam Fortuna ratem: num debitus iſta
Finis agat, ſaevaeque petant jam vellera Parcae.
Intereà quoniam belli pugnaeque propinquae
Cura prior, fingit placidis fera pectora dictis.
Reddit & haec: Cuperem haud tali vos tempore tectis
Adveniſſe meis, quo me gravis adſidet hoſtis.
Frater enim (ſceptri ſic omnibus una cupido)
Excidium parat, & caſtris me ingentibus urguet.

Qua-

Quare, age, cognatas primùm defendite ſedes;
Nec decus oblati dimiſeris advena belli.
Jamque virum trahit ipſe chalybs: tum vellera victor,
Tum meritis, nec ſola dabo. contrà inſcius aſtûs;
Ergo nec hic noſtris deerat labor arduus actis,
Excipit Aeſonides, & ceu nihil aequore paſſis
Additus iſte dies? veniant ſuper haec quoque fato
Bella meo. non hunc parva mihi caede dolorem,
Quaſque dedit luet ille moras. tum Caſtora mittit,
Qui ferat Aeaei ſociis reſponſa tyranni.
Acribus aſt illos curis mora ſaeva trahebat:
Ac ſimul ut medio viderunt Caſtora campo;
Crebrior incuſſit mentem pavor: O Jovis alma
Progenies, fare an patriam ſpes ulla videndi,
Fare tuis. ille in mediis ſic orſus Achivis:
Nec ferus Aeëtes, ut fama, nec aurea nobis
Terga negat: bello intereà ſed preſſus iniquo
Auxilium petit: armatos dux protinus omnes
Adcelerare jubet; longo nam tuta receſſu
Puppis, & oppoſita fluvius defenditur urbe.
Haud mora; proſiliunt, quos nec Rhipaea juventus,
Quos nec Iber, aut tota ſuis Aurora pharetris
Suſtineat. ſtetit explicito prius agmine pubes:
Expertique ſimul, ſi tela artuſque ſequantur.
Nec quiſquam freta, nec patrias jam reſpicit urbes:
Sed magis ad praeſens itur decus. incita criſtas
Aura quatit: variis floret via diſcolor armis.
Qualis ab Oceano nitidum chorus aethera veſtit:
Qualibus adſurgens nox aurea cingitur aſtris.
Illos Sole ſatus tacita moeſtiſſimus ira
Miratur temerè adſumtos: nec talia mallet
Robora; quàm medios hoſtem ſubiiſſe penates.
Intereà laeto patitur convivia vultu;
Et juxtà Aeſoniden magno cratere laceſſit,
Nunc ſibi monſtrantem natos Iovis, oraque juxta
Aeacidûm, nunc ingentes Calydonis alumnos:
Audit & Alciden infando errore relictum,
Defletoſque duces, terraeque mariſque labores.

Ipſe autem tantis concita furoribus arma
Expetit Aeſonides, & amicos ordine reges:
* Quis procul ille virum nobis, quem balteus aſper
Subligat, & ſtricto ſtat proximus armiger arcu,
Ceu pugnam paret, & poſitas confundere menſas?
Contra flammigeri proles Perſeïa Solis,
Quem rogitas, Carmejus, ait; mos, comminus arma
Semper habere viro, ſemper meminiſſe pharetrae.
Quid Latagum? quid ſi amnigenam mirere Choaſpem?
Bellatoris equi potantem cerne cruores:
Nec tamen inmiſſis hic ſegnior ibit habenis.
Illum, ait Aeſonides, pariter refer; horrida ſignis
Cui chlamys, & multa ſpirat coma flexilis aura.
Reſpicit Aeëtes, atque hunc quoque nomine reddit:
Dives Aron; croceos ſic illius omnis odores
Jactat eques; unctis ſic eſt coma culta maniplis:
Sed nec ſperne virum, & comtis diffide capillis.
Campeſus hic ſpoliis in tigridis; ille profundo
Incumbens Odruſſa mero: viden' alta comantem
Pectora, & ingenti turbantem pocula barba?
Hic & Iäxarten dictis ſtupet hoſpes acerbis
Inmodicum, linguaque gravem; cui nulla minanti
Non ſuperûm, non praeſentis reverentia belli.
Contrà autem Aeëtes; Non fruſtra magna ſuperbo
Dicta volant, ait, & vocem paria arma ſequuntur:
Nec requies; quin Marte diem noctemque fatiget:
Atque ubi Rhipaea ſtupuerunt flumina bruma,
Jam pavidi cum prole Getae, jam pervigil illum
Medus, & oppoſitis exſpectat Hiberia clauſtris.
Hos autem quae quemque manus, quae ſigna ſequantur
Si memorem; priùs humentem lux ſolverit umbram.
Cras acies, atque illa ducum cras regna videbis
Diſſona; ſaxiferae ſurgat quibus imber harenae;
Quae jaculo gens apta levi, quae picta pharetris
Venerit: ingentes animo jam proſpice campos,
Atque hanc alipedi pulſantem corpora curru
Euryalen, quibus exſultet Mavortia turmis,
Et quantum elata valeat peltata ſecuri,

Cara

Digitized by Google

Cara mihi & veras inter non ultima natas.
Fatur, & occiduo libat cratera parenti.
Quiſque ſuis tum vota deis & pocula fundit;
Dent aciem, dent belligeros ſuperare labores.
Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris,
Ingentemque trahens Arctoa per aequora nubem,
Adſpicit Aeaea Minyas ſtupefactus in urbe,
Ambitumque ſenem, promiſſaque vellera puppi
Theſſalicae: citus ad ſummi ſtellantia patris
Tecta ruit, queſtuque Jovem teſtatur acerbo:
Quae ſtudiis, rex magne, quies? jam mutua divi
Exitia in ſolos hominum molimur honores:
Teque ea cuncta juvant, rabidam qui Pallada coelo
Non abigis, neque femineis jus objicis auſis.
Num querar, exſtructa quòd vexerit ipſa carina
Vellera ſacra meis ſperantem avertere lucis,
Quodque palam tutata viros? ſic cetera pergat,
Si valet, inſidiis quae nunc fallacibus ambit,
Noſtra ut Phrixêo ſpolientur templa metallo.
Non opus auxilio Colchis, nec foedere veſtro:
Et Perſen ſimul, & Minyas depoſcimus hoſtes.
Quin age; quid tantae coëunt in proelia gentes?
Quid tuus Aeſonides? imus nos, protinus imus,
In nemus auriferum, & ſumtis decernimus armis?
Vel tu ſola polo tacitis inopina tenebris
Labere; quantus ibi deus experiere; nec illas
Adſtiteris inpune trabes. an Martia templa
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, & agger
* Quod rudis; & ſola colimur frigentibus umbra?
Eſt amor, & rerum cunctis tutela ſuarum:
Et tibi, magne pater, terris donaria certant:
Eſt honor his etiam ſuus. anne ego clara Mycenis
Culmina, virgineas praeder ſi Cecropis arces,
Jam conjunx, jam te gemitu lacrimiſque tenebit
Nata querens? metuant ergo, nec talia poſcant.
Non tulit haec animis, quin longa ſilentia Pallas
Rumperet, inridens ſtrepitumque minaſque Gradivi:
Non tibi Biſtonidae, quibus haec fera murmura jactes,

Digitized by Google

Non Lapithae, ſed Pallas, ait; neque ego aegide digna,
Nec vocer ulterius proles Iovis, excidat iſte
Ni tibi corde tumor: lituos mox armaque ſaxo
Oderis, & primis adimam tua nomina bellis.
Quin ſimili matrem demens gravitate ſecutus:
Digna quidem monſtrum ſuperis quae tale creavit.
Quod tamen aggreſſae ſcelus, aut quo crimine ſontes,
Si juvenem, qui juſſa ſui tam dira tyranni
Inpavidus, maria & nondum qui nota ſubibat,
Iuvimus, & magnis aliquam ſpem movimus auſis?
An nullas praeferre preces, nec foedera regis
Ulla ſequi? caeca ſed cuncta inpellere pugna
Debuimus? ſic Thraees agunt, ſic turbidus iſte,
Si qua petit. cuperem haec etiam nunc bella remitti,
Nec ſocias armare manus. da vellera, rector,
Et medio nos cerne mari. quòd ſin ea Mavors
Abnegat, & ſolus noſtris ſudoribus obſtat;
Ibimus indecores, fruſtraque tot aequora vectae,
* Faſſaque quae nequeam? ſic femina. coeperat ardens
Hic iterum alternis Mavors inſurgere dictis.
Excipit hinc contrà pater, & ſic voce coërcet:
Quid veſane fremis? cùm vos jam poenitet acti,
Peccatumque ſatis; tunc ad mea jura venitis.
Quolibet iſta modo, quacumque inpellite pugna,
Quae coepiſtis; habent quoniam ſua fata furores.
Te tamen hoc, conjunx, & te, mea nata, monebo:
Sit Perſen pepuliſſe ſatis; nec vana retentet
Spes Minyas, finemve velint inponere bello.
Illum etenim talis rerum manet (accipite) ordo.
Victa retro nunc caſtra dabit, bellumque remittet
Territus adventu ducis & virtute Pelaſgi:
Mox ubi Theſſalicis referent hos flamina terris,
Tunc aderit, victorque domos & ſceptra tenebit:
Donec & Aeëten inopis poſt longa ſenectae
Exſilia (heu magnis quantum licet in pia fatis!)
Nata juvet; Grajuſque nepos in regna reponat.
Hic labor, amborumque haec ſunt diſcrimina fratrum:
Vadite, & adverſis, ut quis volet, irruat armis.

Dixerat.

Digitized by Google

Dixerat. inſtaurat menſas, pacemque reducit;
Et jam ſideream noctem dimittit Olympo.
Tunc adſuetus adeſt Phlegraeas reddere pugnas,
Muſarum chorus, & citharae pulſator Apollo:
Fertque gravem Phrygius circum cratera miniſter.
Surgitur in ſomnos, ſeque ad ſua limina flectunt.

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON

LIBER SEXTUS.

AT vigil iſdem ardet Furiis Gradivus, & acri
Corde tumet; nec quas acies, quae caſtra ſequatur,
Invenit: ire placet tandem, praeſenſque tueri,
Sternere ſi Minyas, magnoque rependere luctu
Regis pacta queat; Grajamque abſumere pubem.
Inpulit hinc currus, monſtrum irrevocabile belli
Concutiens, Scythiaeque ſuper tentoria ſiſtit.
Protinus è caſtris fugit ſopor: excita tela;
Turbati coiere duces: hos inſuper ingens
Fama movet, rate quae ſacra vulgabat Achivos
Adveniſſe, ſui repetentes vellera Phrixi;
Quos malus hoſpitio junctaque ad foedera dextra
Luſerit Aeëtes, atque in ſua traxerit arma.
Ergò, conſiliis dum nox vacat alta movendis,
Legatos placet ire duces: mandataque Perſes
Edocet, adfari Minyas, fraudemque tyranni
Ut moneant; quinam hinc animos averterit error;
Se primum Haemoniis hortatum ea vellera terris
Reddere, & exuvias pecudis dimittere ſacrae:
Hinc odium, & tanti veniſſe exordia belli.

Quin potiùs dextramque ſuam, ſuaque arma ſequantur,
Aut remeent. neque enim Aeëtae promiſſa fidemque
Eſſe loco; abſtineant alienae à ſanguine pugnae.
Non illos ideo tanti veniſſe labores
Per maris. ignotis quid opus concurrere, nec quos
Oderis? haec medio Perſes dum tempore mandat;
Aureus effulſit campis rubor; armaque & acres
Sponte ſua ſtrepuere tubae. Mars ſaevus ab altis,
Hoſtis ïo, conclamat, equis, agite, ite, propinquat:
Ac ſimul hinc Colchos, hinc fundit in aequora Perſen:
Tunc & quaeque ſuis conmittit proelia terris,
Voxque dei pariter pugnas audita per omnes.
  Hinc, age, Rhipaeo quos videris orbe furores
Muſa, mone; quanto Scythiam molimine Perſes
Concierit, quîs fretus equis per bella viriſque.
Verùm ego nec numero memorem, nec nomine cunctos,
Mille vel ora movens. neque enim plaga gentibus ulla
Ditior: aeterno quamquam Maeotia pubes
Marte cadat; pingui numquam tamen ubere deſit,
Quod geminas Arctos, magnumque quod inpleat anguem.
Ergo duces ſolaſque, deae, mihi promite gentes.
Miſerat ardentes, mox ipſe ſecutus, Alanos,
Heniochoſque truces, jampridem infenſus Anauſis;
Pacta quod Albano conjunx Medea tyranno:
Neſcius, heu, quanti thalamos adſcendere monſtri
Arſerit, atque urbes maneat qui terror Achaeas;
Gratior ipſe deis, orbaque beatior aula.
Proxima Biſaltae regio, ductorque Colaxes,
Sanguis & ipſe deûm; Scythicis quem Juppiter oris
Progenuit, viridem Myracen Tibiſenaque juxta
Oſtia, ſemifero (dignum ſi credere) captus
Corpore: nec Nymphae geminos exhorruit angues.
Cuncta phalanx inſigne Iovis, caelataque geſtat
Tegmina diſperſos trifidis ardoribus ignes:
Nec primus radios, miles Romane, coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffunderis alas.

Digitized by Google

Inſuper auratos conlegerat ipſe dracones
Matris Horae ſpecimen: linguiſque adverſus utrimque
Congruit, & tereti ſerpens dat vulnera gemmae.
Tertius unanimis veniens cum millibus Auchus
Cimmerias oſtentat opes; cui candidus olim
Crinis ineſt, natale decus: dat longior aetas
Jam ſpatium, triplici percurrens tempora nodo:
Demittit ſacro geminas à vertice vittas.
Dathin Achaemeniae gravior de vulnere pugnae
Miſit in arma Daraps; acies quem Martia circum
Gangaridûm, potaque Gerys quos efferat unda,
Quique lacum cinxere Bicen. non defuit Anxur,
Non Rhadano cum fratre Sydon: Aceſinaque laevo
Omine fatidicae Phrixus movet agmina cervae.
Ipſa comes, ſaetis fulgens & cornibus aureis,
Ante aciem celſi vehitur geſtamine conti
Moeſta, nec in ſaevae lucos reditura Dianae.
Movit & Hylaea ſupplex cum gente Syenen
Inpia germani praetentans vulnera Perſes.
Denſior haud uſquam, nec celſior extulit ullas
Silva trabes; feſſaeque priùs rediere ſagittae,
Arboris ad ſummum quàm pervenere cacumen.
Quin & ab Hyrcanis Titanius expulit antris
Cyris in arma viros: plauſtriſque ad proelia cunctas
Coraletae traxere manus: ibi ſutilis illis
Et domus, & crudo reſidens ſub vellere conjunx,
Et puer è primo torquens temone cateias.
Linquitur abruptus pelago Tyra; linquitur & mons
Ambenus, & gelidis pollens Ophiuſa venenis.
Degenereſque ruunt Sindi; glomerantque paterno
Crimine, nunc etiam metuentes verbera turmas.
Hos ſuper aeratam Phalces agit aequore nubem
Cum fremitu; denſique levant vexilla Coralli:
Barbaricae quîs ſigna rotae, ferrataque dorſo
Forma ſuum, truncaeque Jovis ſimulacra columnae:
Proelia nec rauco curant incendere cornu;
Indigenas ſed rite duces & priſca ſuorum
Facta canunt, veterumque viris hortamina laudes.

Aſt ubi Sidonicas inter pedes aequat habenas;
Illinc juratos ſecum trahit Aea Baternas:
Quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat;
Aequaque, nec ferro brevior nec rumpia ligno.
Nec procul albentes gemina fert aclyde parmas,
Hiberni qui terga Noae, gelidumque ſecuri
Eruit, & tota non audit Alazona ripa:
Quoſque Tatas, niveûmque ferax Euarchus olorum.
Te quoque venturis, ingens Ariaſmene, ſaeclis
Tradiderim, molem belli, lateque ferentem
Undique falcatos deſerta per aequora currus.
Inſequitur Drancaea phalanx; clauſtriſque profuſi
Caſpiadae: quîs turba canum non ſegnius acres
Exſilit ad lituos, pugnaſque capeſſit heriles.
Inde etiam par mortis honos; tumuliſque recepti
Inter avos poſituſque virûm: nam pectora ferro,
Terribileſque innexa jubas ruit agmine nigro
Latratuque cohors: quanto ſonat horrida Ditis
Janua, vel ſuperas Hecates comitatus ad auras.
Ducit ab Hyrcanis vates ſacer agmina lucis
Varus: eum Scythiae jam tertia viderat aetas
Magnanimos Minyas Argoaque vela canentem.
Illius & dites monitis ſpondentibus Indi,
Et centumgeminae Lagêa novalia Thebes,
Totaque Rhipaeo Panchaïa rapta triumpho.
Diſcolor haſtatas effudit Hiberia turmas,
Quas Otaces, quas Latris agunt, & raptor amorum
Neurus, & expertes canentis Iäzyges aevi.
Namque, ubi jam vireſque aliae, notoſque refutat
Arcus, & inceptus jam lancea temnit heriles,
Magnanimis mos ductus avis, haud ſegnia mortis
Iura pati; dextra ſed carae occumbere prolis
Enſe dato: rumpuntque moras natuſque parenſque,
Ambo animis, ambo miſeri tam fortibus actis.
Hîc & odorato ſpirantes crine Micelae,
Ceſſaeaeque manus; & qui tua jugera nondum
Eruis, ignotis inſons Arimaſpe metallis.
Doctus & Auchates patulo vaga vincula gyro

Digitized by Google

Spargere, & extremas laqueis adducere turmas.
Non ego ſanguineis geſtantem tympana bellis
Thyrſageten, cinctumque vagis poſt terga ſilebo
Pellibus, & nexas viridantem floribus haſtas.
Fama, ducem Iovis & Cadmi de ſanguine Bacchum,
Hac quoque turiferos felicia regna Sabaeos,
Hac Arabas fudiſſe manu: mox rumperet Hebri
Cum vada, Thyrſagetas gelida liquiſſe ſub Arcto.
Illis omnis adhuc veterum tenor, & ſacer aeris
Pulſus, & Eoae memoratrix tibia pugnae.
Jungit opes Eumeda ſuas: ſua ſigna ſecuti
Exomatae, Torinique, & flavi crine Satarchae:
Mellis honos Torinis; ditant ſua mulctra Satarchen;
Exomatas venatus alit. nec clarior ullis
Arctos equis: abeunt Hypanin, fragilemque per undam,
Tigridis aut ſaevae profugi cum prole leaenae:
Moeſtaque ſuſpectae mater ſtupet aggere ripae.
Inpulit & dubios Phrixei velleris ardor
Centoras, & diros magico terrore Choatras.
Omnibus in ſuperos ſaevus honor; omnibus artes
Monſtrificae: nunc vere novo conpeſcere frondes,
Nunc ſubitam trepidis Maeotin ſolvere plauſtris.
Maximus hos inter Stygia venit arte Coaſtes:
Sollicitat nec Martis amor; ſed fama Cytaeae
Virginis, & paribus ſpirans Medea venenis.
Gaudet Averna palus, gaudet jam nocte quieta
Portitor, & tuto veniens Latonia coelo.
Ibant & geminis aequantes cornibus alas
Ballonoti; comitumque celer mutator equorum
Moeſus; & ingentis frenator Sarmata conti:
Nec tot ab extremo fluctus agit aequore, nec ſic
Fratribus adverſa Boreas reſpondet ab unda;
Aut is apud fluvios volucrum ſonus; aethera quantus
Tunc lituûm concentus adit, lymphataque miſcet
Millia: quot foliis, quot floribus incipit annus.
Ipſe rotis gemit intus ager; tremebundaque pulſu
Nutat humus: quatit ut ſaevo cum fulmine Phlegram
Juppiter, atque imis Typhona reverberat arvis.

Prima tenent illinc patriis Abſyrtus in armis,
Et gener; ingenteſque inter ſua millia reges.
At circa Aeſoniden Danaûm manus, ipſaque Pallas
Aegide terrifica; quam nec dea laſſat habendo,
Nec pater horrentem colubris vultuque tremendam
Gorgoneo. nec ſemineces oſtendere crines
Tempus adhuc; primaſque ſinit concurrere pugnas.
Inpulit hos contrà Mavors pater, & mala leti
Gaudia, Tiſiphoneque caput per nubila tollens
Ad ſonitum litui, mediaque altiſſima pugna:
Necdum clara, quibus ſeſe fuga mentibus addat.
Illi ubi conſertis junxere frementia telis
Agmina, virque virum galeis adflavit adactis;
Continuò hinc obitus, perfractaque caedibus arma,
Corporaque, alternus cruor, alternaeque ruinae:
Volvit ager galeas, & thorax egerit imbres
Sanguineos. hinc barbarici glomerantur ovatus,
Hinc gemitus, mixtaeque virûm cum pulvere vitae.
Caſpius Aeaeum correpto crine Moneſen
Abſtulit; hunc pariter Colchi Grajique ſequuntur
Miſſilibus: rapit ille necem, praedamque relinquit:
Nec ſociis jam cura viri. Dypſanta Careſus,
Strymonaque obſcura ſpargentem vulnera funda
Dejicit: Albani cadit ipſe Cremedonis haſta:
Jamque latet; curruſque ſuper turmaeque feruntur.
Proceſſere Melas & Hidaſmenus; incipit haſta
Ante Melas: levis aſt abies eluſit utrumque;
Enſibus inde ruunt: prior occupat aere citato
Caſſidis ima Melas; infracta eſt vulnere cervix;
Mixta perit virtus: neſcit cui debeat Oebreus,
Aut cui fata Tyres. dum ſibila reſpicit Iron
Cuſpidis Argivae, Pyliam latere accipit haſtam.
Viderat Hyrcanos paribus diſcurrere fratres
Caſtor equis; pater armento quos dives ab omni
Nutrierat, fatiſque viam monſtrarat iniquis:
Tum magis atque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor: ſimul obvius haſtam
Pectus in adverſum Gelae jacit alipedemque:

Conſti-

Digitized by Google

Conſtitit excuſſo victor duce: riſit ab alta
Nube pater, prenſiſque equitem cognovit habenis.
At pariter luctuque furens viſuque Medores
Tyndariden petit, & ſuperos ſic voce precatur:
Hunc, age, vel caeſo comitem me reddite fratri:
Primus & hic noſtra ſonipes cadat inpius haſta,
Credita qui miſero non rettulit arma parenti,
Meque venit contra, captivaque terga miniſtrat.
Dixerat: Actaei ſed eum prior haſta Phaleri
Dejicit: ad ſocias ſonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales umquam metuiſſet Amyclas
Oebaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter
Diviſo, totidemque fretis? cadit inpiger unà
Inguine transfoſſo clari Taulantis alumnus
Semidea genetrice Tages; cui plurima ſilvis
Pervigilat materna ſoror, cultuſque laborat.
Tenuia non illum candentis carbaſa lini,
Non auro depicta chlamys, non flava galeri
Caeſaries, pictoque juvant ſubtemine bracae.
Iamque novus mediae ſtupefacta per agmina pugnae
Vidit eques, denſa ſpargens haſtilia dextra;
Fulmineumque viris proturbans ingerit enſem
Huc alternus & huc: cùm ſaevior, ecce, juventus
Sarmaticae coiere manus, fremituſque virorum
Semiferi: riget his molli lorica catena;
Id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
Et caput ingentem campis hoſtilibus umbram
Fert abies obnixa genu; vaditque virûm vi,
Vadit equûm, docilis relegi dociliſque relinqui,
Atque iterum medios non altior ire per hoſtes.
Orbibus hos rapidis, mollique per aequora Caſtor
Anfractu levioris equi deludit anhelos,
Inmemoreſque mori: ſed non iſdem artibus aequè
Concurrunt, ultroque ruunt in funera Colchi.
Campeſus, inpacta latus inter & ilia quercu,
Tollitur; ac mediam moriens deſcendit in haſtam.
Oebaſus, infeſtum ſubmiſſo poplite Phalcen
Evaſiſſe ratus, laevum per luminis orbem

Digitized by Google

Tranſigitur; tenerae liquuntur vulnere malae.
Contrà autem geminis fidens thoracibus, ictum
Suſtulit, & gladio Sibotes ferit ultima teli,
Nequicquam: jam cuſpis ineſt, nec fragmina curat
Ambenus, & trunco medium ſubit Otrea ligno.
Seminecem Taxes Hypanin vehit, atque remiſſum
Pone trahit fugiens, & curſibus exuit haſtam:
Dumque reconlectam rurſus locat; inruit ultro,
Turbatumque Lacon, & adhuc invadit inermem.
Inpulit adverſo praeceps equus Onchea conto,
Nequicquam totis revocantem viribus armos.
In latus accedit ſonipes; accedit & ipſe
Frigidus: arma cadunt; rorat procul ultima cuſpis.
Qualem populeae fidentem nexibus umbrae,
Si quis avem ſummi deducat ab aëre rami,
Ante manu tacita cui plurima crevit barundo;
Illa dolis viſcoque ſuper correpta ſequaci
Inplorat ramos, atque irrita concitat alas.
Parte alia infeſtis (nam ſors ita junxit) in armis
Styrus adeſt, laetuſque virum cognoſcit Anauſin;
Et prior: En cujus thalamis Aeëtia virgo
Dicta manet, noſtroſque feret qui victor amores.
Non, ait: invitoque gener mutabere patri.
Tum ſimul adverſas conlatis curſibus haſtas
Conjiciunt: fugit adductis Albanus habenis
Saucius, atque datum leto non ſperat Anauſin,
Nec videt. ille autem telo moribundus adacto,
Ad ſoceros, pactaeque ſinus en conjugis, inquit,
Styre, fugis; vulnus referens, quod carmine nullo
Suſtineat, nulliſque levet Medea venenis.
Dixerat: extremus cùm lumina corripit error;
Voxque repreſſa gelu, percuſſaque vertice tellus.
Hinc animos acies auget; magnoque doloris
Turbine Geſandrum Mavors rapit: ille morantes
Increpat, & ſtricto ſic urguet Iazygas enſe:
Nempe omnes cecidere ſenes, nempe omnis ademtus
Ante pater. quae vos ſubitò tam foeda ſenectus
Corripuit, fregitque animos, atque abſtulit iras?

Digitized by Google

Aut mecum mediam, juvenes, agite, ite per urbem
Argolicamque manum; aut caris occumbite natis.
Inruit, & patrias coeptis ferus advocat umbras:
Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc, animamque parem; ſi fata peroſo
Tarda tibi turpeſque moras non ſegnius ipſi
Paruimus, parvique viam didicere nepotes.
Haec ait, auditurque Erebo: tunc corripit enſem
Turbidus, & Furiis ardens quatit arma paternis.
Indigenis ſacratus aquis, magnique ſacerdos
Phaſidis Arctoïs Aquites errabat in armis;
Populeus cui frondis honor, conſpectaque glauco
Tempora nectuntur ramo; te, Cyrne, parentis
Inmemorem durae cupiens abducere pugnae;
Jamque omnes inpune globos diverſaque luſtrans
Agmina, quem quaerit, nuſquam videt, atque iterum inſtat
Vociferans, iterum belli diverſa peragrat:
Lancea caeruleas circum ſtrepit incita vittas.
Opprimit admiſſis ferus hunc Geſander habenis.
Ille manum trepidans atque irrita ſacra tetendit:
Teque per hanc, inquit, genitor tibi ſi manet, oro
Canitiem, conpeſce minas, & ſicubi nato
Parce meo. dixit. contrà ſic victor adacto
Enſe refert: Genitor, turpi durare ſenecta
Quem mihi reris adhuc, ipſe hac occumbere dextra
Maluit, atque ultro ſegnes abrumpere metas.
Et tibi ſi pietas nati, ſi dextra fuiſſet,
Haud medii precibus tereres nunc tempora belli,
Praeda future canum. juveni ſors pulchrior omni;
Et certare manu decet, & caruiſſe ſepulcro.
Dixerat: ille deos moriens coelumque precatur,
Dextera ne miſero talis foret obvia nato.
Te quoque, Canthe, tui non inſcia funeris Argo
Flevit, ab invita rapientem tela carina:
Jam Scythicos miſerande ſinus, jam Phaſidis amnem
Contigeras: nec longa dies, ut capta videres
Vellera, & Euboicis patrios de montibus ignes.

Illum, ubi congreſſu ſubiit Geſander iniquo,
Territat his: Tu, qui faciles hominumque putaſti
Has, Argive, domos, alium hîc miſer adſpicis annum,
Altricemque nivem, feſtinaque taedia vitae
Non nos aut levibus conponere brachia remis
Novimus, aut ventos opus exſpectare ferentes:
Imus equis, quà vel medio riget aequore pontus,
Vel tumida fremit Hiſter aqua: nec moenia nobis
Veſtra placent: feror Arctois nam liber in arvis
Cuncta tenens mecum: omnis amor jacturaque plauſtri
Sola; nec hac longum victor potiere rapina.
Aſt epulae quodcumque pecus, quaecumque ferarum.
Mitte Aſiae, mitte Argolicis mandata colonis;
Ne trepident. numquam has hiemes, haec ſaxa relinquam
Martis agros: ubi jam ſaevi duravimus amne
Progeniem, natoſque rudes: ubi copia leti
Tanta viris? ſic in patriis bellare pruinis
Praedarique juvat: talemque hanc accipe dextram.
Dixit, & Edonis nutritum miſſile ventis
Concitat: it medium per pectus & horrida nexu
Letifer aera chalybs. trepidus ſuper advolat Idas,
Ac ſimul Oenides, pariterque Menoetius, & qui
Bebrycio propius remeavit ab hoſpite victor.
At verò ingentem Telamon procul extulit orbem,
Exanimem te, Canthe, tegens: ceu ſeptus in arto
Dat catulos poſt terga leo. ſic comminus haſtam
Aeacides greſſumque tenet, contraque ruentem.
Septeno validam circumfert tegmine molem.
Nec minus hinc urguet Scythiae manus, armaque Canthi,
Quiſque ſibi & Grajo poenam de corpore poſcens.
Arduus inde labos: medioque in corpore pugna
Conſeritur. magno veluti cùm turbine ſeſe
Ipſius Aeoliae frangunt in limine venti,
Quem pelagi rabies, quem nubila, quemque ſequatur
Illa dies: obnixa virûm ſic comminus haeret
Pugna; nec arrepto velli de corpore poſſunt.

Ut bovis exuvias multo qui frangere olivo
Dat famulis: tendunt illi, tractuque viciſſim
Taurea terga domant: pingui fluit unguine tellus.
Talis utrimque labos, raptataque limite in arto
Membra viri miſeranda meant. hi tendere contrà,
Hi contrà; alternaeque virûm non cedere dextrae.
Hinc medium Telamon Canthum rapit; hinc tenet ardens
Colla viri, & molles galeae Geſander habenas:
Inſonuit quae labſa ſolo, dextramque fefellit.
Ille iterum in clipei ſeptemplicis improbus orbem
Arietat, & Canthum ſequitur, Canthumque repoſcit:
Quem manus à tergo ſociûm rapit, atque receptum
Virginis Euryales curru locat: advolat ipſa,
Ac ſimul Haemonidae: Geſandrumque omnis in unum
It manus. ille novas acies & virginis arma
Ut videt, Has etiam contra bellabimus? inquit.
Heu pudor! inde Lycen ferit ad confine papillae;
Inde Thoën, qua pelta vacat. jamque ibat in Harpen,
Vixdum prima levi ducentem cornua nervo,
Inlabentis equi tendentem frena & Hennippen:
Cùm regina, gravem nodis auroque ſecurim
Congeminans, partem capitis galeaeque ferinae
Diſſipat. hic pariter telorum inmanis in unum
It globus: ille diu conjectis ſufficit haſtis:
* Quin gravior, nutuque carens exterruit Idam.
Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri,
Quae ſcopulis trabibuſque diu confectaque flammis
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.
Ecce locum tempuſque ratus jamque & ſua poſci
Proelia, falcatos infert Ariaſmenus axes,
Saevaque diffundit ſociûm juga, protinus omnes
Grajugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.
Qualiter, exoſus Pyrrhae genus, aequora rurſus
Juppiter atque omnes fluviûm ſi fundat habenas,
Ardua Parnaſi lateant juga, ceſſerit Othrys
Piniger, & merſis decreſcant rupibus Alpes.
Diluvio tali, paribuſque Ariaſmenus urguet

Digitized by Google

Excidiis, nullo rapiens diſcrimine currus.
Aegida tum primùm virgo ſpiramque Meduſae
Tercentum ſaevis ſqualentem ſuſtulit hydris,
Quam ſoli vidiſtis equi: pavor occupat ingens
Excuſſis in terga viris; diramque retorquet
In ſocios non ſponte luem. tunc enſibus uncis
Inplicat, & trepidos lacerat diſcordia currus.
Romanas veluti ſaeviſſima cùm legiones
Tiſiphone regeſque movet; quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrimque micant, eademque parentis
Rura colunt; idem lectos ex omnibus agris
Miſerat infelix non haec ad proelia Thybris.
Sic modo concordes externaque fata petentes
Palladii rapuere metus; ſic in ſua verſi
Funera concurrunt dominis revocantibus axes.
Non tam foeda virûm Laurentibus agmina terris
Ejecere Noti; Libyco nec talis imago
Litore, cùm fractas involvunt aequora puppes.
Hinc bijuges, illinc artus tenduntur heriles,
Quos radii, quos frena ſecant; trahiturque trahitque
Currus caede madens; atroque in pulvere regum
Viſcera nunc aliis, aliis nunc curribus haerent.
Haud uſquam Colchorum animi: neque cura cavere
Tela; ſed inplicitos miſeraque in peſte revinctos
Confodiunt: ac forma necis non altera ſurgit;
Quam cervos ubi non Umbro venator edaci,
Non penna petit: haerentes ſed cornibus altis
Invenit. & caeca conſtrictos excipit ira.
Ipſe reconlectis audax Ariaſmenus armis
Deſilit: illum acies curvae ſecat undique falcis,
Partiturque rotis: atque inde furentia raptus
In juga Circaeos tetigit non amplius agros.
Talia certatim Minyae ſparſique Cytaei
Funera miſcebant campis, Scythiamque premebant:
Cùm Juno Aeſonidae, non hanc ad vellera cernens
Eſſe viam, nec ſic reditus regina parandos,
Extremam molitur opem; funeſta priuſquàm
Conſilia, ac ſeras aperit rex perfidus iras.

Increpat

Digitized by Google

Increpat & ſaevis Vulcanum moeſta querelis,
Cujus flammiferos videt inter regia tauros
Paſcua Tartaream proflantes pectore noctem.
Haec etenim Minyas ne jungere Marte peracto
Monſtra ſatis jubeat Cadmêi dentibus hydri,
Ante diem timet, & varias circumſpicit artes:
Sola animo Medea ſubit: mens omnis in una
Virgine; nocturnis qua nulla potentior aris.
Illius ad fremitus ſparſoſque per avia ſuccos
Sidera fixa pavent, & avi ſtupet orbita Solis:
Mutat agros fluviûmque vias; ſuus adligat igni
Cuncta ſopor: recoquit feſſos aetate parentes,
Datque alias ſine lege colus. hanc maxima Circe
Terrificis mirata modis, hanc advena Phrixus;
Quamvis Atracio lunam ſpumare veneno
Sciret, & Haemoniis agitari cantibus umbras.
Ergò opibus magicis & virginitate tremendam
Juno duci ſociam conjungere quaerit Achivo.
Non aliam tauris videt & naſcentibus armis
Quippe parem. quam, ſi medio ſtet in agmine flammae,
Nullum mente nefas, nullos horreſcere viſus.
Quid ſi caecus amor, ſaevuſque acceſſerit ignis?
Hinc Veneris thalamos, ſemperque recentia ſertis
Tecta petit. viſa jamdudum proſilit altis
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amorum.
Ac prior hanc blandis ſupplex Saturnia dictis
Adgreditur, veros metuens aperire timores:
In manibus ſpes noſtra tuis, omniſque poteſtas
Nunc, ait. hoc etiam magis adnue vera fatenti.
Durus ut Argolicis Tirynthius exſulat oris;
Mens mihi non eadem Jovis, atque averſa voluntas:
Nullus honor thalamis, flammaeve in nocte priores.
Da precor artificis blanda adſpiramina formae,
Ornatuſque tuos, terra coeloque potentes.
Senſit diva dolos, jam pridem ſponte requirens
Colchida & inviſi genus omne exſcindere Phoebi.
Tum verò optatis potitur; nec paſſa precari
Ulterius, dedit acre decus fecundaque monſtris

Cin-

Cingula; non pietas quibus, aut cuſtodia famae,
Non pudor: at contra levis & feſtina cupido,
Adfatuſque mali, dulciſque labantibus error,
Et metus, & demens alieni cura pericli.
Omne, ait, imperium, natorumque arma meorum
Cuncta dedi: quaſcumque libet nunc concute mentes.
Cingitur arcanis Saturnia laeta venenis,
Atque hinc virgineae venit ad penetralia ſedis,
Chalciopen imitata ſono formaque ſororem.
Fulſit ab invita numen pro ul: & pavor artus
Protinus, atque ingens Aeëtida perculit horror.
Ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus, inquit,
Adveniſſe, ſoror, nec noſtro ſola parenti
Scis ſocias junxiſſe manus? at cetera muros
Turba tenet, fruiturque virûm coeleſtibus armis.
Tu thalamis ignara ſedes, tu ſola paterna
Fixa domo? tales quando tibi cernere reges?
Illa nihil contrà; nec enim dea paſſa: manumque
Implicat, & rapidis mirantem paſſibus aufert.
Ducitur infelix ad moenia ſumma futuri
Neſcia virgo mali, & falſae conmiſſa ſorori.
Lilia per vernos lucent velut alba colores,
Praecipuè quîs vita brevis, totuſque parumper
Floret honor, fuſcis & jam Notus inminet alis.
Hanc reſidens altis Hecate Perſeïa lucis
Flebat, & has imo referebat pectore voces:
Deſeris, heu, noſtrum nemus aequaleſque catervas,
Ah miſera, ut Grajas haud ſponte vageris ad urbes!
Non injuſſa tamen: neque te, mea cura, relinquam.
Magna fugae monumenta dabis; ſpernêre nec uſquam
Mendaci captiva viro: meque ille magiſtram
Sentiet, & raptu famulae doluiſſe pudendo.
Dixerat. aſt illae murorum extrema capeſſunt,
Defixaeque virûm lituûmque fragoribus horrent.
Quales inſtanti nimborum frigore moeſtae
Succedunt ramis, haerentque pavore volucres.
Jamque Getae, jamque omnis Hiber, Drancaeaque denſa
Strage cadit legio, & latis poſternitur arvis:

Semi-

Semineceſque duces inter ſua tela, ſuoſque
Inter equos ſaevam miſero luctamine verſant
Congeriem, & longis campos ſingultibus inplent.
Victores contrà patrium Paeana Geloni
Congeminant: eadem redeunt mox gaudia victis;
Qua deus & melior belli reſpexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
Dic age, tuque feri reminiſcere, Muſa, furoris.
Abſyrtus clipei radiis curruque coruſcus
Solis avi; cujus vibrantem comminus haſtam
Cernere, nec galeam gentes potuere minantem;
Sed trepidae redeunt, & verſo vulnera tergo
Accipiunt, magniſque fugam clamoribus augent:
Proterit inpulſu gravis agmina, corporaque atris
Sternit equis, gemituſque premit ſpirantis acervi.
Nec levior comitatur Aron; horrentia cujus
Diſcolor arma ſuper, ſqualenteſque aere lacertos,
Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento
Inplet equum. qualis roſeis it Lucifer alis,
Quem Venus inluſtri gaudet producere coelo.
At non inde procul Rhambelus & acer Otaxes
Diſpulerant Colchos, pariterque inglorius Armes,
Fraude nova ſtabula & furtis aſſuetus inultis
Depopulare greges: frontem cum cornibus auxit
Hiſpidus, inque dei latuit terrore Lycaei.
Hac tunc attonitos facie defixerat hoſtes,
Quem ſimul ignota formidine bella moventem
Vidit Aron; Pavidos te, inquit, nunc rere magiſtros,
Et ſtolidum petiiſſe pecus: non paſcua, nec ſeps
Hîc tibi: nocturnis mitte haec ſimulacra rapinis;
Neve deum mihi finge; deus quoque conſere dextram.
Sic ait: intentaque adjutum miſſile planta
Dirigit, & laxis patuerunt vulnera villis.
Nec minus Aeolii proles Aeëtia Phrixi
Fertur & ipſa furens; ac ſe modò laeta Cytaeis
Agminibus, modò cognatis oſtentat Achivis.
Atque hos, in medio duri diſcrimine belli,
Laudibus inque ipſis, gaudens ubi vidit Iaſon;

Digitized by Google

Macte, ait, ô noſtrum genus, & jam certa propago
Aeoliae nec opina domûs: ſat magna laborum
Dona fero, ſatis hoc viſu quaecumque rependo.
Dixit, & in Sueten, magnique in fata Ceramni
Emicuit: clipeumque rotans, hunc poplite caeſo
Dejicit, illum aperit lato per pectus hiatu.
Argus utrumque ab equis ingenti porrigit arvo
Et Zacorum & Phalcen, peditem pedes haurit Amaſtrum.
Sanguinis ille globos, effuſaque viſcera geſtat,
Barbarus & caſſa frendens ſublabitur ira.
Dat Calais Bariſanta neci, ſemperque propinquas
Rhipea venali comitantem ſanguine pugnas.
Centum lecta boum bellator corpora, centum
Pactus equos; his ille animam lucemque rependit
Crudelis: tandem dulces jam caſſus in auras
Reſpicit, ac nulla coelum reparabile gaza.
Labitur intortos per tempora caerula crines
Tunc quoque materna velatus harundine Peucron.
At genetrix imis pariter Maeotis ab antris
Inplevit plangore lacus, natumque vocavit,
Jam non per ripas, jam non per curva volantem
Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos
Eurytus Exomatas agit aequore. Neſtoris haſtae
Inmoritur primaevus Helix (nec reddita caro
Nutrimenta patri) brevibus praereptus in annis.
At Latagum Zatenque Daraps; illum exigit haſta,
Hunc fugat; ingentem ſubiti cum ſanguinis undam
Vidit, & extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris reſidens Medea paternis,
Singula dum magni luſtrat certamina belli,
Atque hos ipſa procul denſa in caligine reges
Agnoſcit, quaeritque alios Junone magiſtra,
Conſpicit Aeſonium longè caput: ac ſimul acres
Huc oculos ſenſuſque refert animumque faventem:
Nunc quo ſe raperet, nunc quo diverſus abiret,
Ante videns; quotque unus equos, quot funderet arma,
Oranteſque viros quàm denſis ſterneret haſtis.

Digitized by Google

Quaque iterum tacito ſparſit vaga lumina vultu,
Aut fratris quaerens, aut pacti conjugis arma,
Saevus ibi miſerae ſoluſque occurrit Iaſon.
Tunc his germanam adgreditur, ceu neſcia, dictis:
Quis, precor, hic; toto jamdudum fervere campo
Quem tueor, quemque ipſa vides? nam te quoque tali
Attonitam virtute reor. contrà aſpera Juno
Reddit agens ſtimulis, ac diris fraudibus urguet:
Ipſum, ait, Aeſoniden cernis, ſoror; aequore tanto
Debita cognati repetit qui vellera Phrixi.
Nec nunc laude prior generis, nec ſanguinis uſquam.
Aſpicis, ut Minyas inter proceresque Cytaeos
Emicet effulgens; quantiſque inſultet acervis:
Et jam vela dabit, jam litora noſtra relinquet,
Theſſaliae felicis opes, dilectaque Phrixo
Rura petens. eat atque utinam, ſuperetque labores!
Tantum effata, magis campis intendere ſuadet,
Dùm datur, ardenteſque viri percurrere pugnas.
At ſimul hanc dictis, illum dea Marte ſecundo
Inpulit, atque novas egit ſub pectora vires,
Ora ſub excelſo jam dudum vertice comi
Saeva micant, curſuſque ardeſcit: nec tibi, Perſe,
Nec tibi, virgo, jubae laetabile ſidus Achivae.
Acer ut autumni canis, iratoque vocati
Ab Jove fatales ad regna injuſta cometae.
Nec ſua Crethiden latuit dea, vimque recentem
Sentit agi membris, ac ſe ſuper agmina tollit:
Quantus ubi ipſe gelu, magnoque incanuit imbre
Caucaſus, & ſummas abiit hibernus in Arctos.
Tunc verò, ſtabulis qualis leo ſaevit opimis
Luxurians, ſpargitque famem, mutatque cruores,
Sic neque parte ferox, nec caede moratur in una
Turbidus; inque omnes pariter furit: ac modò ſaevo
Enſe, modò infeſta rareſcunt cuſpide pugnae.
Tunc & terrificis ſudantem crinibus Hebrum,
Et Geticum Priona ferit: caput eripit Auchi,
Brachiaque, & vaſtis volvendum mittit harenis.
At genitus Jove conplerat ſua fata Colaxes;

Digitized by Google

Jamque pater moeſto contriſtat ſidera vultu ,
Talibus aegra movens nequicquam pectora curis :
Hei mihi , ſi durae natum ſubducere ſorti
Moliar , atque meis auſim confidere regnis !
Frater adhuc Amyci moeret nece : cunctaque divûm
Turba fremunt , quorum nati cecidere cadentque.
Quin habeat ſua quemque dies : cunctiſque negabo ,
Quae mihi. ſupremos miſero ſic fatus honores
Congerit , atque animis moriturum ingentibus inplet.
Ille volat campis , inmenſaque funera miſcet
Per cuneos : velut hiberno proruptus ab arcu
Imber agens ſcopulos , nemorumque operumque ruinas ;
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur,inque novum paullatim deficit amnem.
Talis in extremo proles Jovis emicat aevo ;
Et nunc magnanimos Hypetaona Geſithoumque ,
Nunc Arinen Olbumque necat : jam ſaucius Apren,
Et deſertus equo Tydrum pedes excipit haſta
Phaſiaden ; pecoris cuſtos de more paterni
Caucaſus ad primas genuit quem Phaſidis undas :
Hinc puero cognomen erat ; famulumque ferebant
Phaſidis intonſo nequicquam crine parentes.
Jamque aliis inſtabat atrox ; cùm diva ſupremas
Rumpit iniqua colus , victorque advênit Iäſon.
Excipit hunc ſaeva ſic fatus voce Colaxes :
Vos Scythiae ſaturare canes , Scythiaeque volucres
Huc miſeri veniſtis ? ait : ſaxumque prehenſum
Illius & dextrae geſtamen , & illius aevi ,
Concuſſa molitur humo ; quod regia Juno
Flexit in admoti caput in fatumque Moneſi.
Praceps ille ruit. nato non depulit ictus
Juppiter ; Aeſoniae vulnus fatale ſed haſtae
Per clipeum , per pectus abit : labſoque cruentus
Advolat Aeſonides, mortemque cadentis acerbat.
Spargitur hinc , miſeriſque venit jam notus Alanis.
At regina virum (neque enim deus amovet ignem)
Perſequitur luſtrans , oculiſque ardentibus haeret :

Et

Digitized by Google

Et jam, laeta minùs praeſentis imagine pugnae,
Caſtigatque metus, &, quas alit inſcia, curas;
Reſpiciens, an vera ſoror: nec credere falſos
Audet atrox vultus, eademque in gaudia rurſus
Labitur, & ſaevae trahitur dulcedine flammae.
Ac velut ante comas ac ſumma cacumina ſilvae
Lenibus adludit flabris levis Auſter: at illum
Protinus inmanem miſerae ſenſere carinae.
Talis ad extremos agitur Medea furores:
Interdum blandae derepta monilia divae
Contrectat, miſeroque aptat flagrantia collo:
Quaque dedit teneros aurum furiale per artus,
Deficit; ac ſua virgo deae geſtamina reddit:
Non gemmis, non illa levi turbata metallo,
Sed facibus, ſed mole dei; quem pectore toto
Jam tenet: extremus roſeo pudor errat in ore.
Ac prior his: Credisne patrem promiſſa daturum,
O ſoror, Argolicus cui dîs melioribus hoſpes
Contigit? aut belli quantum jam reſtat acerbi?
Heu quibus ignota ſeſe pro gente periclis
Objicit! haec ſantem medio in ſermone reliquit
Incepti jam Juno potens, ſecuraque fraudis.
Inminet è celſis audentius improba muris
Virgo, nec ablatam ſequitur quaeritve ſororem.
At quotiens vis dira ducum, denſique repente
Aeſoniden preſſere viri, cumque omnis in unum
Imber iit; totiens ſaxis pulſatur & haſtis.
Primaque ad infeſti Lexanoris horruit arcus;
Alta ſed Aeſonium ſupra caput exit harundo,
Teque, Caïce, petit. conjunx miſeranda Caïco
Linquitur, & primo domus inperfecta cubili.
Regius Eoïs Myraces interpres ab oris
Venerat, ut Colchos procul atque Aeëtia Parthis
Foedera donato non irrita jungeret auro.
Tum juvenem terris Parcae tenuere Cytaeis,
Ac ſubiti Mavortis amor: ſimul armiger ibat
Semivir, inpubemque gerens ſterilemque juventam.
Ipſe, pharetratis reſidens ad frena tapetis,

Digitized by Google

Nunc levis infeſto procurrit in agmina curru:
Nunc fuga converſas ſpargit mentita ſagittas.
At viridem gemmis & Eoae ſtamine ſilvae
Subligat extrema patrium cervice tiaram,
Inſignis manicis, inſignis acinace dextro;
Improba barbaricae procurrunt tegmina plantae.
Nec latuere diu ſaevum ſpolia illa Syenen,
Perque levem & multo maculatam murice tigrin
Concita cuſpis abit: ſubitos ex ore cruores
Saucia tigris agit, vitamque effundit herilem:
Ipſe puer fracto pronum caput inplicat arcu.
Sanguine tunc atro chlamys ignea, ſanguine vultus,
Et gravidae maduere comae, quas flore Sabaeo
Nutrierat, liquidoque parens ſignaverat auro.
Qualem ſi quis aquis & fertilis ubere terrae
Educat, ac ventis oleam felicibus inplet,
Nec labor aſſiduus, nec ſpes ſua fallit alentem;
Jamque videt primam tenero de vertice frondem:
Cùm ſubitò inmiſſis praeceps aquilonia nimbis
Venit hiems, nigraque evulſam tendit harena.
Haud ſecus ante urbem Myraces, atque ipſius ante
Virginis ora cadit: ſed non magis illa movetur
Unius aegra metu; quàm te, Meleagre, furentem,
Quàm Talaum videt, aut pugnas miratur Acaſti
(At ſatis hos ipſae gentes, campique videbant)
Tempeſtate pari verſis incumbere turmis:
Ante oculos fuga foeda ducum, larguſque cadentum
It cruor, & currus dominis ingentibus orbi.
Non tulit hos Perſes gemitus: clademque ſuorum,
Tergaque verſa tuens his coelum queſtibus inplet.
Quid me jam patriis ejectum ſedibus iſtas
Ut ſtruerem pugnas, Scythiamque in bella moverem,
Vos Superi, vos augurio juſſiſtis inani?
Quid fratris meritas tua, Juppiter, omina poenas
Promiſere mihi? nobis Argoa parabas
Scilicet auxilia, & tantas conjungere vires.
Saeva quidem lucis miſeris mora: dent tamen oro
Unum illum mihi fata diem, quo fallat Achivos

Sic

Sic meritos; quoque hunc videam virtute ſuperbum
Aeſoniden, tantos flentem ſine honore labores.
Dixerat haec, pectuſque ſuis everberat armis,
Et galeam fletu, galeam ſingultibus inplet:
Ibat & in medii praeceps incendia belli;
Ni prior adverſis Pallas vidiſſet ab armis:
Et ſecum; Ruit ecce ferox in funera Perſes,
Quem genitor Colchis ſolioque reponere fratris
Jam ſtatuit. noſtra vereor ne fraude peremtum
Increpet, & culpam hanc magno terrore rependat.
Haec dicens, atro nebulam diffundit amictu
Stridenteſque viri circum caput amovet haſtas.
Ille ſuper ſocias clementi turbine gentes
Erigitur, paullumque levi raptatus in aethra,
Jam tandem extremas pugnae defertur in oras:
Forte ubi ſerus Hiber Eſſedoniaeque phalanges
Marte carent, ſoliſque juvant clamoribus agmen.
Nox ſimul aſtriferas profert mortalibus umbras:
Et cadit extemplo belli fragor; aegraque muris
Digreditur, longum virgo perpeſſa timorem.
Ut fera Nyctelii paulliſper ſacra reſiſtunt;
Mox rapuere deum jamjam quocumque paratae
Thyades, hand alio remeat Medea tumultu,
Atque inter Grajûmque acies patriaſque phalanges
Semper inexpletis agnoſcit Iäſona curis,
Armaque, quique cava ſupereſt de caſſide vultus.

Digitized by Google

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON

LIBER SEPTIMUS.

TE quoque Theſſalico jam ſerus ab hoſpite veſper
Dividit, & te jam tua gaudia, virgo, relinquunt:
Noxque ruit, ſoli veniens non mitis amanti.
Ergo ubi, cunctatis extremo in limine plantis,
Contigit aegra toros, & mens incenſa tenebris;
Vertere tunc varios per longa inſomnia queſtus,
Nec pereat quo ſcire modo: tandemque fateri
Auſa ſibi, paullum medio ſic fata dolore eſt:
Nunc ego quo caſu; vel quo ſic pervigil uſque
Ipſa volens errore trahor? non haec mihi certè
Nox erat ante tuos, juvenis fortiſſime, vultus.
Quos ego cur iterum demens iterumque recordor,
Tam magno diſcreta mari? quid in hoſpite ſolo
Mens mihi? cognati potius jam vellera Phrixi
Accipiat, quae ſola petit, quaeque una laborum
Cauſſa viro. nam quando domos has ille reviſet?
Aut meus Aeſonias quando pater ibit ad urbes?
Felices, mediis qui ſe dare fluctibus auſi,
Nec tantas timuere vias, talemque ſecuti
Hunc qui deinde virum: ſed ſic quoque talis abito.
Tum jactata toro, nimiumque experta cubile,
Ecce videt tenui candeſcere limen Eoo:
Nec minus inſomnem lux orta refecit amantem,
Quàm cùm languentes levis erigit imber ariſtas,
Grataque jam feſſis deſcendunt flamina remis.

Digitized by Google

At ſua longarum Minyas jam cura viarum
Admonet, inque ipſo nequicquam tempore regem
Laetitiae meritique petunt; quem paſſus Iāſon
Vota prius captáſque deis accendere praedas,
Prominet, atque oculos longè tenet; aurea ſi jam
Pellis, & oblatis clareſcant atria villis.
Ille autem jamjam vultus voceſque parantem
Ante aperit; rumpitque moras, inque ipſa morantis
Proſilit ora viri, talique effunditur ira:
Orbe ſatos alio, ſua litora regnaque habentes,
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
Quiſve mei vos tantus amor? tu prima malorum
Cauſſa mihi; tu, Phrixe gener: non te aequore merſum,
Quo ſoror, ut felix nullos nunc nomine Grajos
Noſſem ego? quis regum Pelias, quis Theſſalus, aut quae
Graecia? quodnam hominum cerno genus? aut ubi cautes
Cyaneae? venit Scythioas en hoſpes in oras.
Quinquaginta Aſiam (pudet heu!) penetrarit Iāſon
Exſulibus? meque ante alios ſic ſpreverit una,
Una ratis, ſpolium ut vivo de rege reportet?
Ipſum offerre meos, ipſum me pandere lucos
Imperet? & nullo dignetur vincere bello?
Cur, age, non templis ſacrata avellere dona
Omnibus, atque ipſas gremiis abducere natas,
Praedo, libet? vobiſne domos, vobiſne parentes
Eſſe putem, ratis infandis quos ſola rapinis
Saevaque paſcit hiems? & quos, credamus ut ipſis,
Rex ſuus inliſit pelago, vetuitque reverti?
Scilicet Aeoliae pecudis poteretur ut auro?
Ante meos caeſa deſcendet Caucaſus umbra,
Ac prior Haemonias repetet ſuper aequora praedas.
Haud ego cum vittis ſtatui feralibus Hellen.
Si tamen his aliter perſtas non cedere terris,
Teque pudor caſſi reditûs movet, ac latet una
Neſcio quid plus puppe viris; haud ipſe morabor
Quae petitis: modo noſtra prior tu perfice juſſa.
Martius ante urbem longis jacet horridus annis

Digitized by Google

Campus, & ardentes, ac me quoque vomere preſſo,
Me quoque cunctantes interdum agnoſcere tauri.
His magis atque magis rabiem nunc noſtra ſenectus
Luxuriemque dedit; ſolitoque ſuperbior ignis
Ore fremit. ſuccede meae, fortiſſime, laudi;
Et noſtros recole, hoſpes, agros. nec ſemina deerunt,
Quae prius ipſe dabam, & meſſes, quas ſolus obibam.
Conſiliis nox una ſatis. tecumque retracta,
Cumque tuis haec juſſa deis: ac, ſi quid in iſto eſt
Robore, praedicti venies in rura laboris.
Ipſe incertus adhuc, tenebris te protinus illis
Involvi flammiſque velim: durare parumper
An magis, everſo jacias dum ſemina campo,
Ac tibi Cadméi dum ſeminis exeat hydri
Miles, & armata floreſcant pube novales.
Filia prima trucis vocem mirata tyranni
Haeſit, & ad juvenem pallentia rettulit ora,
Contremuitque metu, ne neſcius audeat hoſpes,
Seque miſer ne poſſe putet. perſtrinxerat horror
Ipſum etiam, & moeſta ſtabat defixus in ira.
Non ita Tyrrhenus ſtupet Iöniuſque magiſter,
Qui portus Tyberine tuos, claramque ſerena
Arce Pharon praeceps ſubiit: nuſquam oſtia, nuſquam
Auſoniam videt, & ſaevas accedere Syrtes.
Tum tamen infando quae det reſponſa tyranno
Conligit, & tandem obtutu conſurgit ab alto:
Non, ait, hos reditus, non hanc, Aeëta, dediſti
Spem Minyis: cùm prima tuis pro moenibus arma
Induimus. quo verſa fides? quos veſtra volutant
Juſſa dolos? alium hic Pelian, alia aequora cerno.
Quin agite, hoc omnes odiiſque urguete tyranni
Imperiiſque caput; quamquam mihi dextera, nec ſpes
Defuerit mox juſſa pati, nec cedere duris.
Unum oro, ſeu me illa ſuis ſeges obruet haſtis,
Hauriet adverſo ſeu craſtinus ignis hiatu;
Nuntius hinc ſaevas Peliae mittatur ad aures,
Hic periiſſe viros; & me, ſi veſtra fuiſſet
Ulla fides, reducem patriae potuiſſe referri.

Tali-

Talibus attonitos dictis natamque patremque
Linquit, & infida praeceps prorumpit ab aula.
At trepida & medios inter deſerta parentes
Virgo ſilet: nec fixa ſolo ſervare parumper
Lumina, nec potuit moeſtos non flectere vultus:
Reſpexitque fores, & adhuc invênit euntem:
Viſus & heu miſerae tunc pulchrior hoſpes amanti
Diſcedens: tales humeros, ea terga relinquit.
Illa domum atque ipſos paullum procedere poſtes
Optat, & ardentes tenet intra limina greſſus.
Qualis, ubi extremas Iö vaga ſentit harenas,
Fertque refertque pedem; tumido quam cogit Erinnys
Ire mari, Phariaeque vocant trans aequora matres.
Circuit haul aliter, foribuſque inpendet apertis,
An melior Minyas revocet pater: oraque quaerens
Hoſpitis, aut ſolo moeret defecta cubili,
Aut venit in carae gremium refugitque ſororis,
Atque loqui conata ſilet; rurſuſque recedens
Quaerit, ut Aeaeis hoſpes conſederit oris
Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones.
Tum comitum viſu fruitur miſeranda ſuarum,
Inplerique nequit; ſubitoque parentibus haeret
Blandior, & patriae circumfert oſcula dextrae.
Sic adſueta toris & menſae dulcis herili,
Aegra nova jam peſte canis rabieque futura,
Ante fugam totos luſtrat queribunda penates.
Tandem etiam molli ſeſe ſemel increpat ira:
Pergis, ait, demens; teque illius angit imago
Curaque, qui profuga forſan tenet alta carina?
Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?
Quid me autem ſic ille movet, ſuperetne labores,
An cadat, & tanto turbetur Graecia luctu?
Saltem, fata virum ſi jam ſuprema ferebant,
Juſſus ad ignotos potius foret ire tyrannos!
O utinam, & tandem non hac moreretur in urbe!
Namque & ſidereo noſtri de ſanguine Phrixi
Dicitur; & caram vidi indoluiſſe ſororem:
Seque ait has juſſis actum miſer ire per undas.

Aut redeat quocumque modo, meque iſta precari
Neſciat, atque meum non oderit ille parentem.
Dixerat haec, ſtratoque graves projecerat artus,
Si veniat miſerata quies; cùm ſaevior ipſe
Turbat agitque ſopor: ſupplex hinc ſternitur hoſpes,
Hinc pater: illa nova rumpit formidine ſomnos,
Erigiturque toro; famulas caroſque penates
Agnoſcit, modo Theſſalicas raptata per urbes.
Turbidus ut poenis caeciſque pavoribus enſem
Corripit, & ſaevae ferit agmina matris Oreſtes;
Ipſum angues, ipſum horriſoni quatit ira flagelli;
Atque iterum infeſtae ſe fervere caede Lacaenae
Credit agens, falſaque redit de ſtrage dearum
Feſſus, & in miſerae conlabitur ora ſororis.
His ubi nequicquam nutantem Colchida curis
Juno videt necdum extremo parêre furori;
Non jam mentitae vultum vocemque reſumit
Chalciopes; quando ardor hebet, leviorque pudori
Menſque obnixa malo; tenues ſublimis in auras
Tollitur, & fulvo Venerem veſtigat Olympo:
Sum memor, ut totum mecum partita laborem;
Illa nimis ſed dura manet, converſaque in iram
Et Furias dolet, ac me nunc decepta reliquit.
I, precor, atque iſtum, quo me fruſtratur, amorem
Vince precor; patriis ut tandem evadere tectis
Audeat, atque meum caſu defendere ab omni
Aeſoniden. quin illa, ſacro quo freta veneno,
Illum etiam totis adſtantem noctibus anguem,
Qui nemus omne ſuum, quique aurea (reſpice porrò)
Vellera tot ſpiris circum, tot ductibus inplet,
Solvat, & in ſomnos ingenti ſolvat ab orno.
Haec tibi nunc: Furiis, atque ipſi cetera mando.
Tum Venus aligerûm mater ſic fatur Amorum:
Nec tibi, cùm primos adgreſſa es flectere ſenſus
Virginis, ignotaque animum contingere cura,
Deſuimus: data continuò ſed cingula ſoli
Noſtra tibi, quîs mota loco labefactaque ceſſit.
Haud ſatis eſt; ſed me ipſa opus eſt: cunctantia poſcunt
Pectora

Digitized by Google

Pectora me, dubiuſque pudor: jam foedera faxo
Aeſonii petat ipſa viri, metuatque morari.
Tu face luciferae citus ad delubra Dianae
Deveniat, ſacras ſolita eſt ubi fundere taedas
Colchis, & aequali dominam luſtrare caterva.
Nec te nunc Hecates ſubeat metus, aut mea forte
Inpediat ne coepta time. quin audeat opto:
Continuò tranſibit amor; cantuque trilingui
Ipſam flammiferos cogam conpeſcere tauros,
Amplexumque pati. volucrem tunc adſpicit Irin,
Feſtinamque jubet monitis parêre Diones;
Et juvenem Æeſonium praedicto ſiſtere luco.
Protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit
Colchida: Caucaſiis ſpeculatrix Juno reſedit
Rupibus, attonitos Æeaea in moenia vultus
Speque metuque tenens, & adhuc ignara futuri.
Vix primas occulta Venus proſpexerat arces;
Virginis ecce novus mentem perſtringere languor
Incipit: ingeminant conmotis queſtibus aeſtus.
Ergo iterum ſenſus varios ſuper hoſpite volvens
Moeret, & abſenti nequicquam talia fatur.
Si tibi Theſſalicis, nunc ſi tua forte venenis
Mater, & heu, ſi qua eſt, poſſet ſuccurrere conjunx!
Quidve tuos virgo poſſim niſi flere labores?
Hoc ſatis; ipſa etiam caſus ſpectare ſupremos,
Atque iterum durae cogar comes eſſe ſorori.
Et nunc ille ſua non quemquam ſorte moveri,
Non ullum meminiſſe putat: cumque omnibus odit
Me quoque. ſi quando fuerit tamen ulla poteſtas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus haeſerit arvis,
Oſſaque, quîs tauri ſaevuſque pepercerit ignis,
Conponam, ſedemque dabo. fas tunc mihi manes
Dilexiſſe viri, tumuloque has reddere curas.
Dixerat. ecce toro Venus inproviſa reſedit,
Sicut erat mutata deam, mentitaque pictis
Veſtibus & magica Circen Titanida virga.
Ipſa, velut lenti fallatur imagine ſomni,
Hic oculos incerta tenet, magnique ſororem

Paullatim putat eſſe patris: tum flebile gaudens
Proſiluit, ſaevaeque ultro tulit oſcula divae.
Ac prior: O tandem, vix tandem reddita Circe
Dura tuis; quae te bijugis ſerpentibus egit
Hinc fuga? quaeve fuit patriis mora gratior oris?
Ante & Theſſalicae Phaſin petiere carinae,
Perque tot infelix fruſtra vada venit Iäſon,
Quàm patriae te movit amor. tum cetera rumpit,
Occurritque Venus: Tu nunc mihi cauſa viarum;
Sola tuae venio jampridem ignara juventae:
Cetera parce queri; neu me meliora ſecutam
Argue: quippe ut reputentur munera divûm.
Omnibus hunc potius communem animantibus orbem,
Communes & crede deos. patriam inde vocato,
Qua redit itque dies. nec nos dîs nata malignis
Luſerit hoc crudo ſemper ſub frigore meſſis.
Fas mihi non ſtabiles, fas & tibi linquere Colchos.
Et nunc Auſonii conjunx ego regia Pici:
Nec mihi flammiferis hòrrent ibi paſcua tauris;
Meque vides Tuſci dominam maris. at tibi quinam
Sauromatae, miſeranda, proci? cui vadis Hibero,
(Hei mihi!) vel ſaevo conjunx non una Gelono?
Illa deae contra jamdudum ſpernere voces:
Non ita me inmemorem magnae Perſeidos, inquit,
Cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
I, precor, atque unum pro me dimitte timorem.
Sed magis his miſeram, quando potes, eripe curis,
Unde metus aeſtuſque mihi, quaeque aſpera, mater,
Perpetior durae jamdudum incendia mentis.
Nulla quies animo, nullus ſopor: ardua amanti.
Quaere malis noſtris requiem, mentemque repone:
Redde diem noctemque mihi; da prendere veſtes
Somniferas, ipſaque oculos conponere virga.
Tu quoque nil, mater, prodes mihi: fortior antè
Sola fui. triſtes thalamos, infeſtaque cerno
Omina, vipereos ipſi tibi ſurgere crines.
Talia verba dabat, conlabſaque flebat iniquae

Digitized by Google

In Veneris Medea ſinus, peſtemque latentem
Oſſibus, atque imi monſtrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus, & furialia figit
Oſcula, permixtumque odiis inſpirat amorem.
Dumque illam variis moerentem vocibus ambit,
Inque alio ſermone tenet; Quin hoc, ait, audi,
Atque attolle genas. lacrimiſque haec infit obortis:
Cum levis à ſuperis ad te modo laberer auris;
Forte ratem primo fugientem litore cerno,
Qualem noſtra ſuo numquam dimittere portu
Vellet, adhuc omnes quae detinet inſula nautas.
Unus ibi ante alios qui cum mihi pulchrior omnes
Viſus erat (longeque ducem mirabar & ipſa)
Advolat, atque unam comitum ratus eſſe tuarum:
Per, tibi ſi quis, ait, morituri protinus horror,
Et quem non meritis videas occurrere monſtris,
Haec precor: haec dominae referas ad virginis aurem:
Tu fletus oſtende meos: illi has ego voces
Qua datur, haſque manus, ut poſſum, à litore tendo.
Ipſae, ego quas mecum per mille pericula traxi,
Defecere deae. ſpes & via ſola ſalutis,
Quam dederit, ſi forte dabit. ne vota repellat,
Ne mea: totque animas, quales nec viderit ultra,
Dic precor, auxilio juvet, atque haec nomina ſervet.
Si Pelopis duros prior Hippodamia labores
Expediit, totque ora ſimul jugulata procorum
Reſpiciens, tandem patrios exhorruit axes:
Si dedit ipſa neci fratrem Minoïa virgo:
Cur non hoſpitibus fas ſit ſuccurrere dignis
Te quoque, & Aeaeos jubeas miteſcere campos?
Occidat aeterna tandem Cadmeïa morte
Jam ſeges, & viſo fumantes hoſpite tauri.
Hei mihi, quòd nullas hic poſſum exſolvere grates!
Ut tamen hoc ſaeva corpus de morte receptum,
Hanc animam ſciat eſſe ſuam. miſerebitur ergo?
Dic, ait. an potius? ſtrictumque ruebat in enſem.
Promiſi: ne falle, precor. cumque ipſa moverer
Adloquio caſuque viri, te paſſa rogari

Sum potius: tu laude nova, tu ſupplice digno
Dignior es: ſat fama meis jam parta venenis.
Torſerat illa gravi jamdudum lumina vultu
Vix animos dextramque tenens, quin ipſa loquentis
Iret in ora deae; tanta pudor aeſtuat ira
Verba cavens: horror molles invaſerat annos.
Jamque toro trepidas infelix obſtruit aures;
Nec quo ferre fugam, nec quo ſe vertere poſſet
Prenſa videt: rupta condi tellure premique
Jamdudum cupit, ac diras evadere voces.
Illa ſequi jubet, & portis exſpectat in ipſis.
Saevus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
Deſerit, infectis per roſcida cornua vittis;
Cùm tenet ille deum, pudibundaque tegmina matris,
Tympanaque, & mollem ſubitò miſer accipit haſtam.
Haud aliter deſerta pavet, perque omnia circum
Fert oculos, tectiſque negat procedere virgo.
Contrà ſaevus amor, contrà periturus Iaſon
Urguet, & auditae creſcunt in pectore voces.
Heu quid agat? videt externo ſe prodere patrem
Dura viro: famam ſcelerum jamque ipſa ſuorum
Proſpicit: & queſtu ſuperos, queſtuque fatigat
Tartara: pulſat humum, manibuſque immurmurat uncis,
Noctis heram Ditemque ciens; ſuccurrere tandem
Morte velint, ipſumque ſimul dimittere leto,
Quem propter furit: abſentem ſaeviſſima poſcit
Nunc Pelian, tanta juvenem qui perderet ira:
Saepe ſuas miſero promittere deſtinat artes,
Denegat, atque una potius decernit in ira;
Ac neque tam turpi ceſſuram ſemper amori
Proclamat, neque opem ignoto vireſque daturam:
Atque toro projecta manet: cùm viſa vocari
Rurſus, & inpulſo ſonuerunt cardine poſtes.
Ergo ubi neſcio quo penitus ſe numine vinci
Sentit, & abſciſum quicquid pudor ante monebat;
Tum thalami penetrale petit, quae maxima norat
Auxilia Haemoniae quaerens pro rege carinae.

Utque

Digitized by Google

Utque procul magicis ſpirantia tecta venenis,
Et ſaevae patuere fores, oblataque contra
Omnia, quae Ponto, quae Manibus eruit imis,
Et quae ſanguinea Lunae deſtrinxit ab ira:
Tune ſequêris, ait, quicquam, aut patiere pudendum,
Cùm tibi tot mortes, ſceleriſque breviſſima tanti
Effugia? haec dicens, quo non velocius ulla,
Peſtiferam toto nequicquam lumine luſtrat.
Cunctaturque ſuper, morituraque conligit iras.
O nimium jucunda dies, quàm cara ſub ipſa
Morte magis! ſtetit, & ſeſe mirata furentem eſt.
Occidis, heu! primo potes hoc durare ſub aevo?
Nec tu lucis, ait, nec videris ulla juventae
Gaudia? nec dulces fratris pubeſcere malas?
Hunc quoque, qui nunc eſt primaevus, Iaſona neſcis
Morte perire tua, qui te nunc invocat unam,
Qui rogat, & noſtro quem primum in litore vidi?
Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras?
Tun' poteras iſtis juvenem non perdere monſtris
Protinus? ipſa etiam, fateor, tunc ipſa volebam.
Teſtor cara tuas, Circe Titania, voces:
Te ducente ſequor: tua me grandaeva fatigant
Conſilia, & monitis cedo minor. haec ubi fata,
Rurſus ad Haemonii juvenis curamque metumque
Vertitur: hunc ſolum propter ſeu vivere gaudens,
Sive mori, quodcumque velit. majora precatur
Carmina, majores Hecaten inmittere vires
Nunc ſibi; nec notis ſtabat contenta venenis.
Cingitur inde ſinus, & qua ſibi fida magis vis
Nulla, Prometheae florem de ſanguine fibrae
Caucaſium, tornitru nutritaque gramina, promit,
Quae ſacer ille nives inter triſteſque pruinas
Durat editque cruor; cùm viſcere vultur adeſo
Tollitur è ſcopulis, & roſtro inrorat aperto.
Idem nec longi langueſcit finibus aevi
Inmortale virens: idem ſtat fulmina contra
Sanguis, & in mediis floreſcunt ignibus herbae.
Prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen

Intulit, & validas ſcopulis effodit ariſtas :
Mox famulae monſtrata ſeges, quae lampade Phoebes
Sub decima juga foeta metit, ſaevitque per omnes
Relliquias ſaniemque dei ; gemit irritus ille
Colchidos ora tuens : totos tunc contrahit artus
Monte dolor, cunctaeque tremunt ſub falce catenae.
Talibus infelix contra ſua regna venenis
Induitur, noctique tremens infertur opacae.
Dat dextram vocemque Venus, blandiſque paventem
Adloquiis, junctoque trahit per moenia paſſu.
Qualis adhuc teneros ſupremum pallida foetus
Mater ab excelſo produxit in aëra nido,
Hortaturque ſequi, brevibuſque inſurgere pennis ;
Illos caerulei primus ferit horror Olympi ;
Jamque redire rogant, aſſuetaque quaeritur arbor.
Haud alia Aeaeae per moenia deficit urbis
Incedens, horretque domos Medea ſilentes.
Hic iterum extremae nequicquam in limine portae
Subſtitit, atque iterum fletus animique ſoluti :
Reſpexitque deam, paullumque his vocibus haeſit :
Ipſe rogat certè, meque ipſe inplorat Iäſon.
Nullane culpa ſubeſt ? labes non ulla pudoris,
Nullus amor : nec turpe viro ſervire precanti.
Illa nihil contrà, voceſque abrumpit inanes.
Et jam jam magico per opaca ſilentia Colchis
Coeperat ire ſono, monſtrataque condere vultus
Numina, cumque ſuis averti collibus amnes :
Jam ſtabulis gregibuſque pavor, ſtrepituſque ſepulcris
Inciderat : ſtupet ipſa gravi nox tardior umbra.
Jamque tremens longè ſequitur Venus. utque ſub altas
Pervenere trabes, divaeque triformis in umbram ;
Hîc ſubitò ante oculos nondum ſperatus Iäſon
Emicuit : viditque prior conterrita virgo.
Atque hic ſe profugam volucri Thaumantias ala
Suſtulit : inde Venus dextrae dilapſa tenenti.
Obvius ut fera cùm ſe ſub nocte magiſtris
Inpingit pecorique pavor ; qualeſve profundum

Per chaos occurrunt caecae ſine vocibus umbrae:
Haud ſecus in mediis noctis nemoriſque tenêbris
Inciderant ambo attoniti, juxtaque ſubibant,
Abietibus tacitis aut inmotis cypariſſis
Adſimiles, rapidus nondum quas miſcuit auſter.
Ergo ut erat vultu defixus uterque ſilenti,
Noxque ſuum peragebat iter; jam jam ora levare
Aeſoniden, farique cupit Medea priorem.
Quam ſimul effuſis pavitantem fletibus heros,
Flagranteſque genas vidit, miſerumque pudorem:
Has tandem voces dedit, & ſolatus amantem eſt:
Ferſne aliquam ſpem lucis? ait. miſerata laborem
Nempe venis? an & ipſa mea laetabere morte?
Ne precor infando ſimilem te, virgo, parenti
Geſſeris: haud tales decet inclementia vultus.
Haſcene nunc grates, haec exſpectata laborum
Dona dari decuit? ſic te ſub teſte remitti
Fas me, virgo, tuum? juſtas da vocibus aures.
Nec pater ille tuus tantis me opponere monſtris,
(Quid meritum?) aut tales voluit expendere poenas.
An jacet externa quod nunc mihi cuſpide Canthus?
Quodque meus veſtris cecidit pro moenibus Iphis?
Aut Scythiae tanta inde manus? juſſiſſet abire
Perfidus, atque ſuis extemplo cedere regnis.
Spem mihi promiſſam per quae diſcrimina rurſus,
Et reddat qua lege, vides. occumbere tandem
Poſſumus: idque ſedet, quàm non quaecumque ſubire
Patris juſſa tui: numquam ſine vellere abibo
Hinc ego: degenerem nec me tu prima videbis.
Haec ait. illa tremens, ut ſupplicis adſpicit ora
Conticuiſſe viri, jamque & ſua verba repoſci;
Nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo,
Quove tenus, prima cupiens effundere voce
Omnia, ſed nec prima pudor dat verba timenti.
Haeret, & attollens vix tandem lumina fatur:
Quid, precor, in noſtras veniſti, Theſſale, terras?
Unde mei ſpes ulla tibi? tantoſque petiſti
Cur non ipſe tua fretus virtute labores?

Digitized by Google

Nempe, ego ſi patriis timuiſſem excedere tectis,
Occideras: nempe hanc animam ſors ſaeva manebat
Funeris. en ubi Juno, ubi nunc Tritonia virgo;
Sola tibi quoniam tantis in caſibus adſum
Externae regina domûs: miraris & ipſe,
Credo: nec agnoſcunt hae nunc Aeetida ſilvae.
Sed fatis ſum victa tuis. cape munera ſupplex
Non mea: teque iterum Pelias ſi perdere quaeret,
Inque alios caſus, alias te mittet ad urbes;
Heu formae ne crede tuae. Titania jamque
Gramina, Perſaeaſque ſinu depromere vires
Coeperat; his iterum conpellat Iăſona dictis:
Si tamen aut ſumtis aliquam ſpem ponis in armis,
Aut tua praeſenti virtus educere leto
Si te forte poteſt; & jam nunc deprecor, hoſpes,
Me ſine, & inſontem miſero dimitte parenti.
Dixerat. extemplo (neque enim matura ruebant
* Sidera, & extremum ſuffixerat axe Booten)
Cum gemitu & multo juveni medicamina fletu
Non ſecus ac patriam, pariter famamque decuſque,
Objicit. ille manu ſubit, & vim corripit omnem.
Inde ubi facta nocens, & non revocabilis umquam
Ceſſit ab ore pudor, propiorque inplevit Erinnys;
Carmina nunc totos volvit figitque per artus
Aeſonidae, & totum ſepteno murmure fertur
Per clipeum, atque viro graviorem reddidit haſtam:
Jamque ſui tauris languent abſentibus ignes.
Nunc age, & has, inquit, criſtas galeamque reſume;
Quam modo funerea tenuit Diſcordia dextra.
Hanc jace per medias, cùm verteris aequora, meſſes.
Protinus in ſeſe converſa furoribus ibit
Cuncta phalanx: atque ipſe fremens mirabitur, & me
Reſpiciet fortaſſe pater. ſic deinde locuta
Jam magis atque magis mentem ſuper alta ferebat
Aequora: pandentes Minyas jam vela videbat
Se ſine: tum verò extremo percuſſa dolore
Adripit Aeſoniden dextra, ac ſubmiſſa profatur:
Sis memor oro mei, contrà memor ipſa manebo,

Digitized by Google

Crede, tui. quando hinc aberis, dic quaeſo, profundi
Quod coeli ſpectabo latus? ſed te quoque tangat
Cura mei quocumque loco, quoſcumque per annos:
Atque hunc te meminiſſe velis, & noſtra fateri
Munera; ſervatum pudeat nec virginis arte.
Hei mihi, cur nullos ſtringunt tua lumina fletus?
An me mox merita morituram patris ab ira
Diſſimulas? te regna tuae felicia gentis,
Te conjunx nataeque manent: ego prodita obibo.
Nec queror, & pro te lucem quoque laeta relinquam.
Protinus hoſpes ad haec, (tacitis nam cantibus illum
Flexerat, & ſimili jamdudum adflarat amore)
Tune, ait, Aeſoniden quidquam te velle relicta
Credis; & ulla pati ſine te loca? redde tyranno
Me potius: recipe ingratos atque exue cantus.
Quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
Si non & genitor te primam amplectitur Aeſon,
Teque tuo longè fulgentem vellere gaudens
Spectat, & ad primos procumbit Graecia fluctus?
Reſpice ad has voces, & jam precor adnue, conjunx.
Per te, quae ſuperis diviſque potentior imis,
Perque haec ergo tuo redeuntia ſidera nutu,
Atque per has noſtri juro diſcriminis horas;
Umquam ego ſi meriti, ſim noctis & inmemor hujus,
Si te, ſceptra, domum, ſi te liquiſſe parentes
Senſeris, & mea tum non haec promiſſa videntem;
Tum me non tauros juvet evaſiſſe, feroſque
Terrigenas: tum me tectis tua turbet in ipſis
Flamma, tuaeque artes: nullus ſuccurrere contrà
Ingrato queat, & ſi quid tu ſaevius ipſis
Adjicias, meque in medio terrore relinquas.
Audiit, atque ſimul merîtis perjuria poenis
Deſpondet, queſtus ſemper Furor ultus amantis.
Haec ubi dicta, tamen perſtant defixus uterque,
Et nunc ora levant audaci laeta juventa,
Ora ſimul totiens dulces rapientia viſus,
Dejicit hinc vultus aeger pudor, & mora dictis
Redditur, ac rurſus conterret Iäſona virgo:

Accipe, perdomitis quae deinde pericula tauris,
Et quis in Aeolio maneat te vellere cuſtos;
Nondum cuncta tibi, fateor, promiſſa peregi.
Saevior ingenti Mavortis in arbore reſtat,
Crede, labor; quem tanta utinam fiducia noſtri
Sit mihi, nocturnaeque Hecates, veſtrique vigoris.
Dixerat: utque virum doceat, quae monſtra ſuperſint,
Protinus inmenſis recubantem anfractibus anguem
Turbat, & Haemonii ſubito ducis objicit umbram.
Ille, quod haud aliàs, ſtetit, & trepidantia torſit
Sibila, ſeque metu poſtquam ſua vellera circum
Suſtulit, atque omnis ſpiris exhorruit arbor;
Incipit inde ſequi, & vacuo furit ore per auras.
Quis fragor hic? quaenam tantae, dic virgo, ruinae?
Exclamat ſtricto Aeſonides ſtans frigidus enſe.
Illa trahit ridens, tandemque ait angue repreſſo:
Hunc tibi poſtremum noſtri parat ira parentis,
Heu miſer, heu tantis iterum carpende periclis.
O utinam, ut nullo te ſim viſura labore
Ipſam caeruleis ſqualentem nexibus ornum,
Ipſaque pervigilis calcantem lumina monſtri,
Contingat vix deinde mori! ſic fata, profugit;
Seque ſub extremis in moenia rettulit umbris.
Et jam puniceo regem ſpes vana ſub ortu
Extulerat, quantis nox una diremerit undis
Aeſoniden: liberne freto jam vultus aperto,
Utque prius totum ſileat mare: dumque ea longè
Explorare queat; contra venit Arcas Echion
Dicta ferens: jam Circaeis Mavortis in agris
Stare virum, daret aeripedes in proelia tauros.
En vocor, en ultro, dixit, ſpeſque addidit auſa:
Vos mihi nunc primùm in glebas invertite tauri
Aequora, nunc totas aperite & volvite flammas:
Exeat Haemonio meſſis memoranda colono,
Tuque tuum parti Grajûm da nata draconem.
* Ipſius aſpectu pereant: quin vellera, & ipſa
Terga mihi diros ſervent infecta cruores.
Fatur, & effuſis pandi jubet aequora tauris.

Pars

Pars & Echionii ſubeunt inmania dentis
Semina: pars diri portant grave robur aratri.
At ſua magnanimum contra Pagalêa juventus
Proſequitur ſtipatque ducem: tum maxima quiſque
Dicta dedit, ſaeviſque procul diſceſſit in agris.
Fixerat ille gradus, totoque ex agmine ſolus
Stabat, ut extremis deſertus ab orbibus axis,
Quem jam laſſa dies, auſtrique ardentis harenae,
Aut quem Rhipaeas exſtantem rurſus ad arces
Nix & caerulei Boreae ferus abſtulit horror:
Cùm ſubitò attonitis longiſſima Phaſidis unda,
Caucaſiaeque trabes, omniſque Aeëtia tellus
Fulſit, & ardentes ſtabula effudêre tenêbras.
Ac velut ex una ſi quando nube coruſci
Ira Jovis torſit geminos mortalibus ignes;
Aut duo cùm pariter ruperunt vincula venti,
Dantque fugam: ſic tunc clauſtris evaſit uterque
Taurus, & inmani proflavit turbine flammas
Arduus, atque atro volvens incendia fluctu.
Horruit Argoae legio ratis: horruit audax,
Qui modo virgineis ſervari cantibus Idas
Flebat, & invito proſpexit Colchida vultu.
Non tulit ipſe moras, ſeſeque inmiſit Iäſon;
Diverſos poſtquam ire videt: galeamque minantem
Quaſſat, & errantem dextra ciet obvius ignem.
Ut tandem ſtetit, & torvo ſe lumine flexit,
Qui prior adverſi reſpexit Iäſonis arma;
Cunctatus paullum ſubitò furit. aequora non ſic
In ſcopulos irata ruunt, eademque recedunt
Fracta retro. bis fulmineis ſe flatibus infert,
Obnubitque virum: ſed non incendia Colchis
Adſpirare ſinit: clipeoque inliditur ignis
Frigidus, & viſo palleſcit flamma veneno.
Incitat Aeſonides dextram: inque ardentia mittit
Cornua, dein totis propendens viribus haeret.
Ille virum atque ipſam tunc te Medea recuſans,
Concutit, & tota nitentem cornibus ira
Portat iners: tandem gravius mugire reſidens,

Digitized by Google

Incipit, & feſſo victus deſcendere cornu.
Reſpicit hinc ſocios inmania vincula poſcens
Aeſonides, jamque ora premit, trahiturque trahitque,
Obnixuſque genu ſuperat, cogitque trementes
Sub juga ahena toros. alium dehinc turbida Colchis
Exarmat, lentumque offert timideque minantem:
Jamque propinquanti noctem inplicat: ille fatiſcens
In caput, inque humeros ipſa vi molis & irae
Proruit: invadit, totuſque incumbit Iaſon
Deſuper, atque ſuis defixum flatibus urguet.
Utque dedit vinclis, validoque obſtrinxit aratro,
Suſcitat ipſe genu, ſaevaque agit inſuper haſta.
Non aliter medio quàm ſi telluris hiatu
Terga recentis equi, primumque invaſit habenis
Murmur, & in ſumma Lapithes adparuit Oſſa.
Ille velut campos Libyes, ac pinguia Nili
Fertilis arva ſecet; plena ſic ſemina dextra
Spargere gaudet agris, oneratque novalia bello.
Martius hic primùm ter vomere fuſus ab ipſo
Clangor, & ex omni ſonuerunt cornua ſulco:
Bellatrix tunc gleba quati, pariterque creari
Armarique phalanx, totiſque inſurgere campis:
Ceſſit, & ad ſocios paullum ſe rettulit heros
Opperiens, ubi prima ſibi daret agmina tellus
Adverſo. ut ſummis jam rura recedere criſtis
Vidit, & infeſta vibrantes caſſide terras;
Advolat, atque imo tellus qua proxima collo,
Necdum humeri videre diem, prior enſe ſequaci
Aequat humo truncos; rutilum thoraca ſequenti,
Aut primas à matre manus; premit obvius antè.
Nec magis aut illis, aut illis millibus ultra
Sufficit; ad dirae quàm cùm Tirynthius hydrae
Agmina Palladios defeſſus reſpicit angues.
Ergo iterum ad ſocias convertere Colchidos artes,
Et galeae nexus ac vincula diſſipat ima:
Cunctaturque tamen, totique occurrere bello
Ipſe cupit; ſpes nulla datur: ſic undique denſant
Terrigenae jam ſigna duces; clamorque, tubaeque.

Jam-

Jamque omnes odere virum: jamque omnia contra
Tela volant: tum verò amens diſcrimine tanto,
Quàm modo Tartareo galeam Medea veneno
Infectam dederat, uſuſque armarat in illos,
In medios torſit: conuerſae protinus haſtae.
Qualis ubi attonitos maeſtae Phrygas annua Matris
Ira, vel exſectos lacerat Bellona comatos.
Haud ſecus accenſas ſubitò Medea cohortes
Implicat, & miſeros agit in ſua proelia fratres.
Omnis ibi Aeſoniden ſterni putat: omnibus ira
Talis erat: ſtupet Aeëtes, ultroque furentes
Ipſe viros revocare cupit: ſed cuncta jacebant
Agmina; nec quiſquam primus ruit, aut ſuper ullus
Linquitur: atque hauſit ſubitò ſua funera tellus.
Protinus in fluvium fumantibus evolat armis
Aeſonides. qualis Getico de pulvere Mavors
Intrat equis uritque gravem ſudoribus Hebrum;
Aut niger ex antris rutilique à fulminis aeſtu
Cùm furit, & Siculo reſpirat in aequore Cyclops.
Redditus hic tandem, ſocioſque amplexus ovantes,
Haud jam mendacem promiſſa repoſcere regem
Dignatur: nec, ſi ipſe ſibi terga ingerat ultro
Qui pepigit, velit in pacem dextramque reverti
Amplius: ambo truces, ambo abſceſſere minantes.

C. VALERII FLACCI SETINI BALBI ARGONAUTICON

LIBER OCTAVUS.

At trepidam in thalamis, & jam ſua fata paventem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
Patris habent: nec caerulei timor aequoris ultra,
Nec

Nec miſerae terra ulla procul. quaſcumque per undas
Ferre fugam, quamcumque cupit jam ſcandere puppim.
Ultima virgineis tunc flens dedit oſcula vittis ;
Quoſque fugit, complexa toros, crinemque genaſque
Ante per antiqui carpſit veſtigia ſomni :
Atque haec inpreſſo gemuit miſeranda cubili :
O mihi ſi profugae genitor nunc ille ſupremos
Amplexus Aeeta dares, fletuſque videres
Ecce meos ! ne crede, pater ; non carior ille eſt,
Quem ſequimur : tumidis utinam ſimul obruar undis !
Tu, precor, haec longa placidus mox ſceptra ſenecta
Tuta geras, meliorque tibi ſit cetera proles.
Dixit, & Haemonio numquam ſpernenda marito
Condita letiferis prodit medicamina ciſtis ;
Virgineoſque ſinus, ipſumque monile venenis
Inplicat, ac ſaevum ſuper omnibus addidit enſem.
Inde, velut torto Furiarum erecta flagello,
Proſilit. attonito qualis pede proſilit Ino
In freta, nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet : extremum conjunx ferit irritus Iſthmon.
Jam prior in lucos curis urguentibus heros
Venerat, & nemoris ſacra ſe nocte tegebat ;
Tum quoque ſiderea clarus procul ora juventa.
Qualis adhuc ſparſis comitum per luſtra catervis
Latmius aeſtiva reſidet venator in umbra,
Dignus amore deae : velatis cornibus & jam
Luna venit. roſeo talis per nubila ductor
Inplet honore nemus, talemque exſpectat amantem.
Ecce autem pavidae virgo de more columbae,
Quae ſuper ingenti circumdata praepetis umbra
In quemcumque tremens hominem cadit : haud ſecus illa
Icta timore gravi mediam ſe inmiſit : at ille
Excepit, blandoque prior ſic ore locutus :
O decus in noſtros magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum
Cauſſa reperta mihi ; jam nunc non ulla requiro
Vellera : teque meae ſatis eſt quaeſiſſe carinae.

Verùm

Verùm age, & hoc etiam, quando potes, adjice tantis
Muneribus meritiſque tuis: namque aurea juſſi
Terga referre ſumus: ſocios ea gloria tangit.
Sic ait: & primis ſupplex dedit oſcula palmis.
Contrà virgo novis iterum ſingultibus orſa eſt:
Linquo domos patrias te propter, opeſque meorum;
Nec jam nunc regina loquor: ſceptriſque relicta
Vota ſequor: ſerva hanc profugae, prior ipſe dediſti
Quam (ſcis nempe) fidem: Dî noſtris vocibus adſunt,
Sidera & haec te meque vident: tecum aequora, tecum
Experiar quaſcumque vias: modo ne quis abactam
Huc referat me forte dies, oculiſque parentis
Ingerat. hoc ſuperos, hoc te quoque deprecor, hoſpes.
Haec ait, atque furens rapido per devia paſſu
Tollitur. ille haeret comes, & miſeratur euntem;
Cùm ſubitò ingentem media inter nubila flammam
Conſpicit, & ſaeva vibrantes luce tenêbras.
Quis rubor iſte poli? quod tam lugubre refulſit
Sidus? ait. reddit trepido cui talia virgo:
Ipſius en oculos & lumina torva draconis
Adſpicis: ille ſuis haec vibrat fulgura criſtis;
Meque pavens contra ſolam videt, ac vocat ultro,
Ceu ſolet, & blanda poſcit me pabula lingua.
Dic age nunc, utrum vigilanti hoſtemque videnti
Exuvias auferre velis; an lumina ſomno
Mergitur, & domitum potius tibi tradimus anguem?
Ille ſilet; tantus ſubiit ut virginis horror.
Jamque manus Colchis, crinemque intenderat aſtris,
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat
Somne pater: Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, inque unum jubeo nunc ire draconem:
Quae freta ſaepe tuo domui, quae nubila cornu,
Fulminaque, & toto quidquid micat aethere: ſed nunc
Nunc, age, major ades, fratrique ſimillime leto.
Te quoque, Phrixêae pecudis fidiſſime cuſtos,
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
Quem metuis me hic ſtante dolum? ſervabo parumper
Ipſa nemus. longum intereà tu pone laborem.

Ille

Ille haud Aeolio diſcedere feſſus ab auro,
Nec dare permiſſae (quamvis juvet) ora quieti
Suſtinet; ac primi percuſſus nube ſoporis
Horruit, & dulces excuſſit ab arbore ſomnos.
Contra Tartareis Colchis ſpumare venenis,
Cunctaque Lethaei quaſſare ſilentia rami
Perſtat; & adverſo luctantia lumina cantu
Obruit; atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam; ardentes donec ſopor occupat iras.
Jamque altae cecidere jubae, nutatque coactum
Jam caput, atque ingens extra ſua vellera cervix.
Ceu refluens Padus, aut ſeptem projectus in amnes
Nilus, & Heſperium veniens Alpheos in orbem.
Ipſa caput cari poſtquàm Medea draconis
Vidit humi, fuſis circum projecta lacertis;
Seque ſuumque ſimul flevit crudelis alumnum:
Non ego te ſera talem ſub nocte videbam,
Sacra ferens epulaſque tibi: nec talis hianti
Mella dabam, ac noſtris nutribam fida venenis.
Quàm gravida nunc mole jaces! quàm ſegnis inertem
Flatus habet! nec te ſaltem, miſerande, peremi,
Heu ſaevum paſſure diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tuâ fulgentia dona ſub umbrâ.
Cede Deo, inque aliis ſenium nunc digere lucis
Inmemor oro mei: nec me tua ſibila toto
Exagitent infeſta mari. ſed tu quoque cunctas,
Aeſonide, dimitte moras, atque effuge raptis
Velleribus. patrios exſtinxi noxia tauros;
Terrigenas in fata dedi; fuſum ecce draconis
Corpus habes; jamque omne nefas, jam, ſpero, peregi.
Quaerenti tunc deinde viam, qua ſe arduus heros
Ferret ad aurigerae caput arboris, Eia, per ipſum
Scande age, & adverſo greſſus, ait, inprime dorſo.
Nec mora fit dictis. fidens Cretheïa proles
Calcat, & aëream quamvis perfertur ad ornum:
Cujus adhuc rutilam ſervabant brachia pellem,
Nubibus accenſis ſimilem, aut cum veſte recincta
Labitur ardenti Thaumantias obvia Phoebo.

Corripit optatum decus extremumque laborem
Aeſonides: longoſque ſibi geſtata per annos
Phryxeae monumenta fugae vix reddidit arbor
Cum gemitu, triſteſque ſuper coïére tenebrae.
Egreſſi relegunt campos, & fluminis ora
Summa petunt. micat omnis ager, villiſque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus:
Nunc in colla refert: nunc inplicat ille ſiniſtrae.
Talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.
Ut verò ſociis, qui tunc praedicta tenebant
Oſtia, per longas adparuit aureus umbras;
Clamor ab Haemonio ſurgit grege: ſe quoque gaudens
Promovet ad primas juveni ratis obvia ripas.
Praecipites agit ille gradus, utque aurea miſit
Terga prius: mox attonita cum virgine puppim
Inſilit, ac rapta victor conſiſtit in haſta.
Interea patrias ſaevus venit horror ad aures,
Fata domus luctumque ferens, fraudemque fugamque
Virginis: hinc ſubitis inflexit frater in armis:
Urbs etiam mox tota coit: volat ipſe ſenectae
Inmemor Aeëtes. conplentur litora bello
Nequicquam: fugit inmiſſis nam puppis habenis.
Mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas,
Et ſoror, atque omnes aliae matreſque nuruſque
Colchides, aequaleſque tibi, Medea, puellae.
Exſtat ſola parens, inpletque ululatibus auras:
Siſte fugam; medio refer huc ex aequore puppim,
Nata, potes. quo, clamat, abis? hîc turba tuorum
Omnis, & iratus nondum pater: haec tua tellus
Sceptraque. quid terris ſolam te credis Achaeis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Iſtane vota domus, exſpectatique Hymenaei?
Hunc petii grandaeva diem? vellem unguibus uncis,
Ut volucris, poſſem praedonis in ipſius ora
Ire, ratemque ſupra; claroque repoſcere cantu
Quam genui. Albano fuit haec promiſſa tyranno:
Non tibi. nil tecum miſeri pepigere parentes,

Digitized by Google

Aeſonide: non hoc Pelias evadere furto
Te jubet, aut ullas Colchis abducere natas.
Vellus habe, & noſtris ſi quid ſuper, accipe, templis.
Sed quid ego quemquam inmeritis incuſo querelis?
Ipſa fugit, tantoque (nefas) ipſa ardet amore.
Hoc erat, infelix, (redeunt nam ſingula menti)
Ex quo Theſſalici ſubierunt aequora remi;
Quod nullae te, nata, dapes, non ulla juvabant
Tempora. non ullus tibi tum color; aegraque verba,
Erranteſque genae, atque alieno gaudia vultu
Semper erant? cur tanta mihi non prodita peſtis,
Ut gener Aeſonides noſtra conſideret aula,
Nec talem paterere fugam? commune fuiſſet
Aut certe nunc omne nefas: iremus & ambae
In quaſcumque vias: pariter petiiſſe juvaret
Theſſaliam, & ſaevi, quaecumque eſt, hoſpitis urbem.
Sic genitrix, ſimilique inplet ſoror omnia queſtu
Exululans. famulae pariter clamore ſupremo
In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine. te venti procul & tua fata ferebant.
Inde diem noctemque volant. redeuntibus aura
Gratior; & notae Minyis tranſcurrere terrae:
Cùm ſubito Erginus puppi ſic fatur ab alta:
Vos, ait, Aeſonide, contenti vellere capto,
Nec via quae ſuperet, nec quae fortuna videtis.
Craſtina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneaſque vocat: meminique, ô Tiphy, tuorum
Saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum.
Mutandum, ô ſocii, nobis iter. altera ponti.
Eluctanda via; & curſu, quem fabor, eundum eſt.
Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Hiſtri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus: ſeptem exit aquis; ſeptem oſtia pandit.
Illius adverſi nunc ora petamus & undam,
Quae latus in laevum ponti cadit. inde ſequemur
Ipſius amnis iter: donec nos flumine certo
Perferat, inque aliud reddat mare. ſint age tanti,
Aeſonide, quaecumque morae; quàm ſaeva ſubire

Saxa

Digitized by Google

Saxa iterum; quàm Cyaneos perrumpere montes.
Sat mihi non totis Argo redit ecce corymbis.
Haec ait, ignarus fixas jam numine rupes
Stare, neque adverſis ultra concurrere ſaxis.
Reddidit Aeſonides: Et te, fidiſſime rector,
Haud vani tetigere metus; nec me ire recuſo
Longius, & cunctis redeuntem oſtendere terris.
Protinus inde alios flectunt regesque locosque,
Adſuetumque petunt plauſtris migrantibus aequor.
Puppe procul ſummà vigilis poſt terga magiſtri
Haeſerat auratae genibus Medea Minervae:
Atque ibi dejecta reſidens in lumina palla
Flebat adhuc, quamquam Haemoniis cum regibus iret;
Sola tamen, nec conjugii ſecura futuri.
Illam Sarmatici miſerantur litora ponti:
Illa Thoantéae tranſit deflexa Dianae.
Nulla palus, nullus Scythiae non moeret euntem
Amnis: Hyperboreas movit conſpecta pruinas,
Tot modò regna tenens: ipſi quoque murmura ponti
Jam Minyae, jam ferre volunt: vix adlevat ora,
Ad ſeras ſi quando dapes, quas carus Iaſon
Ipſe dabat: jam nubiferam tranſire Carambin
Significans; jam regna Lyci: totienſque gementem
Fallit, ad Haemonios hortatus ſurgere montes.
Inſula Sarmaticae Peuce ſtat nomine nymphae;
Torvus ubi & ripa ſemper metuendus utraque
In freta per ſaevos Hiſter deſcendit Alanos;
Solvere in hoc tandem reſides dux litore curas,
Ac primùm ſocios auſus ſua pacta docere,
Promiſſamque fidem thalami, foedusque jugale.
Ultro omnes laeti inſtigant, meritamque fatentur.
Ipſa autem invitae jam Pallados erigit aras,
Incipit Idaliae numen nec ſpernere divae.
Praecipueque ſui, ſiquando, in tempore pulcher
Conjugii Minyas numquam magis eminet inter:
Qualis ſanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto ſubit, aut dilecta Cythera;
Seu cum coeleſtes Alcidae inviſere menſas

Jam vacat, & feſſum Junonia ſuſtinet Hebe.
Adſunt unanimes Venus hortatorque Cupido.
Suſcitat adfixam moeſtis Aeetida curis,
Ipſa ſuas illi croceo ſubtemine veſtes
Induit: ipſa ſuam duplicem Cytherea coronam
Donat, & arſuras alia cum virgine gemmas.
Tum novus inplevit vultus honor: ac ſua flavis
Reddita cura comis: graditurque oblita malorum.
Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Laetaque jam Cybele, feſtaeque per oppida taedae;
Quis modo tam ſaevos adytis fluxiſſe cruores
Cogitet? aut ipſi qui jam meminere miniſtri?
Inde, ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Aeſonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Praetulit; ut dextrum pariter vertantur in orbem.
Sed neque ſe pingues tum candida flamma per auras
Explicuit: nec tura videt concordia Mopſus,
Promiſſam nec ſtare fidem; breve tempus amorum
Odit utrumque ſimul, ſimul & miſeratur utrumque:
Et tibi jam nullos optavit, barbara, natos.
Mox epulas & ſacra parant: ſilveſtria laeti
Praemia, venatu facili quaeſita ſuperſunt:
Pars verubus, pars undanti deſpumat aheno.
Gramineis aſt inde toris diſcumbitur, olim
Hiſter anhelantem Peucen quo preſſerat antro.
Ipſi inter medios roſea radiante juventa
Altius, inque ſui ſternuntur velleris auro.
Quis novus inceptos timor inpediit Hymenaeos?
Turbavitque toros, & ſacra calentia rupit?
Abſyrtus ſubita praeceps cum claſſe parentis
Advehitur, profugis infeſtam lampada Grajis
Concutiens, diramque premens clamore ſororem:
Atque, Hanc, ô ſi quis vobis dolor iraque, Colchi,
Adcelerate viam: neque enim fugit aequore raptor
Juppiter; aut falſi ſequimur veſtigia tauri.
Puppe (nefas) una praedo Phryxea reportat
Vellera: qua libuit remeat cum virgine: nobis
(O

Digitized by Google

(O pudor!) & muros & ſtantia tecta reliquit.
Quid mihi deinde ſatis? nec quaero vellera; nec te
Accipio, germana, datam: nec foederis ulla
Spes ſuper, aut irae quiſquam modus. inde reverti
Patris ad ora mei tam parvo in tempore fas ſit?
Quinquaginta animae me ſcilicet, unaque merſa
Sufficiet placare ratis? te, Graecia fallax,
Perſequor, atque tuis hunc quaſſo moenibus ignem:
Nec tibi digna, ſoror, deſum ad connubia frater.
Primus & ecce fero quatioque hanc lampada veſtro
Conjugio: primus celebro dotalia ſacra,
Qui potui. patriae veniam da quaeſo ſenectae.
Quin omnes alti pariter populique patresque
Mecum adſunt. magni virgo ne regia Solis
Haemonii thalamos adeas deſpecta mariti,
Tot decuit coiiſſe rates, tot fulgere taedas.
Dixerat. itque orans iterum ventoſque viroſque,
Perque ratis ſupplex vox remigis illa magiſtros.
Illi autem intorquent truncis frondentibus undam;
Quaeque die fuerat raptim formata ſub uno,
Et tantum dejecta ſuis à montibus arbor,
(Quid dolor & veterum potuit non ira virorum?)
Haud longis jam diſtat aquis; ſequiturque volantem
Barbara Palladiam puppim ratis: oſtia donec
Danubii viridemque vident ante oſtia Peucen;
Ultimaque agnoſcunt Argoi cornua mali.
Tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt
Gaudia: tum gravior remis fragor, ut procul Argo
Viſa viris; unamque petunt roſtra omnia puppim.
Princeps navalem nodoſi roboris uncum
Arripit, & longa Stirus proſpectat ab unda,
Conjugio atque iterum ſponſae flammatus amore.
Jamque alii clypeos & tela trabalia dextris
Expediunt: armant alii picis unguine flammas.
Inpatiens tremit haſta morae. nec longius inter,
Quàm quod tela vetet, ſupereſt mare. vocibus urguent
Interea, & pedibus pulſant tabulata frementes;
Cum ſubitas videre rates, vibrataque flammis

Digitized by Google

Aequora. non una Minyae formidine ſurgunt.
Primus & in puppim deſerta virgine ductor
Proſilit, & ſumma galeam rapit altus ab haſta:
Enſe ſimul clypeoque micat. nec cetera pubes
Segnius arreptis in litore conſtitit armis.
At tibi quae ſcelerum facies, Medea, tuorum?
Quiſve pudor Colchos iterum fratremque videnti?
Quidquid & abſciſum vaſto jam tuta profundo
Credideras. ergo infauſto ſeſe occulit antro,
Non aliud quam certa mori; ſeu carus Iäſon,
Seu frater Graia victus cecidiſſet ab haſta.
Haud ita ſed ſummo ſegnis ſedet aethere Juno;
Haud ſinit extrema Minyas decernere pugna;
Nec numero quoniam Colchis nec puppibus aequos.
Ergo, ubi diva rates hoſtemque accedere cernit,
Ipſa ſubit terras, tempeſtatumque refringit
Ventorumque domos. volucrum gens turbida fratrum
Erumpit: claſſem dextra Saturnia monſtrat.
Videre; inque imum pariter mare protinus omnes
Infeſto clamore ruunt: inimicaque Colchis
Aequora, & adverſos ſtatuunt à litore fluctus.
Tollitur, atque intra Minyas Argoaque vela
Stirus abit. vaſto rurſus deſedit hiatu
Abrupta revolutus aqua. jamque omnis in aſtra
Itque reditque ratis, lapſoque reciproca fluctu
Deſcendit. trahit hos vortex; hos agmine toto
Gurges agit: ſimul in vultus micat undique terror.
Crebra ruina poli coeleſtia lumina laxat.
Non tamen ardentis Stiri violentia cedit.
Hortatur ſocios media inter proelia divûm:
Transferat ergò meas in quae volet oppida dotes
Colchis? & Haemonius nobis ſuccedet adulter?
Nec mihi tot magnos inter regeſque procoſque
Profuerit prona haud dubii ſententia patris?
An virtus praelata viri eſt, & fortior ille,
Quem ſequitur? jungam igniferos ſine carmine tauros,
Saevaque Echionii ferro ſata perſequar hydri.
Hoc adeo interea ſpectans de litore pugnas

Amborum, victoris eris: jam digna videbis
Proelia, jamque illud carum caput ire cruenta
Sub freta; ſemiviri nec murrha corpus Achivi,
Sed pice, ſed flammis, & olentes ſulfure crines.
Vos modò vel ſolum hoc fluctus expellite corpus,
Non te, Aeeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit.
Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos
Ipſa movet, diraque levat maria ardua lingua?
Atque iterum Aeſonides, iterum defenditur arte,
Qua ſolet? haud illi cantus & futile murmur
Proderit. ite, rates, & frangite virginis undam.
Dixit, & intortis ſocio cum milite remis
Proſilit: ac fluctu puppis labefacta reverſo
Solvitur, effunditque viros, ipſumque minantem
Tunc quoque, & elata quaerentem litora dextra.
Ibat & arma ferens & ſtrictum naufragus enſem:
Incipit & remos & quaerere tranſtra ſolutae
Sparſa ratis: moeſtas altis intendere voces
Puppibus, aſt inter tantos ſuccurrere fluctus
Nulla poteſt, aut ulla velit: quotienſque propinquat,
Tunc aliud rurſus dirimit mare. jam tamen extat,
Jamque abiit: fundoque iterum violentus ab imo
Erigitur: ſed fluctus adeſt, magnoque ſub altis
Turbine figit aquis, & tandem virgine ceſſit.
Abſyrtus viſu moeret defixus acerbo;
Nec quid agat, qua vi portus, & prima capeſſat
Oſtia, qua poſſit Minyas invadere clauſos,
Quos videt agnoſcitque fremens: maria obvia contra
Saevaque pugnat hiems, totuſque in vertice pontus
Abſceſſit tandem, vanaque recedit ab ira,
Et tanta de clade ratis: latus inde ſiniſtrum
Adverſamque procul Peuces defertur in oram.
Cum ſocii (gemino nam ſcinditur inſula flexu
Danubii) hac dudum Minyae Pagaſeaque puppis
In ſtatione manent: illinc Aeetius heros
Obſidet adverſa tentoria Theſſala claſſe
Inpatiens; pugnaeque datur non ulla poteſtas.
Noctes atque dies vaſtis mare fluctibus inter

Perfurit; expediant donec Junonia ſeſe
Conſilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyae tanti reputantes ultima belli
Urguent & precibus cuncti fremituque fatigant
Aeſoniden: Quid ſe externa pro virgine clauſa
Objiciat, quidve illa pati diſcrimina cogat?
Reſpiceret pluresque animas, majoraque fata
Tot comitum: qui non furtis, nec amore nefando
Per freta, ſed ſola ſeſe virtute ſequantur.
An vero, ut thalamis raptiſque indulgeat unus
Conjugiis? id tempus enim. ſat vellera Grajis:
Et poſſe oblata conponere virgine bellum.
Quemque ſuas ſinat ire domos: nec Marte cruento
Europam atque Aſiam prima haec conmittat Erinnys.
Namque datum hoc fatis, trepidus ſupplexque canebat
Mopſus, ut in ſeros irent magis ipſa nepotes:
Atque alius lueret tam dira incendia raptor.
Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus inpar
(Quamquam jura deûm, ſacri ſibi conſcia pacti,
Relligio, dulciſque movent primordia taedae)
Cunctatur, mortemque cupit, ſociamque pericli
Cogitat: haud ultra ſociis obſiſtere pergit.
Haec ubi fixa viris; tempus fluctuſque quietos
Exſpectant: ipſam interea, quid reſtet, amantem
Ignorare ſinunt, decretaque triſtia ſervant.
Sed miſer ut vanos, veros ita ſaepe timores
Verſat amor; fallique ſinit nec virginis annos.
Ac prior ipſa dolos & quamlibet intima ſenſit
Non fidi jam ſigna viri, nimiumque ſilentes
Unà omnes. haud illa ſui tamen inmemor umquam
Nec ſubitis turbata minis, prior occupat unum
Aeſoniden, longeque trahit; mox talibus infit:
Me quoque vir tecum Minyae fortiſſima pubes
Nocte dieque movent: liceat cognoſcere tandem,
Si modò Peliacae non ſum captiva carinae,
Nec dominos decepta ſequor, conſultaque veſtra
Fas audire mihi. vereor, fidiſſime conjux
Nil equidem: miſerere tamen, promiſſaque ſerva

Uſque ad Theſſalicos ſaltem connubia portus:
Inque tua me ſperne domo. ſcis te mihi certè,
Non ſocios juraſſe tuos. hi reddere forſan
Fas habeant: tibi non eadem permiſſa poteſtas.
Teque ſimul mecum ipſa traham. non ſola repoſcor
Virgo nocens: atque hâc pariter rate fugimus omnes.
An fratris te bella mei, patriaeque biremes
Terrificant? magnoque inpar urgueris ab hoſte?
Finge rates alias, & adhuc majora coïre
Agmina. nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
Vellem equidem noſtri tetigiſſent litora patris
Te ſine, duxque illis alius quicumque fuiſſet.
Nunc remeant; meque ecce (nefas) & reddere poſſunt:
Nec ſpes ulla ſuper. quin tu mea reſpice ſaltem
Conſilia; & nimio comitum ne cede timori.
Credidit ardentes quis te tunc jungere tauros
Poſſe? quis ad ſaevi venturum templa draconis?
O utinam ergo meus pro te non omnia poſſet,
Atque aliquid dubitaret amor. quin nunc quoque quaerit
Neſcio quid tuus iſte pudor. mene, optime quondam
Aeſonide, me ferre preces, & ſupplicis ora
Fas erat? haud hoc nunc genitor putat: haud dare poenas
Jam ſceleris, dominumque pati. ſic fata parantem
Reddere dicta virum furiata mente refugit
Vociferans. qualem Ogygias cùm tollit in arces
Bacchus & Aoniis inlidit tympana truncis:
Talis erat, talemque jugis ſe virgo ferebat,
Cuncta pavens. fugit infeſtos vibrantibus haſtis
Terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros.
Si Pagaſas, vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret, & Tempe viridi lucentia fumo;
Hoc viſu contenta mori. tunc tota querelis
Egeritur queſtuque dies: eademque ſub aſtris
Sola movet. moeſtis veluti nox illa ſonaret
Plena lupis, quaterentque truces jejuna leones
Ora, vel orbatae traherent ſuſpiria vaccae.

Digitized by Google

Procedit non gentis honos, non gloria magni
Solis avi, non barbaricae decor ille juventae.
Quid dubitas? heu, dure, ſiles? magnumque minatur.
Qualis erat, cùm Chaonio radiantia trunco
Vellera vexit ovans; interque ingentia Graiûm
Nomina Palladia virgo ſtetit altera prora.
Moeſtus at ille minis & nota Colchidos ira
Haeret: & hinc praeſens pudor, hinc decreta ſuorum
Dura premunt. utcumque tamen mulcere gementem
Tentat & ipſe gemens, & tempora currere dictis.
Mene aliquid meruiſſe putas? me talia velle;

NICOLAI HEINSII D. F.

ANIMADVERSIONES

IN

ARGONAUTICA

C. VALERII FLACCI

Digitized by Google

NICOLAI HEINSII. D.F.

ANIMADVERSIONES

IN

ARGONAUTICA

C. VALERII FLACCI.

C. *Valerii Flacci Sentini Balbi Argonauticon Liber Primus.*] Nullam hic loci in ipſa operis fronte inſcriptionem exhibebat venerandae vetuſtatis Codex Vaticanus, poſt ſingulos tamen libros agnoſcebat plerumque titulum, quem hic expreſſimus. an in Carionis membranis optimis pari etiam modo Valerii noſtri nomen legeretur, paucis exceptis locis, dictu difficile eſt, cum ipſe Carrion id diſſimulavit: Sic tamen ut credamus facit, quod in titulo hactenus recepto, nil omnino is novavit, alioquin plus ſatis religioſus in admittenda paſſim exemplaris ſui ſcriptura, etiam ubi ſatius erat conſultiuſque vulgatae lectionis veſtigio inhaerere. Quinque nominibus Flaccum noſtrum inſigniri vides, quod ſaeculo quidem poſteriori in uſu fuit obviumque, uti ex marmoribus antiquis habemus compertum.

Flavianis tamen temporibus inſolens & ferme inauditum, niſi ſi nomina adoptiva Gentilitiis forte adjungerentur. Sed ut demus id quoque tempeſtatis apud Romanos uſum obtinuiſſe adſciſcendorum plurium cognominum agnominumque, cur Flaccus hic Poeta dictus eſt Quintiliano, Martiali, aliis, cum *Balbus* potius debuerit appellari? Ultimum enim cognomen brevitatis cauſa in nomen plerumque tranſibat apud veteres. Sic L. Norbanus C. F. Flaccus Balbus, qui Conſulatum geſſit A. ab V. C. DCCLXXI, una cum M. Junio M. F. M. N. Silano, in tabulis Conſularibus Graecis Balbus dicitur ſolummodo, non Flaccus. *Silano & Balbo Coss.* Plinius quoque libro 11. cap. 87. M. Junio Silano L. Balbo Coſſ. vetus adhaec inſcriptio. M. JUNIO M. F. L. NORBANO BALBO COSS. Sic Maronem, Naſonem, Catullum, Propertium, Lucanum, Martialem, Statium dicebant brevitatis cauſa ut plurimum, de quibus accurate jam diſputavit ad Ennodium & Apollinarem Sidonium, Vir politiſſimae litteraturae & eruditionis rarae, Jacobus Sirmondus. Hunc nodum Herculeum reliquiſſe conſtrictum interpretes Valerii noſtri ad unum omnes ſummopere equidem miror. Nam quid illa duo cognomina *Setini Balbi* poſtremo loco adſcita ſibi volunt? Adfirmant Setiam Italiae oppidum natale ſolum fuiſſe noſtro, ſed non probant. Vir ſummus Gerardus Johannes Voſſius de Poetis libro, quod meminiſſet Flaccum Martiali dictum eſſe *Antenorei ſpem & alumnum laris*, hoc eſt, Patavinum, ea erat in ſententia, ut crederet ex Setia fuiſſe oriundum Valerium hunc, ſed larem Patavii habuiſſe. Quae cum ſcribebat vir cetera accuratiſſimus, non recordabatur horum, quae apud eundem Martialem occurrunt,

Cenſetur Apona Livio ſuo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus.

Ut de patria Flacci Patavio non magis dubitari fas ſit,

ſit, quam de eadem civitate Livianis incunabulis cenſenda. Niſi alium fortaſſe Flaccum, atque ab hoc noſtro diverſum plane Martiali fuiſſe celebratum contendimus. Jam ſi *Setini* nomen ad patriam Flacci referendum eſt, ut volunt, ultimo id loco poſt *Balbi* cognomen oportebat collocari. quomodo in veterrimo codice Vaticano poſt librum ſecundum, C. VALERII FLACCI BALBI SETINI EXPLICIT LIBER II. eſt & ubi BALBI cognomen omittitur in eodem codice, ut ſub finem libri IV, CAII VALERII FLACCI SETINI LIBER IV EXPLICIT. INCIPIT QUINTUS. UTERE BONO TUO FELICITER. & ſub finem libri VII. C. VALERII FLACCI SETINI ARGONAUTICON LIBER VII EXPLICIT. poſt librum primum, tertium, & octavum omne nomen Poetae noſtri omittebatur. Quid ergo? equidem per SETINI hujus BALBI nomen aut deſignari non neminem exiſtimo Philologum, qui hoc poema Valerii emendarit, recenſueritque. aut quod verius videtur, neſcio quem poſſeſſorem exemplaris alicujus horum Argonauticon vetuſti denotari, qui cum fronti ejus adleviſſet nomen ſuum, id ipſum nomen SETINI BALBI poſtea ab imperitis librariis, aut aliud agentibus una cum *Valerii Flacci* nomine perperam eſſe conjunctum, & confuſum in apographis exemplaribus, quae poſtmodum ſunt ex codice propagata. Viderint alii, an veriora indagare poſſint. Ego haud premenda duxi, quae in mentem mihi ſuper re perplexa admodum & perquam intricata veniebant. Nam quod Joannes Baptiſta Pius, vir, ut illa ferebant tempora, quibus floruit, non ineruditus, veteres nummos argenteos, quales non pauci inveniuntur, inſcriptos nomine C. VALERII FLACCI ad hunc noſtrum referendos eſſe contendit, ejuſque imaginem oſtentare arbitratur, toto aberravit coelo. Nam poſt Tiberiana jam ſtatim tempora mos ille obſoleverat,

qui Julianis & Octavianis frequentiſſimus erat in uſu quotidiano, ut viri meritis ac dignitate illuſtres monetae publicae nomen ſuum inſcriberent, relicto ſolis Caeſaribus, aut Caeſarianae domui illo honore, ut effigiem ſuam nummis oſtentarent. Nam quam in veteri denario Baptiſta Pius exiſtimabat eſſe C. Valerii Flacci effigiem, ea eſt imago Victoriae. Praeterea non minores numero Flaccos in Valeria gente olim fuiſſe claros, quam Meſſallas, Aciſculos, Catullos ex annalibus & faſtis antiquis liquido apparet. Ut ad hunc noſtrum Domitianorum temporum Flaccum id numiſma referre, ſit nugari. Nec majori jure idem Baptiſta Pius Valerium noſtrum Romanum facit, eunte in contraria Martiale, ut jam vidimus. Sed nec argumentum ſatis validum videtur, quod homines eruditi colligunt ex verbis Quintiliani, quibus teſtatur, inſtitutionem Oratoriarum libro x. capite primo, *multum in Valerio Flacco nuper amiſſum* eſſe, poema hoc ἀτελὲς mutilumque ipſius morte inmatura Valerii nunc extare. Potuit enim longae aetatis, aut Gothicarum irruptionum culpa truncatum ad nos perveniſſe. quae res non magis explorata eſt, quam de Statiana Achilleide, & Claudianeo Proſerpinae raptu, quid potiſſimum cauſae ſit, cur poema utrumque imperfectum nunc circumferatur. Certe cum per omnes ferme Epigrammaton libros Flacci noſtri meminerit Martialis, quem ad imperium uſque Divi Trajani aetatem ſuam extendiſſe ſcimus, meminerit etiam, tanquam nuper mortui, Quintilianus, qui ſub extremo Domitiani tempore Oratorias Inſtitutiones abſolvit & publicavit, Divo Veſpaſiano totos duodenos & plures annos ſupervixiſſe hunc noſtrum ſit vero omnino ſimile: Ut Argonauticis hiſce abſolvendis ſatis ſuperque temporis ac vitae fuiſſe ei vix ſit dubitandum, quae rerum potiente Veſpaſiano ſit exorſus, ut ex ipſo poematis exordio ſit manifeſtum, & liquido apparet.

Digitized by Google

Verſ. 1. *Trima Deum magnis canimus freta pervia nautis.*] Ita quidem exemplaria tam typis deſcripta, quam manu exarata; ſed incomparabile Belgii noſtri ornamentum Hugo Grotius Animadverſis juvenilibus ad Aratea Germanici recte repoſuit *Deum natis.* Quomodo & Janum Parrhaſium, Virum ſub renatas literas egregie eruditum, caſtigaſſe Commentariis in Poetam noſtrum ſuis, quae Neapoli in Monaſterio S. Johannis Carbonarii inedita hactenus adſervantur, me docuit teſtis oculatus, officioſiſſimus noſter Emericus Bigotius, quo Juvene nil factum magis ad ornandas liberales artes, atque ad antiquitatem inluſtrandam, toto jam ſaeculo faecunda illa nutrix ingeniorum propagavit Gallia: Neque aliter in ſecundo Vaticano, quem Pomponius Laetus manu ſua, ut opinor, deſcripſerat, legebatur. Caſtigaverant ita quoque Joannes Scopa in Conlectaneis ſuis cap. xv. & quiſquis ille fuit, qui Aldinam nobis editionem concinnavit; in contraria eunte tamen Aegidio Maſerio, & Parergon lib. VIII. cap. VIII. Andrea Alciato Juriſconſulto eximio. Libuit etiam Gaſperi Barthio, plurimae lectionis, & diffuſae litteraturae viro, in Adverſariis vulgatam Lectionem, quae Magnum Scaligerum Patrem Poetices Commentario Jure merito offenderat, tueri, jurantibus in ejuſdem Barthii verba Alardo & Bulaeo, tum, quod miror, Voſſio Inſtit. Orat. lib. IV. cap. I. §. 10. Sed aliter ſentiente Obſervationum libro primo, capite ſeptimo, exactiſſimo Gronovio. Cujus tamen rationibus is ipſe Barthius adeo manum dare non potuit, ut vaſto illo ſecundae curae ad Claudianum Commentario non minus praefracte, quam antea, vulgatam lectionem defendendam ſuſceperit, putidam mehercules & inelegantem, quaeque limatiſſimi Poematis exordium mire perplexum atque inconcinnum reddit. Quid, quod Baptiſta Pius, cujus in Valerium commentarii in manus meas demum pervenere

venere poſt praelo jam adornatas haſce Animadverſiones, viros eruditione praeſtantes laudat, qui τὸ *natis* ſibi inventum eſſe in vetuſtis Valerii codicibus aſſeverarint; ſed ut debellentur penitus haec monſtra, videamus, quaeſo, qua auctoritate, quibus rationibus freti, *Deorum natos* huc poſtliminio cenſeamus revocandos. Ipſe noſter infra lib. III. de Argonautis.

——— ſponte affore reges
Dis genitos.

libro V. Jaſon,

——— Deûmque
Nos genus, atque ratem magnae ſenſere Minervae:

Vides *Deûm genus* & *Dis genitos* illic appellari, qui *Deûm nati* hoc loco nuncupantur. Iterum libro IV. Phineus ad Argonautas,

Novimus & Divis geniti quibus, & via juſſos
Quo ferat.

Tum ipſo hoc libro, ubi de bello agitur Trojano;

Quos proceres natoſque Deûm, quae robora cernes
Oppetere.

Adpoſite omnino: praeterea θεῶν φίλα τέκνα Theocrito, ἡμιθέων ἡρώων γένος Apollonio, Argonautae vocantur: Senecae Medea,

Praeſidia Achivae gentis & proles Deûm.

Semidei reges Statio Theb. III. v. 518. & *Semidei Heroes* Theb. v. 333. Achilleidos lib. I. *Semideos noſtrumque reportant Theſea.* Idem lib. II.

Non tulit Aletes, ferroque & claſſe ſecutus
Semideos reges, & ituram in ſidera puppim.

Et ſane major Argonautarum pars aut Dis geniti, aut divinae ſtirpis habebantur. Huc & illud Manilii trahendum de Argo, *Servando Dea facta Deos*. hoc eſt in coelum recepta, ob ſervatos Deorum ſobolem, Argonautas. Qui de veriſſima ſcriptura dubitabunt in poſterum, eos Medicis potius, quam Criticis committendos eſſe cenſeo, ut reſipiſcant: Nam quod vere-

rum

rum membranarum auctoritatem ad partes trahunt, pari jure & Sabellico obloquuntur, qui primus contra vetuſtos codices reſtituit, quod paulo poſt ſequitur. *Illius amnes Iönium quicumque petunt.* Cum *omnes* inſulſe in omnibus exemplaribus mira pertinacia legatur, ubi nos, ut & aliis innumeris locis, rationi contra membranas militanti ſubſcripſimus.

Verſ. 3. *Mediosque inter juga concita curſus Rumpere.*] *Medio curſu*, caſtigat Barthius ad Claudianum prioris curae Commentario pag. 339. ſed fruſtra. *Rumpere curſum* elegans & Latinum. Silius lib. VIII.

Primus clauſtra manu porta Dictator, & altos
Disjecit poſtes, rupitque in praelia curſum.

Ita & *rumpere iter* eidem Silio non ſemel. etiam Lucano lib. II. *Rumpere viam*, Statio Thebaid. VIII. Apud Maronem Aeneid. ſecundo *Rumpunt aditus primoſque trucidant, Inmiſſi Danai.* eleganter autem ſubjungitur, *Flammifero tandem conſedit Olympo*, ac ſi de portu poſt peractam navigationem agatur, quomodo apud Maronem libro Aeneidos tertio,

——— quo tutior hoſpita luſtres
Aequora, & Auſonio poſſis conſidere portu.

Noſter libro II,

Theſſala Dardaniis tunc primum puppis arenis
Adpulit, & fatis Sigeo litore ſedit.

Silius lib. XIV.

Conſidunt portu, & ſecurae gurgite clauſo
Stant puppes.

Huc & Rutilius libro I. Itinerarii reſpexit.

Cunctamur tentare ſalum, portuque ſedemus,

Ex illo Maronis,

Fluminis intraſtis ripas portuque ſedetis.

Idem Rutilius de Centumcellis,

Tranquilla puppes in ſtatione ſedent.

Verſ. 5. *Cumaeae mihi conſcia vatis,*] *Cymaeae vatis* in veterrimis membranis conſtanter, non hic tantum, ſed in Virgilio quoque & Naſone, & Silio Italico aliiſque ſcriptoribus. Nam Graecis *κύμη* eſt non *κύμη*. hinc *κυμαῖ☉*. Caeterum quod de *cortina* & *caſta domo* ſubjungit, eo manifeſte deſignat ſe XV. Virum Sacris faciendis fuiſſe. ut deſinant tandem in hoc loco aeſtuare homines eruditi. In nummis argenteis aureiſque Vitellii, cujus notae non unum poſſideo, tripus cum Delphino & cervo exprimitur, addita Inſcriptione, XV. VIR SACR. FAC. Quindecimviris vero hiſce ſolis jus erat Sibyllinorum carminum inſpiciendorum, uti ſat ſuperque jam exploratum eſt. Adpoſite Servius libro tertio Aeneidos, *Delphinum ajunt inter ſacrata Apollinis receptum. Cujus rei veſtigium eſt, quod hodieque Quindecimvirorum cortinis Delphinus in ſummo ponitur, & pridie, quam ſacrificium faciunt, velut ſymbolum Delphinus circumfertur. Ob hoc ſcilicet quod quindecimviri librorum Sibyllinorum ſunt antiſtites. Sibylla autem Apollinis vates, & Delphinus Apollini ſacer. caſtam* igitur *domum* refer ad quindecimviratum ejus. Nam ſacerdotes paſſim *caſti* Poetis dicuntur. neque aliter capiebat hunc Valerii locum eruditiſſimus Gronovius.

Verſ. 9. *Phrygios prius indignatus Iülos.*] Neſcio quid venerit in mentem Johanni Meurſio, viro de antiquitate Graeca optime merito, ut per *Iülos* navis quoddam genus intelligi a Valerio arbitraretur, Commentariis ad illa Lycophronis, non longe ab initio Poematis:

Ἰουλόπεζοι θεῖνον εὐῶπες σπάθαις
Πελαργοχρῶτες αἱ φαλακραῖαι κόραι.

Nimirum, quia apud Suidam invenerat, *ἰουλόπεζα, ἡ ναῦς.* atqui certum eſt, per *Phrygios Iülos* intelligi Caeſares Juliae gentis ex Phrygia originem a Trojanis trahentes, inprimis Divum Julium, Claudium & Neronem Auguſtos, de quorum expedi-

Digitized by Google

peditionibus Britannicis apud Hiſtoricos illorum temporum eſt videre. Subodoratus eſt jam in Adverſariis Barthius nonnihil de vera loci hujus interpretatione libro XXVI. cap. III. & ante illum Aegidius Maſerius, ut & Baptiſta Pius. Silius libro III.

Exin ſe Curibus virtus coeleſtis ad aſtra
Efferet & ſacris augebit nomen Iülis.

Ita ſcribo. Nam vetuſti codices *Iülus*. in vulgatis *Iüli*. Venus apud Statium in Epithalamio Stellae,

——— *Phrygio ſi non ego juncta marito,*
Lydius, unde meos iteraſſet Tybris Iülos.

Prudentius hymno S. Laurentii,

Abſterge Chriſte hoc dedecus
Emitte Gabriel tuum,
Agnoſcat ut verum Deum
Errans Iüli caecitas.

Iüli caecitas, pro Romanorum caecitate. Ita ex longe vetuſtiſſimo Puteaneae Bibliothecae libro ſcribendum. niſi mavis *Iüla caecitas* pro *Iülea*, quod erat in Giſelini codice. Perperam vulgati *Iülica* contra metrum. Tangit autem Valerius expeditionem Britannicam auſpiciis Claudii Caeſaris, Veſpaſiani ductu ſuſceptam.

Verſ. 12. *Verſam proles tua pandet Idumen (Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem.*] Locus vexatiſſimus. Primo *pandet* eſt in ſcriptis, non *pandit*. recte. Perperam vero illi, qui *pangat* reponunt. *Pandere* enim uſitatum hac ſignificatione apud Poetas verbum, ut jam monuit Obſervationum lib. IV. cap. 12. eruditiſſimus Gronovius. Quo loco egregie hos verſus illuſtrat, & diverſas hominum litteratorum congerit conjecturas, quibus recenſendis, ne actum agam, hic ſuperſedebo. pro *namque poteſt*, ſcripti conſtanter *potes*. ſed fruſtra. alii aliter haec tentarunt. Viri duo doctiſſimi, *jamque poteſt*. ſublata parentheſi, ut τῷ *jamque poteſt* τὸ *pandere* ſubintelligatur, ex praecedentibus

Digitized by Google

tibus repetendum. ſed, ut dicam quod res eſt, nil mutandum videtur in hiſce duobus vocabulis. niſi quod ſententiae Baptiſtae Pii ſubſcribo, cui receptam lectionem debemus Commentario Lucretiano, & ad hunc locum. Quamquam Obſervationibus ad praefationem Naturalis Hiſtoriae Plinii pari modo quoque caſtigavit Hermolaus Barbarus. *Namque potens* Agidio Maſerio perplacebat, quod Pio non ſine cauſa damnatum. in Schedis Langermanni *poteſt* pro diverſa lectione annotatum. *Namque potes*, inſtar perpetuae apud Poetas formulae, habet ipſe noſter libro II.

Annue, meque precor, defectaque Pergama monſtris
Eripe, namque potes.

libro VII.

Sed magis his miſeram (quoniam potes) eripe curis.

Horatius Epodon carmine XVII.

Et tu (potes nam) ſolve me dementia.

Virgilius Aeneid. VI.

——— *aut tu mihi terram*
Injice (namque potes) portuſque require Velinos.

atque ita frequenter boni ſcriptores. etiam in Graecis. libro VI. Anthologiae;

Ἀλλὰ θεά, δύνασαι γὰρ, ἤ ἡβητῆρα με τεῦξον.

Peſſime vero Carrion & Giphanius *Solymoque nigrantem* reponunt. Reddit quippe ſcriptura haec locum admodum ſalebroſum, idque praeter receptum a Valerio noſtro morem. Illud vero recte, quod locum mendo non vacare arbitrari ſunt. Jampridem ego ita ſcribi debere ſum opinatus, nec muto ſententiam,

——— *verſâ proles tua pandet Idume*
(Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem.

Verſâ Idume ſexti caſus eſt, ſive de everſione Hieroſolymae futura agitur, ſive de praeterita, *verſâ Idume*, poſt Idumen verſam. propter longius protractam

tractam periodum ab oſcitantibus librariis haec interpolata erant, cujuſmodi errores non paucos in Naſone, aliiſque optimae Latinitatis ſcriptoribus a me ſunt deprehenſi. apud hunc noſtrum quoque non abſimili modo libro VII. v. 94. correximus,

——— atque ea vixdum
Viſa viris, atrâ nox protinus abſtulit umbra.

Cum inconcinne prorſus & contra auctoris mentem legeretur, *atram nox protinus abſtulit umbram.* umbroſa & atra nox auferebat Stheneli ſpectrum. vid. ad Ovid. VII. Met. 727. Solymos, inquit a Tito fratre everſos pandet, & decantabit Domitianus tuus, qui argumento tanto par eſt. hoc ſibi volunt illa, *namque poteſt.* Domitianum ſtudio Poetico polluiſſe, qui ignorant, oportet Martialem, Statium, Silium Italicum, Quintilianum, Suetonium, caeteros illorum temporum ſcriptores numquam legerint. Avunculus meus Johannes Rutgerſius in Variis Lectionibus perſuaſum habebat, ut crederet Aratea Caeſaris Germanici, quae etiamnum exſtant, Domitiani Germanici foetum eſſe, non illius Germanici Druſo parente nati, cui Faſtos ſuos dedicavit Naſo. Et ſane recordor vidiſſe me Lutetiae pervetuſtum Arateorum codicem, qui Domitiano Caeſari poema iſtud adſerebat: ut veri omnino ſimile ſit, pro Domitiano Germanicum ob invidiam nominis in pleriſque exemplaribus eſſe repoſitum. Nam & Domitianus Germanici cognomentum ſibi vindicabat ambitioſe, ut ex hiſtoricis, Poetis, ac nummis antiquis liquido adparet. *Nigrantem pulvere* non palaeſtrico, quod interpretes volunt, ſed bellico, apud Horatium habes, lib. I. Od. VI,

——— pulvere Troico
Nigrum Merionen.

& lib. II. Od. I,

——— Duces
Non indecoro pulvere ſordidos.

Solus

Solus Baptiſta Pius non caecutivit hoc loco.

Verſ. 15. *Delubraque genti inſtituet.*] Templum ſplendidiſſimum Flaviae genti a Domitiano dicandum intelligi vult Maſerius, & cum illo Baptiſta Pius. nam caeteri interpretes tacent. Sed quomodo praeſcire potuit futura Flaccus? an quia vates? nugae. & ſane τὸ *ille* ad Titum potius, Patri deſtinatum ſucceſſorem, quam ad Domitianum, aetate filium minorem, referri debet. Titum Veſpaſiano ſucceſſurum, Patre non invito, augurari potuit Flaccus, ſiquidem, euntibus ordine fatis, id aequum, ac proinde optandum quoque erat. De Domitiano id palam praeſagire non potuit noſter, niſi Titum offenderet. Vide igitur ne ab ipſius Valerii manu ſit.

Ille tibi cultuſque Deûm delubraque gentis
Inſtituet.

Ut *delubra gentis* non Flaviae, ſed Idumaeae innuat; ac templum Hieroſolymitanum, toto orbe celeberrimum, abrogato veteri cultu divino, Veſpaſiano in Deorum numerum poſt mortem referendo, dedicatum iri, a filio Solymorum victore deſignet. Quomodo id Jovi Capitolino dedicavit poſtea Imp. Hadrianus, ipſamque civitatem utcumque inſtauratam *Coloniam Aeliam Capitolinam* hac de cauſa nuncupavit. Corrigamus in tranſcurſu ſemel iterumque elegantiſſimum Martialem, ubi agit de Flaviis templis libro IX. Epigrammate IV.

Quid loquar Alciden, Phoebumque, pioſque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo.

Scribendum, inquam, *Latio foro. Forum Latium* quod *Romanum* & *magnum forum* ſimpliciter veteres appellant. Sic Statius equo Domitiani,

Quae ſuper impoſito moles geminata coloſſo
Stat Latium conplexa forum!

Latium forum Naſoni quoque dicitur. Non aliter locus iſte Martialis videtur conſtituendus. Foro enim

enim Romano additum & junctum templum, quod Domitianus Veſpaſiano & Tito dedicaverat. Si mavis interpretari, *Flavia templa addita Romano foro*, tam ipſum forum Romanum a Domitiano inſtauratum, quam templa ab eodem in honorem Flaviae gentis, inque memoriam Veſpaſiani Patris ac fratris Titi exſtructa, nil obnitor. Fuit enim diverſum Flaviae gentis templum ab eo, quod Veſpaſiano & Tito inſcripſerat Domitianus, cum alterum in Foro Romano exſtiterit, alterum in Quirinali monte, prope vicum Mamurii ad Malum Punicum. Poteſt etiam intelligi de omnibus templis a Domitiano exſtructis inſano ſumptu, quomodo *Julia templa* dicuntur Statio a Divo Auguſto aut ab Juleae gentis Caeſaribus exſtructa, equo Domitiani,

At laterum paſſus, hinc Julia templa tuentur.

Ubi male Lipſius *tecta*. quamquam proprie illic de *Baſilica Julia* videtur agi a Statio. idem Martialis lib. IX. Ep. XXXV.

Jupiter Idaei riſit mendacia buſti,
Dum videt Auguſti Flavia templa poli.

Lege *Auguſti tholi.* & refer ad Jovis templum Cuſtodis in Capitolio dedicati. Tacitus de Domitiano, *mox imperium adeptus Jovi Cuſtodi templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit.* qui *Latium polum*, & *polum Auguſtum* contendunt dici in hiſce Epigrammatis, quomodo ab eodem Martiale libro X. Epigr. LI.

Quaeque nitent coelo proxima templa ſuo;

oſtendant, *coelum* vel *polum Latinum* & *Auguſtum* ab ullo veterum dici. de aedificiis publicis a Domitiano exſtructis, praeter Suetonium Euſebiano Chronico B. Hieronymus ad annum MMCV. inter quae & Forum tranſitorium recenſet, quod in tertia urbis regione. Haec ὡς ἐν παρόδῳ.

Verſ. 17. *Neque enim in Tyrias.*] Sic primus Vaticanus. in aliis quibuſdam *ne quae in Tyrias.* quod ſibi

ſibi quoque in venerandae vetuſtatis exemplaribus repertum adſeverat Pius. Neſcio tamen an ſatis Latinum, forte ſcribendum.

——— *neque erit Tyriae Cynoſura carinae*
Certius, aut grajis Helice ſervanda magiſtris.

Verſ. 23. *Jam gravis & longus populis metus*] Duo libri Vaticani, Oxonienſis, & editiones veteres Veneta ac Bononienſis, *populos*, opinor pro *populo*. Sed Baptiſta Pius ex antiquiſſimo libro *populum* corrigebat, nec perſuadet nobis id tamen. *Gravis*, non ſenex, quod interpretes volunt, ſed *gravis Populo*. Sic *graves Perſae* Horatio, ſubintellige *Romano Imperio*, quod praeceſſerat apud illum proxime. pro *illius omnes*, optime Sabellicus *amnes*, quamquam invitis vetuſtis codicibus. idque jam adprobarunt Andreas Schottus in Humanis Obſervationibus, in Adverſariis Barthius, ad Livium Gronovius. ut audiendi non ſint, Maſerius & Carrion, qui obloquuntur. videtur & *de amnibus* non nihil ſubodoratus eſſe Baptiſta Pius.

Verſ. 36. *Et ambobus jam cornua fracta juvencis.*] Non poteſt aliter intelligi, quam de Tauro Cretaeo, & Acheloo in taurum transformato, cum tamen lucta Herculis & Acheloi poſt Colchicam expeditionem inciderit. ut hic manifeſtus ſit Flacci anachroniſmus. paulo ante, *cluſus hiatu*, non *clauſus* vetuſtiora exemplaria noſtra. & ſic in Marone, Silio, aliis ſcriptoribus codices antiquiſſimi. Mox recte viri eruditi *tranquilla tuens* pro *timens*, quod in membranis noſtris eſt. *tuens* etiam in Aldino codice expreſſum erat.

Verſ. 41. *Annue, daque animum*] Omnino ſcribendum eſt, ut emendavimus jam ad Ovidii Faſt. III. 688. *daque manum*. Hoc eſt, promitte: non enim tam attentas aures, quam aſſenſum Jaſonis hic exigit, ac requirit Pelias. Plautus Aulularia, *Da mihi, optima faemina manum.* Seneca Thyeſte,

Tantum

Tantum ora ſervat, & datas fidei manus.

& Medea,

Sed ceſſerit coactus, & dederit manum.

Silius IX. v. 149.

Cur trepidas? da, Nate, manum, da jungere pectus

Ita lege, vulgo, *magis* nunc circumfertur. poteſt & capi, pro patere te expugnari. de victis enim ſumitur frequenter, ut in illo Maronis

—— *neque enim ipſe manus feritate dediſſet.*

apud Naſonem,

Doque libens victas in tua vota manus.

ita & Tullius nonnumquam. Praeſtiterit tamen, *daque animo.*

Verſ. 43. *Hunc ferus Aeëtes*] *Oeta* in primo Vaticano & aliis nonnullis pro *Aeëta*, ut ultima Syllaba producatur ob ſequentes duas conſonantes. Regius *Aeëtas.* mox ille verſus abeſt a ſcriptis potioribus *Inter & attonitae.* ſed perperam. *tam ſaeva gementem*, primus Vaticanus diverſae lectionis loco, *vel frementem.*

Verſ. 45. *Monitae*] forte *admotae.* Similis varietas infra lib. v. 50.

Verſ. 49. *Meque aſſiduis lacera illius umbra*] Carrionis librum ſecuti ſumus. noſtra cum vulgatis, *lacera aſſiduis namque illius umbra.* ita Stat. Soter. Rutil. Gall.

——— *primuſque inſigne tributum*

Ipſe palam lacera poſcebat Regulus umbra.

mox pro, *& regis*, Baptiſta Pius *aut regis* emendat.

Verſ. 56. *I decus, & pecoris*] *decus* hac ſignificatione abſolute poni alias non obſervavi, niſi addas, *noſtrum decus*, *decus mearum rerum*, aut quid ſimile. ſic in illis Maronianis, *I, decus, i, noſtrum.* & *Tu decus omne tuis.* apud Horatium

O & praeſidium & dulce decus meum.

tum, *mearum grande decus columenque rerum.* atque

ita porro. primus Vaticanus *id decus.* quartus *nec decus.* puto,

Tu, cui jam curaeque vigent animique viriles
In decus i, pecoris Nephelaei vellera Graio
Redde tholo.

apud Silium libro IV.

——— *juvat ire periclis*
Ad decus.

libro VI.

——— *ducere verba*
Ad verum decus, & proavis arcere valebunt.

libro VIII.

——— *lingua ſperabat adire*
Ad dextrae decus.

&, quod magis ad rem facit, eodem libro,

——— *ſparſi per ſaxa Vagenni*
In decus Hannibalis duros miſere nepotes.

libro XI,

——— *conponimur eheu*
Vecordi Decio, mecum certare volenti
In decus & famam lethi.

libro XIII.

In decus egregiae vultus intenta juventae.

In nonnullis exemplaribus *annique viriles.* ut Baptiſta Pius, & ſchedae Langermanni monent. Inepte mox idem Pius, & contra membranarum fidem, *propiorque rubenti.*

Verſ. 63. *Et dabat heſterno liventia mella veneno*] *heſternum* pro nupero, & recens intrito videtur poſuiſſe. Apud Plautum *heſternae reliquiae*; *caena heſterna* apud Juvenalem & Plinium in Panegyrico. atque his ſimilia. In ſcriptis tamen omnibus *externo veneno.* perperam. nec dubitaſſe Carrion debebat. Nam cum ex Caucaſo ſuo omnium praeſentiſſimum venenum aconiton Medea poſſet depromere, quid opus illi erat ad venena externa confugere? Cogitabam aliquando,

—— *dabat alterno liventia mella veneno,*

hoc

Digitized by Google

hoc eſt, mella veneno commixta. Nunc nihil temere inmutandum cenſeo. *liquentia mella* Oxonienſis. *libantia* prim. Vatic. alii *libentia*.

Verſ. 66. *Qua juſſos ſic tandem quaerere Colchos Arte queat?*] Ita Sabellicus & Maſerius reſtituerunt. Nam in ſcriptis eſt conſtanter oppido, quod & Pius monuit, *ſectantem quaerere*. Putabam aliquando,

——— quo juſſos ſectantem avertere Colchos
Arte queat?

Quo ſeſe juſſos Colchos ſectantem queat avertere, & alio ablegare. *Sectari Colchos*, ut initio operis de Argo,

------- Schytici quae Phaſidis oras
Auſa ſequi.

& apud Maronem,

Italiam ſequimur fugientem.

noſter libro v,

Barbarus in patriis ſectatur montibus Aeam
Phaſis amore furens.

avertere. ut apud Plautum,

------- homo in mercatum avortitur.

Amat id verbum noſter. ſic libro II, 552.

------- Priami ſed quiſnam avertere regnis
Fata queat?

Perperam *vertere* illic nunc circumfertur. lib. III.

Pallada conſortem curis ſed fallere primam
Molitur, caroque dolis avertere fratri.

libro v.

Num querar, exſtructa quod vexerat ipſa carina
Vellera ſacra meis quaerentem avertere lucis?

libro IV,

Atque adeo neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuive ratem.

vide Voſſium ad Velleji Paterci lib. II. cap. XLVII. ubi male tentat Aſconii & Valerii loca. Fors & ſcripſerit,

---- qua juſſos ſectando inquirere Colchos

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Poſſet etiam mutata ſolummodo diſtinctione corrigi,

.... aut curru ſaevas frenaſſe dracones
Credimus, ignaram Cererem qui vomere terras
Imbuit.

Idque verius opinor conjectura modo prolata. *Plantaria* vocat, quas *plantares alas* Statius de Mercurio. Thebaid. I.

Summa pedum propere plantaribus illigat alis.

talaria Naſoni non uno loco dicuntur. Quare autem Baptiſta Pius reponat, *& curru*, pro, *aut curru*, cauſam non video. Praeſertim ſcriptis exemplaribus pro recepta lectione ſtantibus, etſi ille de ſuis aliter adſtruat.

Verſ. 73. *Cum miſerantes Aeſona patres Advocat*, *patres* in Aldino codice. Quomodo apud Naſonem epiſtola Hypſipyles,

At quae aliquis Pelias de partibus alta venenis
Imputat, & populum, qui ſibi credat, habet.

Nil mutem tamen temere, ut nec paulo poſt, etſi verius videtur, *fera juſſa capeſſat*, quam, *ſaeva juſſa*, quod *immania ſaeva* jam praeceſſerunt, & *dementes poenas* mox ſequitur. Quid, quod Virgiliana iſta videtur reſpexiſſe, *mihi juſſa capeſſere fas eſt.* Certe in editione veteri Veneta, in ſecundo Vaticano Regioque *fera juſſa* legebatur. *ſaeva juſſa* ex membranis vetuſtiſſimis tuetur Baptiſta Pius. habes &c. *imperium capeſſere*, apud Plautum. *fera juſſa* ut apud Naſonem Remedio Amoris,

Nec mihi imperii tam fera juſſa mei.

ſuperare quoque *juſſa* eidem Naſoni Met. IX. quomodo Flaccus hic loci ex conjectura noſtra,

Hic ſuperata ſuae referebat juſſa novercae

Si quis vulgatam ſcripturam tuetur nihilominus, non admodum repugno. Forte tamen pro *ſuperet* legendum *domet*, ut infra v. 310.

.... ingentes domare animas.

& III, v. 335,

Digitized by Google

incertus ſui & ſollicitus eſt, Seneca Epiſt. 23. & apposite Tragicus in Hercule Furenti,

At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta ſui.

idem Agamemnone,

Nunquam placidam ſceptra quietem
Certumve ſui tenuere diem.

ſic *oblitus ſui* ſaepe apud eundem, & apud noſtrum,

—— oblitaque numinis eſſe
Juno ſui.

Silius libro IX,

Quae poſtquam accepit dubitans Tritonia virgo
Nec ſtat certa ſui, patriis an cederet armis.

Ita & illic fortaſſis corrigendum, nam nunc *certa dea* legitur apud Tacitum Annal. 11, *Agrippina* [illegible], *anxia ſui*, *& infelici faecunditate fortunae* [illegible] *obnoxia*. *Securus ſui* apud eundem Senecam Thyeſte v. 720. Hercule Oetaeo v. 1091. apud Lucanum lib. 11, 241. *Impatiens ſui morbus* apud Claudianum lib. 1. in Rufin. *Parcus ſui tamen*, apud eundem in Hyſtricis Idyllio. Atque haec de Statiano loco. Redeamus ad Valerium noſtrum.

Verſ. 19. *Dabit auratis & cornibus igni Colla parem niveoque greges altaria cingent*) Rectius forte videtur *tingent*. *imbuere* dixerat Maro

—— illius aram
Saepe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Idem Maro dedicatione Aeneidos,

Cornigeras hic aries humiles, & maxima taurus
Victima ſacratos tinget honore focos.

Seneca Hercule Furenti,

—— gratus nullus cruor
Tinxiſſet aras

[illegible] non ſatisfacit loquendi modus, *dare igni* [illegible] *auratis cornibus*. Quam lectionem ex confuſis

[illegible]

Digitized by Google

Verſ. 96. *Maredumque per urbes*] Probe primus Vaticanus Regiuſque *Macetumque*, cum Aldino codice. Nam alterum nec Graecum eſt nec Latinum. Quod primus docuit, ſi recordor, magnus Scaliger.

Verſ. 97. *Parentibus*.] Non damno: forte tamen ſcripſerat Valerius *rudentibus*. Ut hoc ipſo libro

Hoc erat infeſtas temerare rudentibus undas
Quod noſtri timuere patres.

Verſ. 100. *Omnis avet, quae jam bellis ſpectataque fama Turba ducum.*] Ita Carrion ex ſuo codice, quomodo & Sabellicus caſtigabat, & in vetuſtiſſima editione Bononienſi comparet, approbante etiam Marſio. Sed & *fama* bene pro *forma* Carrionis liber. Ut & in Venetae editionis ora caſtigatum erat, & Aldus expreſſit. *Omnis habet* ante legebatur. Quidam cum Aldo, *abit*, *adit* Maſcrius. *Haeret* Oxonienſis. Baptiſta Pius *avet* vel *abit*. Puto,

Omnis ovat, ſeu jam bellis ſpectataque fama
Turba ducum, primae ſeu quos in flore juventae
Temptamenta tenent.

Certe illi priore verſu *ſeu jam*, pro, *quae jam*, reponas, nihil erit ad quod τὸ *ſeu* proximo verſu referatur. *Ovare* pro exſultare poetis familiare. ſimile mendum infra hoc libro v. 435. tollendum, ubi *Dollor avet* pro *ovat* nunc legitur. & libro II. v. 114. *Quaerit avens*. imo, *ovans*.

Verſ. 103. *Arvorum ſtudiumque infantis aratri.*] Malebam, *arvorum ſtudium atque infantis aratri*. Quod & Johannes Columbus, Socero Scheffero genere digniſſimus, ſibi quoque in mentem veniſſe per litteras mihi eſt teſtatus.

Verſ. 105. *Juſſi laude canunt*] A quibus vero juſſi? ſcribe meo periculo,

— *magnoque vatum per inclita vatque*
Juſſi laude canunt manifeſto in lumine Fauni.

Animo meo eſt indubitatus Maronianus verſus Aeneidos IV.

[illegible] nunc altera plantaria [illegible]

[illegible]

[illegible]

— [illegible] *Crediderim*

[illegible] Libri [illegible] ergo.

[illegible] altera plantaria [illegible]

[illegible]

[illegible] in primo [illegible] Apud [illegible] Libro 1.

Non [illegible]

Libro 11.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Apud [illegible] modo lib. v.

[illegible]

[illegible]

Poſſet etiam mutata ſolummodo diſtinctione corrigi,

---- aut curru ſaevos frenaſſe dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit.

Idque verius opinor conjecturâ modo prolatâ. *Plantaria* vocat, quas *plantares alas* Statius de Mercurio. Thebaid. 1.

Summa pedum propere plantaribus inligat alis.

talaria Naſoni non uno loco dicuntur. Quare autem Baptiſta Pius reponat, *& curru*, pro, *aut curru*, cauſam non video. Praeſertim ſcriptis exemplaribus pro recepta lectione ſtantibus, etſi ille de ſuis aliter adfirmat.

Verſ. 72. *Olim miſerantes Aeſona patres Advocat*] *patres* in Aldino codice. Quomodo apud Naſonem epiſtola Hypſipyles,

Atque aliquis Peliae de partibus acta venenis
Inputat, & populum, qui ſibi credat, habet.

Nil mutem tamen temere. ut nec paulo poſt. etſi verius videtur, *fera juſſa capeſſat*, quam, *freta juſſa*. quod *inmania freta* jam praeceſſerunt, & *domitus pontus* mox ſequitur. Quid, quod Virgiliana illa videtur reſpexiſſe, *mihi juſſa capeſſere fas eſt*. Certe in editione veteri Veneta, in ſecundo Vaticano, Regioque *fera juſſa* legebatur. *freta juſſa* ex membranis veterrimis tuetur Baptiſta Pius. habes &, *imperium capeſſere*, apud Plautum. *fera juſſa* ut apud Naſonem Remedio Amoris,

Non ſunt imperii tam fera juſſa mei.

ſuperare quoque *juſſa* eidem Naſoni Met. IX. quomodo Flaccus hic loci ex conjectura noſtra,

Hic ſuperata ſuae referebat juſſa novercae.

Si quis vulgatam ſcripturam tuetur nihilominus, non multum repugno. Forte tamen pro *ſuperet* legendum *duret*. ut infra v. 237.

---- ingentes durate animae.

& VII, v. 338,

 ---- *heu*

[illegible]

Digitized by Google

incertus ſui & ſollicitus eſt, Seneca Epiſt. 23. & appoſite Tragicus in Hercule Furenti,

At gens hominum fertur rapidis
Obvia fatis, incerta ſui.

idem Agamemnone,

Nunquam placidam ſceptra quietem
Certumve ſui tenuere diem.

ſic *oblitus ſui* ſaepe apud eundem, & apud noſtrum,

---- oblitaque numine feſſo
Juno ſui.

Silius libro IX,

Quae poſtquam accepit dubitans Tritonia virgo
Nec ſtat certa ſui, patriis an cederet armis.

Ita & illic fortaſſis corrigendum, nam nunc *certa diu* legitur. apud Tacitum Annal. II, *Agrippina incerta ultionis, anxia ſui, & infelici faecunditate fortunae toties obnoxia. Securus ſui* apud eundem Senecam Thyeſte v. 720. Hercule Oetaeo v. 1093. apud Lucanum lib. II, 241. *Inpatiens ſui morbus* apud Claudianum lib. I. in Rufin. *Parcus ſui tumor*, apud eundem in Hyſtricis Idyllio. Atque haec de Statiano loco. Redeamus ad Valerium noſtrum.

Verſ. 89. *Dabit auratis & cornibus igni Colla pater niveique greges altaria cingent*] Rectius forte videtur *tingent*. *Imbuere* dixerat Maro

----- illius aras
Saepe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Idem Maro dedicatione Aeneidos,

Corniger bos aries humiles, & maxima taurus
Victima ſacrato tinget honore focos.

Seneca Hercule Furenti,

---- gratior nullus cruor
Tinxiſſet aras.

Praeterea non ſatisfacit loquendi modus, *dare igni colla auratis cornibus*. Quam lectionem ex confuſis temere

temere vocibus a feſtinante librario ſubortam eſſe arbitrabar, ſcriptumque a Valerio,

---- dabit aurato praeſignia cornu
Colla pater, niveique greges altaria tingent.

apud Naſonem Met. xv. v. 132.

---- vittis praeſignis & auro
Victima.

Homerus Odys:

Βῦν τοὶ ἐγὼ ῥέξω χρυσὸν κέρασι περιχέυας

Vide Lipſ. ad Senecam de Benef. lib. 1. cap. 65. Ubi *auro praefulgentes victimae.* Sed hanc conjecturam pro certo venditare non auſim. In margine editionis Venetae vir eruditus emendarat *agni colla.* pro *colla*, primus Vaticanus *Colca*, quartus cum Oxonienſi *Colcha.* Nunc perſuadeor, ut credam excidiſſe vocem *ſua*, ejuſque loco & repoſitum eſſe a librariis, ne claudicaret verſus. Cujuſmodi mendae in Naſone ſaepius commiſſae,

---- dabit auratis ſua cornibus igni
Colla pater.

Verſ. 95. *Peliacas & jam comes exit in umbras.*] Ita ex Sabellici reſtitutione in editos codices jam pridem receptum eſt. ante legebatur *in undas.* quod miror poſtliminio revocaſſe Carrionem, quamvis adſentientes habeat membranas. Certe, qui vetuſtos codices trivere, non poſſunt ignorare voces haſce duas frequentiſſime confundi: hoc quidem loco *umbrae* omnino admittendae ſunt. neque aliter Aldinus & Maſerianus codex, & Bononienſis Baptiſtae Pii. Ipſe Pius operoſe etiam τὸ *umbras* corrigendum demonſtrat; ſed, *haeſit in umbras*, quod idem profert, minime admittendum. Paulo ante idem Aldinus liber confirmat, quod Carrion ex ſuis membranis merito amplexus eſt,

---- ad carum Tritonia devolat Argum

Infra etiam v. 120. fortaſſis ſcribendum,

---- Haemonias oculos detorquet ad umbras

non *undas.*

Verſ. 96.

Verſ. 96. *Macedumque per urbes*] Probe primus Vaticanus Regiuſque *Macetumque*, cum Aldino codice. Nam alterum nec Graecum eſt nec Latinum. Quod primus docuit, ſi recordor, magnus Scaliger.

Verſ. 97. *Parentibus.*] Non damno: forte tamen ſcripſerat Valerius *rudentibus*. Ut hoc ipſo libro.

Hoc erat inlicitas temerare rudentibus undas
Quod noſtri timuere patres.

Verſ. 100. *Omnis avet, quae jam bellis ſpectataque fama Turba ducum.*] Ita Carrion ex ſuo codice. quomodo & Sabellicus caſtigabat, & in veterrima editione Bononienſi conparet, approbante etiam Maſerio. Sed & *fama* bene pro *forma* Carrionis liber. Ut & in Venetae editionis ora caſtigatum erat, & Aldus expreſſit. *Omnis habet* ante legebatur. Quidam cum Aldo, *abit. adit* Maſerius. *Haeret* Oxonienſis. Baptiſta Pius *avet* vel *abit*. Puto,

Omnis ovat, ſeu jam bellis ſpectataque fama
Turba ducum, primae ſeu quos in flore juventae
Tentamenta tenent.

Certe niſi priore verſu *ſeu jam*, pro, *quae jam*, reponis, nihil erit ad quod τὸ *ſeu* proximo verſu referatur. *Ovare* pro exſultare poëtis familiare. ſimile mendum infra hoc libro v. 485. tollendum, ubi *Ductor avet* pro *ovat* nunc legitur. & libro II. v. 124. *Quaerit avens.* imo, *ovans.*

Verſ. 103. *Arvorum ſtudiumque inſontis aratri.*] Malebam, *arvorum ſtudium atque inſontis aratri.* Quod & Johannes Columbus, Socero Scheffero gener digniſſimus, ſibi quoque in mentem veniſſe per litteras mihi eſt teſtatus.

Verſ. 105. *Juſſi laude canunt*] A quibus vero *juſſi?* Scribe meo periculo,

---- magnaque ratem per luſtra viaſque
Viſi laude canunt manifeſto in lumine Fauni.

mimeſis eſt indubitata Maroniani verſus Aeneidos IV.

 -- *ipſe*

Digitized by Google

---- ipſe Deum manifeſto in lumine vidi.

apud eundem Maronem Æeneidos III.

Ecce Deûm ſacrae effigies Phrygiaeque Penates
Quos mecum a Troja mediiſque ex ignibus urbis
Extuleram, viſi ante oculos adſtare jacentis
In ſomnis multo manifeſti lumine.

Contra Silius lib. XIII. 319.

----- ſubit intima corda
Perlabens ſenſim mitis Deus. ille ſuperbae
Fundamenta Capyn poſuiſſe antiquitus urbi
Non cuiquam viſus paſſim monet.

Cicero de Natura Deorum lib. II. *Saepe Faunorum voces exauditae, ſaepe viſae formae Deorum.*

Verſ. 108. *Arcadio cujus armata veneno*] Sic & Statius Theb. IV.

----- Scythicis quoties armata venenis
Colchis aget.

Ubi tamen in ſcriptis nonnullis, *medicata.* Maro etiam *armatam felle veneni ſagittam* dixit Aeneidos XII. & alibi, *ferrum armare veneno.* Columella libro X.

----- quae barbara Perſis
Miſerat (ut fama eſt) patriis armata venenis.

Claudianus de Torpedine,

Sed latus armavit gelido natura veneno.

& Silius libro XV.

----- incocta ceraſtis
Spicula, & armatus peragebat bella veneno.

primus tamen & tertius Vaticani cum libro Carrionis, *flammata veneno*, & placet, conſpirantibus praeſertim duobus veterrimis codicibus, e quibus reliquorum, quidquid nunc exſtat, codicum eſt propagatum. quod & Giphanio olim videbatur. Silius libro III.

----- ſcelerataque ſuccis
Spicula dirigere, & ferrum inflammare veneno.

ita ſcribendum. perperam nunc illic circumfertur *infamare*: amat hoc verbum noſter. ſic libro IV.

--- flam-

----- *flammata pudore juventus.*

libro VII.

----- *ſponſae flammatus amore.*

libro hoc ipſo habes,

----- *ingenti flammantem nubila ſulco*
Facem.

& libro V.

Sol propius flammabat aquas.

Statius Epithalamio Stellae,

----- *tumidae ſic transfuga Piſae*
Amnis in externos longe flammatus amores.

Verſ. 110. *Velit ille quidem*] Ita ſcripti noſtri & Aldinus. peſſime in aliis, *velut.* miror dubitaſſe Carrionem.

Verſ. 116. *Et inviti torſiſſem conjugis ignem.*] Recte *inviti*, propter Herculem & Dioſcuros fratres, quibus Jupiter favebat. Cave ergo audias Carrionem *invicti conjugis* ex codice ſuo praeferentem. Pari modo caſtigandus Silius Italicus libro X.

----- *ciet inde quietis*
Regnantem tenebris ſomnum, quo ſaepe miniſtro
Edomita inviti componit lumina fratris.

Verſ. 120. *Detorquet ad undas.*] *Oras* ſecundus Vaticanus & Regius.

Verſ. 122. *Simul undique cernit Delatum nemus, & docta reſonare bipenni Litora.*] Primum recte Gronovius Obſervat: lib. I. cap. XIII. *ducta bipenni.* pro *adducta.* Quod & mihi jam olim adoleſcentulo venerat in mentem. Seneca Oedipo, v. 936.

Haec fatus aptat inpiam capulo manum
Enſemque ducit.

Vagina ducitur enſis Silio lib. VIII. verſ. 225. & lib. IX.

----- *inſanus dextra qua ducitur enſis.*

apud Perſium Satyra V.

Vulnera nec Parthi ducentis ab inguine ferrum.

Digitized by Google

Quem locum cave accipias de geſtu jaculandi cum viro magno. Apud Maronem,

---- *auxilium ducto mucrone patebat.*

Aeneidos XII. *Delatum nemus*, ad litora vindelicet. *Deferri* enim dicitur, quod ex altiori loco devolvitur in inferiorem. Livius lib. II. c. 7. *Deferam non in planum modo aedes, ſed colli etiam ſubjiciam.* & paulo poſt. *Delata omnis materia infra Veliam.* infra lib. II. verſ. 523.

Deferre velint quem vallibus imbres.

poſſis & *Dejectum nemus.* ut lib. VIII. 289.

Et tantum dejecta ſuis e montibus arbor.

in re ſimili.

Verſ. 128. *Puppis & ut tenues.*] Satis erat *molem* dixiſſe. nam de *puppe* ſeu *nave* agi quis non videt? medicaberis nonnihil loco, ſi poſt τὸ *ponto* diſtinguis, & *Puppis lumina* conſtruis. ſuſpicatus tamen aliquando ſum *Stuppae* vocem in *Puppem* degeneraſſe.

Conſtitit ut longo moles non pervia ponto,
Stuppaque ut & tenues ſubiere latentia cerae
Lumina.

Stuppa enim, non *Stupa* ſcribitur in veterrimis Virgilii, Naſonis, aliorum codicibus. Atque ita Feſtus agnoſcit. Graecis nunc ςύππη eſt, nunc ςυπεῖον. Hujus autem uſum in ſtipandis navium rimis fuiſſe frequentiſſimum in comperto eſt, unde & nomen deduci volunt, Curtius lib. x. cap. I. *Cypriorum regibus imperatur, ut aes, ſtupamque, & vela praeberent.* *Lumina.* pro rimis. *Lumina* ὀπαί. apage Maſerianum *Limina.* *longo ponto* recte ſcripti, non *longe.* de quo ad Maronem.

Verſ. 130. *Hic ſperata ſedens Tyrrheni tergora piſcis Peleos in thalamos vehitur Tethis.*] Alii aliter hunc locum tentarunt. primus Vaticanus, *Hic ſpectes* iteram . . . ? quartus *Hic ſperata.* omiſſo *ſedens.* in tertio Vaticano *Inſperato,* quomodo & Carrionis

liber.

liber. Unde vere & eleganter, ſaepe laudandus nobis, Gronovius Obſervationum libro IV. cap. XII. *inſperatos in thalamos.* qui adeundus. *thalamos inſperatos Pelei* vocat, non exoptatos Thetidi, utpote minores Deâ. Nollem Janus Guilielmus & Zinzerlingus pro vulgata ſcriptura ſtetiſſent. Regius,

Hic ſperata vago Tyrrheni tergore piſcis.

ſpectata vago notat ex vetuſto codice Baptiſta Pius.

Verſ. 132. *Illa ſedet dejecta in lumina palla*] Noſter libro VIII. verſ. 204.

----- *dejecta reſidens in lumina palla.*

faceſſat ergo Zinzerlingus, qui reponi velit, *in flumina.* apud Statium Theb. XII. verſ. 479.

----- *Obtenta ſubmittere lumina palla.*

Primus & tertius Vaticani a manu prima *Conripit, ſedet*, a manu ſecunda *Conripuit reſidet.* Nos Carrionis librum ſecuti ſumus. Regius, *Conripit & ſedet haec.* Codices Baptiſtae Pii, *Conripit, at ſilet haec.* forte, *carpit, at illa ſedet.* idem monet, nonnullos *rejecta palla* legere, quos cave audias. Nec ferendus ipſe Pius, dum mendoſis Maronis exemplaribus deceptus pro *Doto*, reponit *Clotho*, cum *Doto* nympha ſit marina apud Homerum quoque & Claudianum. mox *laetataque fluctu* cum iisdem ſcriptis.

Verſ. 135. *Nudis Galatea lacertis Antra petens Siculo*] Peſſime haec diſtinguuntur, ſcribe,

Proſequitur nudis pariter Galatea lacertis
Antra petens; Siculo revocat de litore Cyclops.

Antra petens, non Cyclops, ſed Galatea, quae Thetin proſequebatur ad antrum nuptiale, in quo conpreſſa mox eſt a Peleo. Ejus antri deſcriptionem habes luculentam apud Naſonem, libro XI. Metam. Cyclops vero revocabat Galateam, utpote à ſe adamatam, non Thetin. Ita locus hic capiendus, quem interpretes ceteri intactum reliquêre, Baptiſta Pius contra Valerii mentem eſt interpretatus.

Verſ. 140. *Inſanus Iaccho.*] *Inſamis* duo poſteriores Vaticani, & Oxonienſis. ibid. *parte alia Pholoe.* forte *Pholos eſt.* v. infr. v. 338.

Verſ. 144. *Hac Peleus, hac parte furens agnoſcitur Aeſon.*] ſic interpolavit ex membranis ſuis Carrion. cum antea legeretur, quod in ſcriptis quoque codicibus Vaticanis exſtat, & Oxonienſi,

Hic Peleus, hic enſe furens adgnoſcitur Aeſon.

optime. *enſe furere* perquam elegans. Statius Theb. v.

---- ibat, letumque inſerre parabat
Enſe furens rapto.

Theb. IX.

Et nunc enſe furit, nunc tela natantia raptans
Ingerit.

apud Florum lib. I. cap XVI. *ſtrictis enſibus miles per ipſam viam ante pugnam furit.* ubi perperam Salmaſius curis ſecundis *fuit*, reponebat. Appulejus: *Furit, enſem corripit, fertur in eum praeceps, nihil tale timentem adgreditur.* noſter libro VI. verſ. 198. uti forte ſcribendum, *Enſibus inde furunt.* nam *furunt* in ipſo etiam Cicerone occurrit. Plura diximus libro II. Faſtorum Naſonis verſ. 751.

Verſ. 145. *Fert gravis invito victorem Neſtora tergo Monychiis.*] Haec ex Naſonis pugna Lapithaea Metam. XII. deſumpſit, ubi Theſeus tergo Bianoris Centauri inſilit. atque hinc videtur caſtigandus Statius Theb. VI. in deſcriptione ejuſdem pugnae, de Hercule,

---- tenet ipſe furentem
Hylaeum, & torta molitur robora barba.

ſcribendum, inquam, videtur, *ferentem Hylaeum* ut deſignetur ejus tergum inſcendiſſe Hercules. Infra de Achille Chironis diſciplinae tradito noſter hoc ipſo libro,

Diſcat eques placidi conſcendere terga magiſtri.

Verſ. 147. *Nigro Neſſus equo fugit.*] Quare non albo? Aut fallor vehementer, aut ſcripſerat Valerius

letius *Aegro equo.* hoc eſt laſſo. Quomodo *Aeger anhelitus* curſu exhauſtis datur. libro II. de Vulcano,

Adclinem ſcopulo inveniunt, miſerantque foventque
Alternos aegro cunctantem poplite greſſus.

libro III.. 357.

---- *jam paſſibus aegris*
Dilapſae cum prole nurus.

& Iö libro IV. *longa aegra ſiti.* apud Statium Theb. XI.

---- *avidos inlidit in aegrum*
Cornipedem curſus.

uti *aegrum equum* noſter hoc loco. Vel etiam *aegro equo* dixiſſe potuit, pro ſaucio, noſter, vel propter vulnera tardo. Pro tardo etiam Paullinus poſuit nono natali Felicis,

---- *aegra redire*
Ales abire dies.

Neſſum certe in hoc conflictu vulneratum fuiſſe teſtis eſt Naſo in hac ipſa pugnae Lapithaeae deſcriptione, quam libro XII. Metamorphoſeon inſeruit. Simile mendum ex Statii tollendum Pietate Abaſcantii verſ. 19 ubi corrigo

Aegra domus queſtu, miſeramque acceſſus ad aurem
Conjugis orbati.

cum *Nigra domus queſtu* nunc circumferatur. ſic *Aegram lacrymis Thetidem* initio libri ſecundi Achilleidos idem dixit. Noſter quoque lib. III.

---- *lacrymis ac mentibus aegri*
Stant Minyae.

iterum hoc libro de tauro,

---- *ipſe aeger. anhelans*
Inpatienſque loci.

lib. III.

---- *aegra virorum*
Corda labant.

de Minyis & ibidem, *aegram ſegnitiem* habes. &

---- *aegro aſſidue mens carpitur aeſtu.*

libro V. *Aegro*

Digitized by Google

Aegro corde ſilent

Et,

----- *Phryxi praecepta volutans*

Aegro corde.

Et,

----- *Odia aegra ſine armis.*

& lib. VI.

Talibus aegra movens nequicquam pectora curis.

&, *movetur aegra metu.* & libro VII.

Aegra nova jam peſte canis.

lib. VIII.

---- *aegraque verba*

Erranteſque genae.

Atque ita paſſim. Hinc corrigendus alter Valerii locus libro III. verſ. 736.

Non aliter gemitum quondam lea prolis ademtae

Aegra dedit.

ubi *Terga dedit* peſſime nunc circumfertur. plura illic ad rem dicemus, quae videantur. mox *Clanis Actora ferro* bene vetuſti codices, niſi quod primus Vaticanus *Auctora.* in Aldino libro *Clytus.* in Veneta editione caſtigatum *Chromus.* ſed *Clanis* etiam Naſoni in hac pugna memoratur.

Verſ. 147. *Adcliviſque tapetis*] lege *adcliniſque tapeti* Virgil. Aen. IX.

----- *qui forte tapetibus altis*

Exſtructus toto proflabat pectore ſomnum.

Statius Theb. V. verſ. 207.

Evinctum ramis, altaque in mole tapetum

Efflantem ſomno creſcentia vina.

lecti quippe inſtrati tapetibus. *in mediis* in medio Lapitharum & Centaurorum.

Verſ. 150. *Et ſecum.*] *Haec ſecum* pri. Vaticanus. Puto, *At ſecum.* mox idem ex diverſa lectione, *Nam juvenem*, pro *non.*

Verſ. 152. *In ſolum nunc ſaeviet.*] *num ſaeviet* Baptiſta Pius legebat. nil neceſſe.

Verſ. 156. *Talia conanti.*] *Cunctanti* liber Aldinus,

nus, neque aliter Maſerius. ſed Pius mavult vulgatum. *cunctare* cum quarto caſu quoque jungitur infra,

----- quam multa leo cunctatus in alta
Strage virûm.

libro II.

Adclinem ſcopulo inveniunt, miſerantque foventque
Alternos aegro cunctantem poplite greſſus.

libro IV. verſ. 37. ut ex conjectura reſtituo,

----- multa morantem
Cunctantemque preces, inclusaque pectore verba.

Plura de hoc verbo obſervavi ad Claudianum lib. II. in Stiliconem. 284.

Verſ. 157. *Validis fixam gerit unguibus hydram.*] Sic Carrion ex ſuis membranis, at longe nervoſius quod ante legebatur, *fixam erigit.* Idem ſenſiſſe politiſſimum Gronovium video cap. XLI. Diatribes ad Sylvas Statianas. Cum tamen in Vaticano primo *vegit* exaratum ſit, a Valerii manu fuiſſe poſſis opinari,

----- validis fixam vehit unguibus hydram.

in aliis duobus Vaticanis *Ergit* a manu prima, ſed correctum *rapit.* *Ergit* etiam in Oxonienſi. in Veneta editione Vaticanae Bibliothecae a docta manu caſtigatum *Egerit.* non probo. *Erigit*, in altum tollit, quam ſcripturam Baptiſta Pius quoque exhibet, ac praeterea monet eſſe, qui legant *eripit*, *gerit*, *vehit*, ſimiliaque. poſſes &

Advehit: & validis fixam ingerit unguibus agnam.

lib. III. verſ 69.

Humeroque Learchum
Advehit.

Verſ. 160. & *Aegei*] malim, at.

Verſ. 166. *Aut Canthus & Idas Tyndareuſque puer*] *Candidus Idas* in primo Vaticano. mendoſe. deinde ſcribe *Tyndareoſque puer.* pro *Tyndarei.* ſic *Cretheos* & *Euryſtheos* caſu ſecundo, ſupra. niſi mavis *Tyndariuſque puer*, Τυνδάρειος. infra 570.

---- fra-

----- *fratreſque petivit.*

Tyndarios.

Tyndareus tertiam ſyllabam producit. Vide ad Ovidii Ep. VIII. verſ. 31.

Verſ. 169. *Pelagus.*] ita ſcripti. non, *Pelagum.*

Verſ. 173. *Quas referam.*] *Quam* optime Carrionis liber. quod ille non intellexit. Sed elegantiam ejus vocis deprehendit Zinzerlingus. *quam* pro *quantum.* neque aliter Oxonienſis codex. ſic libro II. 564.

----- *quam parta tuis jam gloria rebus!*

ubi *parva* perperam legebatur. plura ad Claudianum diximus lib. I. in Eutrop. verſ. 65. & ad lib. VIII. Metamorphoſeon Naſonis verſ. 64. confirmat quartus Vaticanus hanc ſcripturam quoque.

Verſ. 178. *Fraternae ſi des accedere famae.*] Ita Carrion. Incertum an ex ſuis membranis. Scripti noſtri cum vulgatis, *ſedeatque adcreſcere.* & ſane τὸ *adcreſcere* non mutandum temere. Codex Baptiſtae Pii,

----- *fraternae evenietque adcreſcere famae.*

in alio ejuſdem,

----- *fraternae liceatque haereſcere famae.*

eveniatque adcreſcere primus Vaticanus, ſed a correctrice manu. quartus, *ſede adoreſure.* tertius, *ſedeque adcreſcere.* Oxonienſis, *ſede adcreſcere.* Scribo, *ſi des adcreſcere.* hoc eſt *addi.* Plinius ſecundus lib. II. Ep. VIII. *Nam veteribus negotiis nova adcreſcunt.* Sic vetuſtiſſimus codex Mediceus. male nonnullae editiones, *in veteribus negotiis.* Avienus fab. XXVII.

Nam brevis inmerſis adcreſcens unda lapillis,
Potandi facilem praebuit unda viam.

eleganter. quo plus enim in urnam lapillorum conjicitur, eo magis adcreſcit aqua & attollitur. Tacit. I. Annal. 19. *adgerebatur nihilominus ceſpes, jamque pectori adcreverat.* Paulinus libro VI. de vita B. Martini.

--- *Chri-*

----- *Chriſtus*

Quae dedit, & ſancti titulis adcreſcere juſſit.

Paulinus ſcriptor terſus & Latinus nono natali Felicis,

Nec mirere ſacras ſpatiis adcreſcere caulas:
Creſcit ubique potens aeterni gloria Chriſti.

hoc eſt cellas adcedere porticibus: apud Horatium arte Poetica,

Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur Jämbus.
Pes citus: unde etiam trimetris adcreſcere juſſit
Nomen Jambeis.

accedere ex gloſſemate videtur enatum. in Aldino codice *liceatque adcreſcere.*

Verſ. 190. *Thetidique juvencum*] *juvencam* probo Carrionis liber, & Aldus, cum Turnebo.

Verſ. 198. *Nec nunc mihi jungere montes Mens tamen.*] Ita ſcripti conſtanter. Gryphius & Colinaeus expreſſere *mens tumet.* quomodo & Baptiſta Pius ex conjectura curavit edendum. eleganter, ſi veterum librorum auctoritate niteretur ea ſcriptura. infra libro II. v. 103. pari modo caſtigavimus,

----- *neque enim alma videri*
Jam tumet.

ubi plura dicemus.

Verſ. 206. *Ignis & adſcendit.*) Perperam Andreas Schottus *accendit. adſcendit* adſtruunt ſatis ac ſuper praecedentia, *protulit ut crinem ignis.* in mortem Druſi v. 256.

AEthera ſubjectis lambit & aſtra comis.

Forte tamen *eſcendit.* nam quartus Vaticanus *aeſcendit.* de quo verbo ad Maronem Aen. IX. v. 37.

Verſ. 207. *Ecce ſacer totuſque Dei.*] Vir Celeberrimus Johannes Meurſius in Exercitationibus Criticis, *Ecce ſacerdos uſque Dei.* quod merito explodit in Adverſariis Caſpar Barthius libro XXVI. cap. III. Scriptor antiquus de Baptiſmo Baebiani inter Poetas Chriſtianos a Georgio Fabricio editus,

Ille Dei jam totus ad haec: ſatis hoc mihi donum

Quo

Quo potior. nunc mors lucrum mihi, vitaque Chriſtus.

Verſ. 209. *vox reddita tandem Vox horrenda viris.*] Scribendum, *vix reddita tandem.* quamquam obnitentibus membranis.

Verſ. 211. *Noſtris modo concitus auſis.*] Maluerim, *conſcius.* quod Maſerianam occupare editionem video. *concitos* in primo Vaticano. *magni ſibi conſcius auſi* Maroni reddidimus, & Senecae. *conſcius* enim tam cum tertio, quam ſecundo caſu jungitur, ut pluribus exemplis ad Naſonem libro Met. VI. v. 588. adſtruximus curis ſecundis, quae videantur. *conſcius auſis*: ut libro II.

----- *ipſam ſed conſcius auſis*

Nocte dieque pavor, fraudataque turbat Erinnys.

libro IV. de Polluce,

Territus ipſe etiam, atque ingentis conſcius auſi.

Cymaeae conſcia vatis Cortina initio operis.

----- *Servati genitoris conſcia ſacra.* libro II.

libro III.

----- *haerit lentis nox conſcia bigis.*

libro IV.

----- *antra deprenſae conſcia culpae.*

atque ita porro.

Verſ. 214. *ſic amplexus, ſic pectora fratris Juno tene.*] *Amplexu* corrigendum. etſi aliter codices.

Verſ. 219. *Unde urna.*] Lege,

Unde urnam humeris, niveoſque per artes,
Caeruleas veſtes.

infra lib II. 355.

Aut unde Haemoniae molem rates.

Vide ad Naſonem Ep. XII. v. 84.

Verſ. 226. *Cerno thalamos ardere jugales.*] *Cerno & thalamos*, ſcripti. ſed rectius codex Aldinus, *cerno en thalamos.* ſic & infra caſtigavi verſ. 342.

----- *video en noſtro tot in aequore reges*,

ubi, *ut dent* ante legebatur.

Verſ. 227. *Jamdudum vates Minyas*] τὸ *vates* abeſt a ſcriptis noſtris, excepto Regio. recte Car-

rion

Digitized by Google

rion ex ſuo codice, *Jamdudum longa Minyas ambage.* poſſet & caſtigari,

Jamdudum hac vates Minyas ambage ducemque
Terrificat.

Verſ. 229. *Non pallore viris*] Ita ſcripti conſtanter. ſed recte Colinaeus & Gryphius ex Sabellici, ni fallor, caſtigatione, *pallore oris.* quomodo & Baptiſta Pius emendabat.

Verſ. 231. *Cui genitor tribuit monitu*] Bene Celeberrimus Graevius, in epiſtola ad me ſcripta, corrigit,

Cui genitor tribuit monitus prognoſcere divum.
Omina, ſeu flammae, ſeu lubrica cominus exſta.

Verſ. 233. *aëra pennis.*] *pinnis* pri Vatic. quod editiones nonnullas occupavit. & ſic haud raro hoc vocabulum in vetuſtis exemplaribus exaratum occurrit.

Verſ. 236. *Sed quae ratis omnia vincet*] *Vincat* malo. tota enim vaticinii hujus ratio, tamquam de re praeſenti, agit de futuris. *omina* etiam pr. Vaticanus. ſed & ſuperiora male diſtinguebatur,

----- *praeduri prima laboris*
Cerno equidem.

omina tamen cum praeceſſerint paulo ante, hic inportune repetuntur.

Verſ. 242. *O ſocii quandoque datur*] Ita bene Carrionis codex. noſtri omnes cum vulgatis, *quantiſque datur.* Poſſet tamen *tantiſque datur.* pro, *animos afferte* etiam *efferte* praetulerim. *efferte animos* apud Ciceronem non ſemel occurrit. *attollere dictis animos* infra. 336. ſequenti verſu *Theſſalici inpietas tyranni,* non *pietas*, liber Aldinus, cum Baptiſta Pio. male. *pietas culpanda*, pro *inpietate* ponitur.

Verſ. 251. *Educite noctem*] Aliud verbum a manu prima in veterrimo Vaticano fuerat. ſed proba haec ſcriptura. pro *venientem litore*, malo etiam, *venientem in litore.* mox, *funguntur in alga*, non *fun-*

ſunduntur, primus, tertius, & quartus Vaticani. ut *dapibus* vel *epulis* ſubintelligatur. ſic *fungi alliato* pro veſci, apud Plautum; apud Naſonem libro II. Faſt.

Sic epulis functi, ſic dant ſuo corpora ſomno.

Et alibi, *Functus erat dapibus.* vulgata nihilominus ſcriptura huic loco adpoſita & conveniens. mox v. 295. *quibus ordine fuſis.*

Verſ. 253. *Exta miniſtri.*] Miniſtros Argonautis adfuiſſe nuſquam legas; nam quod infra v. 689. miniſtros habet, ipſos Argonautas ſic vocat, reſpectu Tiphyos, qui ratis erat magiſter. Suſpicor eam vocem conflatam ex τῷ *caniſtris* proxime ſequenti, nimirum hic error conmiſſus idem, qui ſaepe, ut una ſyllaba omiſſa magnas turbas dederit. Exaratum primo fuerat *extalignis*, ex quo cum ſemidocti ſe non expedirent, miniſtrorum, ſi Dis placet, opem inploravere. *exta lignis* igitur, pro *exta ſalignis.* omnia igitur ſe bene habebunt, ſi verſu ſequenti pro *dedêre* reponas *edêre.*

----- *exta ſalignis*

Rapta ſimul verubus, Cereremque edêre caniſtris.

edere Cererem raptam ex caniſtris. Naſo Faſt. II.

----- *verubus tranſuta ſalignis Exta.*

poſſis & *Colurnis verubus*, idque ad imitationem Maronis.

Verſ. 256. *oſtentarat Achillem*] *Achillen* primus Vaticanus veterrimus. de quo ad Naſonis amores. deinde *oſtenderet* idem. *oſtendebat* ex ſuo codice Carrion. mihi placet *oſtentabat.*

Verſ. 258. *ingenti tendentem brachia paſſu*] Nota *paſſum* tam de brachiis dici, quam de pedibus. *pandere brachia* obvium apud Poetas. apud Statium equo Domitiani habes, *laterum paſſus.* Germanicus Arateis de Andromeda,

Sed poenae facies remanet, diſtractaque pandit
Brachia.

ſi *paſſus* hoc loco ad pedes referri mavis, per me licet.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 265. *Placido ſi currere fluctu Pelea vultis, ait.*] *Placito fluctu* Aldinus liber. recte. *vobis placito fluctu.* ſic libro II. de Jaſone,

---- *placitoſque Deis ne deſerat actus.*

Initio libri tertii quoque ſcribendum videtur, *Tiphyn placita alta vocabant.* libro III. v. 415. *placita coepta*: libro II. 509. *placita pugna.* hoc ipſo libro v. 793.

Da placitae mihi ſedis iter.

Et v. 72.

---- *placitas dimiſerat ancora terras.*

ubi pari modo peccatur. De ſolemni hoc errore plura ad Naſonem Epiſtola Herus, 265. perperam poſterior Carrionis, aliaeque editiones, *ſic currere.* Nec video, quid ſibi velit Baptiſta Pius, dum corrigit,

---- *placidos ſi quaerere fluctus*
Pelea vultis.

ſaltem, *placidos currere fluctus* dediſſet.

Verſ. 271. *Omnibus inde viae calor additus.*] *Omnibus inde magis* Carrion ex ſuis membranis. quomodo noſter alibi non ſemel. *inde me* pr. Vaticanus.

Verſ. 272. *Phryxi promittitur abſens Vellus.*] Opinor, *ardens* a manu Valerii eſſe. infra Aeſon de Jaſone,

---- *quando humeros ardentem vellere rapto*
Adſpiciam?

libro v.

---- *at vellera Martis in umbra*
Liquerat ardenti quercum conplexa metallo.

& libro VI. *Phryxei velleris ardor.* Libro v. 140.

---- *Inſignis quo balteus arſerit auro.*

de murice libro VI. v. 520. ubi plura ad rem. *abſens* tamen defendi poteſt. de quo nos ad Silium lib. IV. 337. forte, *jam promitur abſens.*

Verſ. 275. *Totum Minyis laetantibus undae Diducere diem*] *Deduxere* priſcae editiones. quod placet. diem

diem ſub undas raptum eſſe deſignat. pro *ſparguntur* forte *merguntur* legendum.

Verſ. 279. *ut injuſtas*] & codices ſcripti. mox, pro, *ſeptem Aurora vias.* in ora Venetae editionis adſcriptum, *dies.* Puto *vices.* apud Naſonem Met. IV.

Dumque ibi quadrupedes coeleſtia pabula carpunt,
Noxque vicem peragit.

Aurorae noctiſque vices apud Claudianum Raptu Proſerpinae. noſter infra hoc libro,

Summe ſator, cui noſtra dies volventibus annis
Tot peragit reficitque vices.

Verſ. 283. *Adſtrictis ut ſedit cornibus Helle*] Forte, *ſubſidens.*

Verſ. 284. *Dirimique procul non aequore viſa Coeperat a gemina deſcendere Seſtos Abydo.*] Primo verſu opinor a Valerio relictum eſſe.

Dirimique procul nullo aequore viſa.

nimirum τὸ *nullo* ob cognationem praecedentis vocis *procul* erat omiſſum a feſtinante librario. Ita ſolet in ſimilibus freti anguſtiis, ſi curva ſint, quale eſt fretum, quod Siciliam dividit ab Italia, teſte Saluſtio in Hiſtoriis apud Servium. Juſtin. initio libri IV. *Siciliam ferunt anguſtis faucibus Italiae adhaeſiſſe, diremtamque velut a corpore majori, impetu ſuperi maris, quod toto undarum onere illuc vehitur.* Sic legendus ac diſtinguendus locus. *diremtam* habent Codicis Bongarſii; Vorſtius tuetur *direptam*; ſed *dereptam* tunc dicendum eſſet, de quo verbo ad Naſonem. Videtur praeterea ſcribendum *tota undarum mole illuc devehitur.* deinde lege *procul viſentibus*, non *videntibus*, e ſcriptis; & *ſublime ferri* non *in ſublime*, &c.. Deinde *diſcedere* verſu altero revocandum ex priſcis editionibus. Ita enim recte conjecit Sabellicus. Idque ipſum Aldina quoque exhibet editio. nec aliter agnoſcit Pius. in primo & quarto Vaticano *diſcendere.* ſic *terra*, ſic *coelum* dicitur *diſcedere*, quando dehiſcit

Digitized by Google

dehiſcit & diducitur. de quibus ad Faſtos Naſonis lib. III. v. 371. curis ſecundis. vide Nonium in *diſcedo*. Neque aliter tam hoc loco, quam infra libro IV. v. 645. caſtigabat noſter Graevius,

Diffugere, adverſoſque vident diſcedere montes.

initio libri II,

Jamque fretum ſummas aequatum Pelion ornos
Templaque Tiſaeae mergunt obliqua Dianae.
Jam Sciathos ſubſedit aquis, jam longa receſſit
Sepias. adtollit tondentes pabula campus
Magnes equos.

quod ex Apollonio hauſit, apud quem, ἔδυνε δὲ Σηπιὰς ἄκρη. libro II.

---- jam, quas praeviderat urbes,
Navita condebat

lib. IV. v. 636.

----- abſcedunt terris, & litora condunt.

lib. v. verſ. 766,

Teque cita penitus condunt Erythia carina.

Idem Juſtinus, ubi deſcribit fretum, quod Italiam dividit à Sicilia, adpoſite prorſus. *Ea eſt enim procul inſpicientibus natura loci, ut ſinum maris non tranſitum putes, quo cum acceſſeris, diſcedere ac ſejungi promontoria, quae antea juncta fuerant, arbitrere.* Paulo ante, *coeuntibus in ſe*, (lege *inter ſe*) *promontoriis, ac rurſus diſcedentibus.*

Verſ. 288. *feſſis longe petit humida palmis Vellera*] *invida* tertius & quartus Vaticanus. ſcribendum *uvida vellera*. ſic, *uvida veſtimenta* apud Horatium, & *veſtes uveſcere* Lucretio dictae. vox haec frequenter in τὸ *humida* degeneravit. de quo pluribus ad Naſonem Amorum lib. III. El. v.

Verſ. 289. *bibulas urgenti pondere veſtes*] *bibula ſurgenti* tres Vaticani. quartus *bibulas ſurgenti*. Aldus, *ſurgenti pondera veſtis*. opinor, *bibulas vergenti pondere veſtes*. id enim verbum cum pondere frequenter conjungunt veteres. ut in illo Maronis,

quo vergat pondere lethum. Claudianus lib. I. in Rufin:

---- cum pondere judex
Vergit, & in geminas nutat provincia lances.

Lucanus pari modo, VIII. 280.

Aſt ego curarum, proceres, arcana mearum
Expromam, mentiſque meae quo pondera vergant.

Appulejus de Deo Socratis, *quod ſi manifeſtum flagitat ratio, debere propria animalia etiam in aëre intelligi, ſupereſt, ut quae tandem & cujuſmodi ea ſint, diſſeramus. Igitur terrena nequaquam: devergunt enim pondere.*

Verſ. 293. *Extremaſque manus*] *Extentaſque* Aldus, unde Zinzerlingus *Exſtanteſque manus*. Sed cum ceteri codices nil varient, adquieſcendum receptae ſcripturae. Extremam partem manuum deſignat. mox malo *paſſoſque per aequora crines.*

Verſ. 298. *Pleni oculos*] *oculis* ex ſuo codice Carrion. fruſtra: quam ſcripturam ex noſtris ſolus Vaticanus quartus à manu prima confirmat. vulgatae ſcripturae ſubeſt elegans Graeciſmus.

Verſ. 303. *Chaoniique vides*] recte hoc loco hunc verſum collocat Carrionis liber. quod Aldinus confirmat. ſequenti verſu pro *Sylvis*, Regius *Lucis.*

Verſ. 306. *dumque aequore toto Currimus*] Gronovius Obſervationum libro II. cap. XI. & ad Scriptores Eccleſiaſticos, *tuto aequore*. noſter ſupra

---- inviſae Pelias freta tuta carinae.
Optet.

& lib. II.

---- ſuperabat ovante
Litora tuta gradu.

Vide infra l. V. verſ. 39. Fors tamen à Valerii manu ſit *aequore moto*: pro *incertus* perperam Pius *i certus* reponit. obnitentibus membranis.

Verſ. 310. *Minyas ſimul obtulit omnes*] ſcribo,

---- Minyis ſimul obtulit omne
Alma novo criſpans pelagus Trithonia Phoebo.
Diſcurrunt tranſtris.

Digitized by Google

In priſcis exemplaribus nihil erat nobis praeſidii hoc loco: opinor tamen veram lectionem à nobis eſſe indagatam. inſulſe Maſerius, *menſas ſimul abtulit omnes.* in vetuſtis codicibus pro *Minyas* frequenter *menſas* exaratur. ſic & ſupra v. 227. *minſas* & *menſas* habent membranae.

Verſ. 319. *Obruit Idaeam*] *Obruat* cum Carrionis libro & primo Vaticano.

Verſ. 326. *miſerere parentum, Mors bona*] male haec diſtinguebantur, quod & Zinzerlingus vidit.

Verſ. 331. *Deficiam, metuens Scythicum pontumque polumque.*] Locum perplexiſſimum ex ſuis membranis optime ſic reſtituit Carrion. Aldus, *pontum Boreamque.* Baptiſta Pius, *pontum Cretamque.* Maſerius *pontumque cytamque.* Sed *Cytaea*, non *Cyta* dicitur urbs Colchidis. Stephano Byzantino Κυταία, πόλις κολχικὴ πατρὶς Μηδείας. ἔστι καὶ ἄλλη Σκυθίας. ὁ πολίτης Κυταῖος. Alii alia commenti ſunt ſuper hoc loco Pro *Deficiam* duo Vaticani *Defigimus.* Pomp. Sabinus ad Virgilium *Deficiens*; prior Vaticanus *Deficiamus ſcythicum*, puto, *Deficiar.* ſic loquebantur optimo avo. adeantur, quae annotamus ad Epiſtolam Oenones Naſonianae ſub finem, ubi plura exempla congeſſi hujus verbi. Proxime praecedenti verſu recte Aldinus codex. *raucos ad litoris ictus*, quomodo & alii ſcribendum eſſe jam viderunt, non *paucos*. Infra v. 614. *raucoque ad litora tractu, Unanimi freta curva trahunt*, de ventis.

Verſ. 337. *Quantus erat, cum ſigniferum cratera minantem*] adſeruit hanc lectionem Gronovius noſter Obſervationum libro IV. cap. XVII. in primo Vaticano *ſigniferam Sinain* mendoſiſſime, quo & alii duo ejuſdem Bibliothecae adludunt, *ſigniferam ſin aut.* Carrionis liber, ut expreſſimus. Ceteri codices, tam editi, quam ſcripti, *ſignifero cratere*, quod & mihi mutare religio eſt, cum meminerim horum Maronianorum Georgicon ſecundo.

Digitized by Google

----- *ille ſurentes*
Centauros letho domuit; Rhaetumque Pholumque,
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.

Noſter lib. 5.

---- *Aeſoniden magno cratere laceſſit.*

pro *minantem* perperam codices nonnulli *niſantem*: nec felicius Baptiſta Pius *mimantem*: ad Pholum enim haec referenda. Lego etiam *Quantus eram*, idque tertius Vaticanus confirmat. infra

Qualis eram, nondum vinclis & carcere clauſus.

Verſ. 340. *Concuſſoque ratem gauderem tollere remo*] Turnebus in adverſariis, *pellere*, ſi quid mutandum ſit, legam *inpellere*, de quo ad Naſonem Metam. VIII. verſ. 103. ſed nihil mutandum, Lucanus lib. III.

Caeſaris hinc puppis, hinc Grajo remige claſſis
Tollitur.

Non diſſimiliter, lib. III noſter vers. 471. *aequora pectore tollere.*

Verſ. 342. *ut dent noſtro tot in aequore reges*] ſic Carrionis codex. Aldinus *videam ut*. aliae editiones *videam noſtro*, vel, *video*; quod poſtremum ex conjectura eſt Bapt. Pii. pr. Vaticanus *ut deque*, tertius & quartus, *ut de*, ſecundus *videam*. corrige *video en noſtro tot in aequore reges*. diximus ad Ovid. Met. VI. 690. ſic ſupra reſtituimus, v. 226. *cerno en thalamos ardere jugales* & infra v. 629.

---- *en quanto fremitu ſe ſuſtulit Aegon.*

Verſ. 344. *Atque ſequi, nunc ille dies det Jupiter oro Ille ſuper*] perplexa nonnihil haec ſunt, deinde cum tales ſe duxiſſe jam dixerit, vitioſe decreſcit oratio, ſubjungendo *atque ſequi.* hoc enim aut τῷ *ducere* praeponi debuit, aut omnino tolli. primus Vaticanus, *Adque ſequi.* quid ſi legas?

Detque ſequi nunc ille diem, det Jupiter oro,
Ille ſuper.

Super pro inſuper, praeterea. ut in illo Virgilii,

----- *& ſuper ipſi*

Dar-

Dardanidae inſenſi poenam cum ſanguine poſcunt.

Ille Jupiter Maronianum quoque eſt Aeneidos VIII. v. 110. ex optimis membranis,

---- ſic Jupiter ille monebat.

ubi plura ad rem adnotamus. eodem libro.

Haud pater ille velit ſummi regnator Olympi.

Fuit, cum corrigendum arbitrarer

Statque equidem nunc ille dies (det Jupiter oro)
Ille ſuper.

ut apud Silium libro II.

Statque dies auſis olim tam triſtibus ultor.

Verſ. 350. *Zephyrumque ratemque morantes Solverat amplexu*] alii *morantis*, ſed verum eſt, quod Gryphii & Colinaei editionem occupavit, *amplexus*. modo legas *morantes amplexus*. atque ita Aldinus codex.

Verſ. 353. *Hinc laevum Telamon pelagus tenet*] *laevo pelago* Oxonienſis liber, quomodo Gronovius ad Livium libro XXVII. cap. XVII. confirmant tertius & quartus Vaticani. in primo *laevom pelagus*.

Verſ. 355. *quem matre carentem Criſtatus gemino fovit pater amne Cometes*] *matre cadentem* Barthius ad illa Claudiani libro primo in Rufinum, *de matre cadentem Suſcepi*. *Criſtatus* eſt ex codice Carrionis. quod tamen mendoſum videtur. primus Vaticanus *Creſtus*. Forte *Tireſius*. nam *Crethaeus*, quod in vulgatis libris eſt, ferri non poteſt. ſed nec Maſerii conjecturam probo *Clenaeus* reponentis, a promontorio *Clenaeo*. nec probandum τὸ *Peneus* Baptiſtae Pii, qui non deeſſe affirmat corrigentes, *Caetaeus*. *Pireſius* cur videatur ſcribendum ex Apollonio & Orpheo liquebit. Apollonii locum noſter aemulatus eſt.

Ἤλυθε δ᾽ Ἀστερίων αὐτοχεδὸν, ὅν ῥα Κομήτης
Γείνατο δινήεντος ἐφ᾽ ὕδασιν Ἀπιδανοῖο
Πιρεσίας, ὄρεος φυλληΐου ἀγχόθι ναίων.
Ἔνθα μὲν Ἀπιδανός γε μέγας καὶ δῖος Ἐνιπεὺς

Digitized by Google

Ἄμφω συμφορέονται ἀπόπροθεν εἰς ἓν ἰόντες.
Nec abludunt illa Orphei.

Ἀστερίων δ' ἐπέρησε παῖς κλεινοῖο Κομήτου,
Πιρεσίην ὃς ἔναιεν ἐπ' Ἀπιδανοῖο ῥέεθροις
Πηνειὸς μίσγων ξυνὸν ῥόον εἰς ἅλα πέμπει.

Hyginus in catalogo Argonautarum: *Aſterion Pyremi filius, matre Antigona Pheretis filia, ex urbe Pelıne. Alii ajunt Triſci filium urbe Tireſia, quae eſt in radicibus Phyllaei montis, qui eſt in Theſſalia. quo loco duo flumina, Apidanus & Enipeus, ſeparatim projecta, in unum conveniunt.* quae ad verbum fere ex Apollonio tranſcripta, ſed unde deprompſerit Piremum Aſterionis patrem, haud ſcio. certe Apollodorus quoque filium hunc Cometae facit. Stephanus Byzantinus, Πειρασία, πόλις Μαγνησίας. τὸ ἐθνικὸν Πειρασιεὺς, ὡς Ὑδριεὺς καὶ Ὑσιεὺς. τὸ θηλυκὸν Πειρασίς. λέγεται καὶ Πειρέσιος. pro *Criſtatus*, quod eſt in Carrionis libro, *Priaſius* etiam reponi poſſit, literis tranſpoſitis: nam *e* & *i* facillime confunduntur in vetuſtis quidem Valerii exemplaribus paſſim; ſic ſupra *ut dent*, pro *video en*, & alias ſaepe. *Piraſia* & *Tireſia* dixere veteres promiſcue. *Creſtus*, pro *Preſius*, vel *Pireſius*, veterrimum Codicem Vaticanum, uti jam dixi, occupavit, quae mutatio non eſt nimium audax. Norunt quippe illi, qui priſca exemplaria trivere, primas literas uniuſcujuſque verſus frequenter depravatas eſſe, quod minio deſcribi ſolerent, ac facile extererentur. Atque haec hactenus. ſi quis τὸ *Criſtatus* tuetur mordicus, ita dictum capiat, quomodo apud Maronem *Criſtatus Achilles.* pro *fovit* etiam legendum puto *lavit*.

Verſ. 360. *Idmon.*] ita editi omnes. filius Apollinis & Cyrenes Nymphae filius (quidam Abantis dicunt) Argivus. Idas infra. verſ. 461.

Verſ. 362. *Hic & Naubulides tortas inſurgit in undas*] *conſurgit* pr. ſec. & quartus Vaticani cum Regio. bene. *Naubolides* etiam, quod perperam

ex

ex ſuo codice mutavit Carrion: nam a Ναῦβϋλος *Naubulus*, ut a Ναυβολὸς *Naubolus*. *conſurgit*, ut infra

Quin etiam Herculeo conſurgit ab ordine Tydeus.

Verſ. 368. *Nec potuit ſimiles, voluitve ediſcere vultus*] *valuitve* Regius; ſed fruſtra. Claudianus in re ſimili,

----- *juvat ipſe Tonantem*
Error, & ambigua placet ignorantia matri.

de Caſtore & Polluce.

Verſ. 371. *Caphareu*] *Capherеû* prim. & quartus Vaticani. quomodo & in Naſonianis membranis frequenter ſcriptum obſervavi.

Verſ. 375. *Amphitryoniaden Tegeaeo limine Cepheus Juvit,*] *Fovit* Bulaeus, ſed male. apud Naſonem Met. XI. *petit urbe vel agro Se juvet.* male *limite* Columbus. v. ad Ovid. Ep. 11. 55.

Verſ. 376. *at frater plenior annis Maluit Ancaeos*] *plenior actis* ſcripti vetuſtiores, & *Ancaeo*, quod Turnebo venerat in mentem, Lycurgus frater natû maximus Amphidamantis & Cephei domi manſit, ut parentis ſui Alei, ſenio confecti, curam haberet, miſſo in expeditionem filio ſuo Ancaeo. rem docet Apollonius lib. 1. verſ. 161. & ſequentibus. *Plenior annis* tuetur Schottus Obſervat. libro 11. cap. 39. & 54.

Verſ. 383. *Hic vates*] malo, *Hinc*.

Verſ. 385. *Palla imos ferit alba pedes*] perperam Carrionis liber *Palla una*. ſed nec *terit* refingendum. Propertius pari modo.

Verſ. 389. *Et levis Elis equis*] durius paullo videntur tria nomina in *is* deſinentia conjungi. prim. Vatic. *Felevis Elis equis*. locus corruptus.

Verſ. 393. *moture ſagittas*] *morture* prim. Vaticanus. an *torture*? libro tamen IV. 609. *movere haſtam.* *mota pater incitat haſta*. Silius lib. II.

Conceptos arcus moeſta ter movit ab ira.

forte *lature*; vel *meriture ſagittas*.

Verſ. 379. *caſuſque tuos expreſſa*] eleganter, pro *exprimentibus* v. inf. verſ. 491.

Verſ. 398. *Inſequeris*] praeſtiterit *hinc ſequeris.*

Verſ. 400. *Ter quater*] ita bene Sabellius & Egnatius. male revocant ex ſcriptis codicibus *Te quater.* Naſo *Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.* Praecedenti verſu cur *arbore vacua* dixerit haud ſcio; ni fallor ſcripſerat Valerius. *patula nam lapſus ab arbore.* Sic *patula fagus* apud Maronem initio Bucolicôn. Naſo Metamorphoſeon primo,

Et quae deciderant patula Jovis arbore glandes.

Paullinus nono natali Felicis:

Nam patulos platanus ramos expandit in umbras.

Silius Italicus libro x.

Par juxta quercum longum molita per aevum
Vertice canenti proferre ſub aſtra cacumen,
Diffuſas patulo laxabat ſtipite frondes.

A. Gellius Noct. Atticar. libro xv. cap. xvi. de Milone Crotoniata: *Quercum vidit proxime viam, patulis in parte media ramis hiantem:* pro *ardenti tergo*, etiam forte melius *gyro.*

Verſ. 402. *Tunc coelata*] lege *tum*, id eſt praeterea, & ſic Carrionis liber.

Verſ. 405. *tantum haec altis excelſior haſtis*] videtur ſcribendum *tanto haec aliis excelſior haſtis.* *aliis* certe Regius & Aldinus Codex, ut apud Maronem in bucolicis

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes.

Malum etiam *ac prora*, quam *at.*

Verſ. 411. *Et quem fama genus non eſt decepta Lyaei Thlias*] Locum pro corrupto Alardus habet corrigitque, *Et cui fama genus non ſunt decepta Lyaei* Infeliciter. Nec capio quid velit. Fama non eſt decepta, nec falſo jactavit hunc Bacchi genus eſſe. *τὸ eſſe* ſubintelligi debet, quod Alardum decepit: pro *Thlias* in ſcriptis *Telias*; lege *Phleias* triſyllabum. Sic *Plias* diſſyllabum, triſyllabum *Pleias.*

Pleias. φλεῖας Graecis eſt. & ita quoque lib. III. 149. idem nomen caſtigandum.

Verſ. 420. *Taurea vulnifico portat caelataque plumbo Terga*] ſic ex veteri libro Carrion. *celer inſita* vetus editio Veneta, probante Maſerio; neque aliter codex Regius. Prim. Vaticanus *celera plumbo*, ſecundus *portat aerea plumbo. praeſutaque* legebam aliquando ex illis Maronianis verſ. 404.

——— tantorum ingentia ſeptem
Terga boûm plumbo inſuto ferroque rigebant.

& Ovid. Met. XI. *Haſta foliis praeſuta*
nunc praetulerim *velataque plumbo*, vel *caelataque*, vel *vallataque.*

Verſ. 424. *Theſſalico freno*] *Theſſalio* primus & ſecundus Vaticanus Regiuſque Codex, cum Florentina Juntarum editione.

Verſ. 431. *Et volat*] lege *Evolat.*

Verſ. 440. *qui reddit Echion*] *qui reddis* praeſtat.

Verſ. 442. *Heu celerem!*] malo *Heu celebrem!* vel *Heu ſcelus!* *in Scythica.* ſequenti verſu etiam *ſuo ordine.*

Verſ. 449. *Perderet & pingui miſeros Baebeide crines*] vir Eruditus in Venetae editionis ora emendarat, *ſpargeret.* Sed cum in primo Vaticano, aliiſque duobus, & Oxonienſi ſit, *Penderet*, forte ſcribendum

Pecteret & pingui merſos Baebeide crines.

vel *Tergeret.* Locus non diſſimilis apud Tibullum lib. II. Eleg. III.

Saepe horrere ſacros doluit Latona capillos,
Quos & mirata eſt ipſa noverca prius.
Quiſquis inornatumque caput crineſque ſolutos
Adſpiceret, Phoebi quaereret ille comam.

Caeterum *Baebeidem* locum cum Titareſſo Theſſaliae fluvio videtur confudiſſe Valerius. Titareſſus

enim pinguiſſimus. de Baebeide nil tale videor legiſſe.

Verſ. 452. *at interea clari decus adjacet orbis Quem genitor geſtabat Abas*] Lege *in terra adjacet orbis*. adjacebat Cantho proſtrato in terram clypeus. ſimile mendum inſedit codices Dracontis Hexaemer. 62.

Eſt locus in terra diffundens quatuor amnes.

uti *interea* vulgo legitur male: agit enim de Paradiſo. de Argolico Abantis clypeo, qui in proverbium abiit, diximus nonnulla ad Naſonem libro xv. Metam. verſ. 164. quae nunc non iteramus. Ἄξιος εἶ τῆς ἐν Ἄργει ἀσπίδος, quod adagium de Abantis clypeo intelligendum eſſe illic monuimus. nota illa Maronis.

Aere cavo clypeum magni geſtamen Abantis
Poſtibus adverſis figo.

malo etiam *geſtarat Abas*, quam *geſtabat*.

Verſ. 454. *Euripus*] in Regio *Euripos*.

Verſ. 458. *Ante urbem ardentis*] *ardentes relliquias* concinnius.

Verſ. 462. *Lynceus ſervatus in uſus*] *ſervatur* rectius in Aldino codice & Carrionis libro.

Verſ. 463. *poſſit qui rumpere terras*] *inrumpere* puto; niſi *rumpere* pro *inrumpere* ponitur. certe libro III. pro *erumpere* occurrit.

Verſ. 467. *ſolus tranſibit nubila Lynceus*] forte *ſolitus* ut libro III. *ſoliti rediere Pelaſgi.*

Verſ. 478. *Sors tibi, ne qua*] leve mendum eſt, ſed quod turbet orationis elegantiam. ſcribe *fors tibi ne qua. fors* pro *forte.* ut libro III. 665.

——— nova Tanario, fors, ſemine monſtra
Atque iterum Inachiis jam nuncius urguet ab Argis

lib. IV.

Fors etiam optatam dabitur contingere pellem.

lib. VII. 129. ut illic etiam ſcribendum monui,

Pergis, ait, demens? teque illius angit imago
Curaque, qui profuga fors jam tenet alta carina.

nam

nam *forſan tenet* minus concinne nunc illic circumfertur. Horatius Ode XXVIII. libro I.

——— *fors &*
Debita jura, viceſque ſuperbae
Te maneant ipſum.

ita vetuſti illic codices, Propertius lib. II. El. IX.

——— *ſed fors & in hora*
Hoc ipſo ejecto, carior alter erit.

ubi nolim magnus Scaliger reponeret *fors ſit.* Vide Paſſeratium pag. 280. Virgilius lib. XI. *Fors & vota facit.* Statius Coma Earini.

——— *fors & de puppe timenda*
Transferet; inque ſua ducet ſuper aequora concha.

Epicedio in patrem.

Fors & magniloquo non poſthabuiſſet Homero.

& haec pluribus fortaſſe, quam par erat.

Verſ. 479. *fiſsaque fluctu*] *feſsaque luctu* primus Vaticanus ceterique cum Carrionis libro. Alii *fixaque*; ſed *fiſſaque* non videtur mutandum. Prudentius περὶ Στεφαν. Hymno S. Hippolyti

En tibi, quos properes rimoſae inponere cymbae,
Pellere, & in medii magna profunda freti.
Quos ubi ſuſceptos rapidum male ſuta per aequor
Vexerit, & tumidis fiſſa labarit aquis;
Diſſociata putrem laxent tabulata carinam.

ſic ſcribo. vulgati *celſa labarit* vel *caeſa.* poſſit *feſſa* etiam vel *quaſsa* reponi. *fiſsus tenui rima paries* apud Naſonem Metam. IV. & *fiſſilis obba*, non bene obſtructa apud Perſium Sat. V.

——— *Vejentanumque libellum*
Exhalet vapida laeſum pice fiſſilis obba.

ita in optimis membranis Bibliothecae Leidenſis inveni, ſatis adpoſite, etſi *ſeſſilem obbam* illic non damno.

Verſ. 480. *concludere vulnera cera*] Scripti codices *conducere.* probe; quod Carrion non intellexit; atqui nihil elegantius, aut magis proprie poterat dici. ut & Zinzerlingus eſt ſubodoratus.

Digitized by Google

Nos ad Naſonem libro IV. Metam. verſ. 375. nonnihil diximus. Solinus capite XXXII. *Coeno deinde plagam oblinit: uſque dum vulnus conducatur in cicraticem.* contra *diducere oras vulneris* apud Celſum alioſque medicos non raro. D. Paullinus natali ſeptimo Felicis

Dum timet adverſo vulnus diducere motu.

ducere cicatricem familiare Naſoni aliiſque. *ducere vulnus* pro *conducere.* apud Statium Achilleidos ſub finem,

Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera ducat.

ita enim omnino nobis relictum eſſe ab ipſo Statio opinor. cum *vulnera claudat* nunc circumferatur. ſupra 307. *nubila ducere* habuimus, *ducere rugas* ſimiliaque paſſim obvia apud ſcriptores, pro *conducere, contrahere.*

Verſ. 485. *Ductor avens laetuſque dolis adgnoſcit Acaſtum*] *ovans* denuo ſcribendum videtur, uti ſupra ad verſ. 100. monuimus. pro *laetuſque dolis adgnoſcit*, fors etiam relictum a Valerio. *laetuſque doli cognoſcit*; ſic enim amat, ut pluribus dicemus libro VI. verſ. 266.

486. *Horrentem jaculis*] *in jaculis* ab ipſo ſcriptore eſſe nullus dubito. reſpexit videlicet, ut paſſim alias, Maronem ſuum

Horridus in jaculis & pelle Libyſtidis urſae.

noſter infra, *trifida Neptunus in haſta*, libro V. *Campeſus in ſpoliis hic tigridis* ibidem,

---- Ibat & in vittis.

Verſ. 487. *Ille.*] forte *inde.*

Verſ. 491. *teneras conplexus pectore tigres*] *conpreſſus* in Carrionis libro, & noſtris, excepto primo Vaticano. Elegans Graeciſmus, nec intellectus Carrioni. ſic ſupra 397.

Inſequeris, caſuſque tuos expreſſa, Phalere
Arma geris.

Et

Tum coelata metus alios gerit arma Eribotes

libro II. ſub finem, *Pocula*

Digitized by Google

Pocula bellorum caſus expreſſa recentum

Tacitus Hiſtor. III. c. 74. *modicum ſacellum Jovi Conſervatori aramque poſuit, caſus ſuos in marmore expreſſum.* Sic MSS. quo ſum uſus; vulgo *caſuſque ſuos in marmore expreſſit.* plenus horum Graeciſmorum noſter.

Verſ. 493. *in adverſo Amano*] male *averſo* Aldus. Statius Theb. IV. initio

——— *liquido quae ſtridula coelo*
Fugit, & adverſae celſo ſtetit aggere Dirces.

497. *Inmenſuſque ratem ſpectantibus abſtulit aër*] *Inmenſamque* tres ſcripti an *Inmerſamque*? V. ad. Claud. I. in Eutr. 13.

Verſ. 500. *laetatur*] malo *laetatus.*

Verſ. 501. *venturaque mundo Tempora, quaeque vias cernunt ſibi creſcere Parcae*] locus difficilis & corruptus, ni fallor. an *ventura profundo Tempora?* an *venturaque ponto Tempora?* ſic *aequora mundi*, pro *ponti* legitur male in Sylvis Statianis, Propemptico Metii Celeris,

Cui varii flatus, omniſque per aequora ponti
Spiritus, ac hyemes nimboſaque nubila parent.

Aequora ponti paſſim apud Lucretium occurrunt. Sed *ventura profundo Tempora* verius eſt. *vias* autem dixit ut Propert. III. 7.

Fortunae miſeras auximus arte vias.

Verſ. 507. *nutuque ſecundo It ratis.*] ſic & libri. malim nihilominus, *flatuque ſecundo.* undis & flatu ſecundis Naſo Metam. XIII.

Jamque viam ſuadet Boreas, flatuque ſecundo
Carbaſa tenſa ſonant.

libro XIV.

——— *flatuque ſecundo*
Lucibus iſſe novem.

Silius Italicus lib. VII.

Ecce autem flatu claſſis Phoeniſſa ſecundo
Littora Cajetae Laeſtrygonioſque receſſus
Sulcabat roſtris.

Digitized by Google

paullo ante. *fundit Sol pectore voces*, cum ſcriptis praeſtat ac nonnullis editis, quam *fudit*. mox pro *eſt* placet &c. *an meritos fas & mihi rumpere quaeſtus?* ut libro VI.

Fas mihi non ſtabiles, fas & tibi linquere Colchos.

Verſ. 513. *ſtrictoſque in ſedibus amnes*] aut excidit poſt hunc verſum nonnihil, aut legendum minima mutatione *inſedimus*, quod & Zinzerlingo in mentem video veniſſe. libro II. 176.

——— *Sarmaticas utinam, Fortuna, dediſſes*
Inſediſſe domos!

Verſ. 515. *ſed nube rigens ac neſcia regum*] imo *neſcia rerum*, quaſi extra mundum ac rerum naturam collocata. idque ex Aldino codice jam amplexus eſt Zinzerlingus. infra 725. *regumque aſperrima verſat*, pro *rerum* in membranis noſtris omnibus. infra v. 771. *rerum rudis altera proles.*

Verſ. 517. *amnibus illis*] qui amnes? nullos certe nominavit. quare poſtliminio revocanda vetus ſcriptura, quam Carrion inmeritam juſſit exſulare, *amnibus ullis*. vidit hoc quoque Zinzerlingus

Verſ. 518. *adverſis gentibus*] *averſis* ſcribendum cum Barthio & Bulaeo, id eſt remotis, quod pro diverſa ſcriptura lectori etiam propoſuit Baptiſta Pius.

Verſ. 519. *Quid Minyae meruere queri?*] primus & quartus Vaticani cum Oxonienſi *Quod Minyae*. ſcribe, *Quo Minyae meruere queri?* pro quare. apud Naſonem Epiſtola XIV.

Quo meruere necem patruelia regna tenendo?

ita illic optimae membranae. *quod* pro *quo* frequenter ſcribi in veterrimis poëtarum membranis ad eundem Naſonem me monuiſſe probe recordor.

Verſ. 520. *quin agmina jungere Phryxo Adnuit*] imo *Abnuit*; recuſavit Phrixum vi armata in regnum reſtituere. neque aliter ante Carrionem legebatur,

Digitized by Google

gebatur, in Aldi, Colinaei, Gryphii editis codicibus. qui mox pro *Graja ſtirpe* perperam quoque ex ſuo codice *grata ſtirpe* in editionem poſteriorem admiſit. cur non & paullo ante verſ. 507. ubi ſcripti codices

Grataque nunc undis duce te nutuque ſecundo
It ratis.

infra *Grajam Juventutem* habes verſ. 599. ſed & apud Naſonem *gratus* pro *Grajus* multis locis inrepſerat, ut illic pluribus eſt dictum.

Verſ. 521. *ultro nec venit ad aras*] *ultor* cum Zinzerlingo. ne dubita. Non venit ulturus ſe ac Germanam Hellen, quos ambos Ino noverca victimas piaculares arae mactandos admoverat. Et hoc & τὸ *abnuit*, quod paullo ante praeceſſerat, Graevio etiam noſtro venerat in mentem, ut is ipſe per literas mihi ſignificavit.

Verſ. 524. *Et generos vocat &c*] Zinzerlingus cum Aldo male,

Grajorumque vocat junctas ſibi ſanguine terras.

ſed obnituntur reliqui codices mira conſtantia. Baptiſta Pius, *Et generis vocat.* ſcilicet *ſui*, cum non ſit veriſimile Aeëtam natis ex filia alias in matrimonium natas junxiſſe.

Verſ. 529. *tentataque contra Pallas, & amborum gemuit Saturnia quaeſtus*] τὸ *tentata contra* quid ſibi velit haud video. ſed nec quare gemuiſſe Juno dicatur queſtus Solis & Martis, cum a partibus adverſis ſtaret, ac Jaſoni faveret aeque ac Pallas: nam τὸ *gemere* condolentis eſt & miſerantis. quid ſi legamus?

——— *laetataque contra*
Pallas, & amborum renuit Saturnia queſtus.

hoc eſt, improbavit, & eſt plane contrarium τῷ *adnuit.* Martem Solis queſtibus adfremuiſſe modo dixerat tanquam adſentientem: nunc renuiſſe iisdem, quaſi non probantes, Minervam & Junonem addit. τὸ *renuere* cum quarto caſu interdum con-

conjungi multis exemplis ad Naſonem demonſtravimus, Metamorph. IX. 506. recte autem *laetata Pallas*: Palladem enim infeſtam adverſamque Marti toto hoc opere paſſim inducit, cujus rei cauſam jam vidimus.

Verſ. 534. *juſtique facultas Haec mihi ut hinc*] Laurentius Balbus,

---- juſtique facultas
Hinc mihi cum varios ſtruerem per ſaecula reges.

ſatis concinne. nam in vetuſtis editionibus, *Hic mihi cur varios*, atque ita etiam ſcripti. niſi quod Oxonienſis, *Hic mihi cum*, proxime verum; quomodo & Baptiſta Pius. ſecundus Vaticanus, *Haec mihi cur*, quomodo & Maſerius. verſu proxime ſubſequenti Carrion perperam *utque ego*, pro, *atque*, ex ſuis membranis repoſuit. eſt enim uſus elegans τȣ̃ *atque*, ut ab aliis jam monitum. ſic Virgilius non ſemel. mox ſcripti duo priores Vaticani & Pii codex. *Et Tanaim tenus.* Maſerius ex Bononienſi editione *Tanai tenus*, & ſane, exemplum adhuc quaero, quod conjungat hanc vocem cum quarto caeſu. mox *diſcedit* malit Baptiſta Pius, quam *deſcendit.*

Verſ. 541. *ſic fata, locos, ſic ipſe fovebam*] diſtinctione ſubvenimus huic loco: libro IV.

Fata locoſque tibi (poſſum quas ſolvere grates)
Expediam.

praecedenti verſu *mares animos*, qui reponunt pro *pares*, vellem aliud egiſſent. *iras pares* mox habebis.

Verſ. 549. *veniet Phrygia nam paſtor ab Ida*] malo *veniet jam.* paullo ante Carrion ex ſuis membranis *propior de virgine rapta.* Noſtrae omnes cum libris editis, *propiorque ex virgine.* mallem.

---- Nec vellera tantum
Indignanda: manet proprior de virgine rapta
Ille dolor.

551. *Dona ferat*] *Damna* Carrion & Schottus. ſed infeliciter, & invitis membranis noſtris. notum

tum iſtud Maronianum Aeneid. x.

Deſine, jam venio moriturus, & haec tibi porto
Dona prius.

Vulgatam ſcripturam recte propugnavit Cl. Gronovius Obſervationum lib. 1. cap. xv. pro *quae claſſe*, Carrionis liber & noſtri omnes *qua claſſe*, quanta claſſe, & ſequor. mox *quos proceres* omnes noſtri cum vulgatis. at Carrionis codex, *quot proceres*.

Verſ. 552. *quot ad Trojam*] *ad Trojae* corrigit Baptiſta Pius; ſed inmerito.

Verſ. 554. *& magnis Aſiam concedere fatis*] *concidere* codex Carrionnis. forte *ut magnis Aſiam concedere fatis!* nam *concidere* verbum nihili eſt. *concedere vita* apud Tacitum frequenter occurrit, *concedere fato*, pro mori apud Plinium in Panegyrico.

Verſ. 559. *terrenaque ſumma movendo Experiar*] *movebo* cum ſuis membranis Carrion. ego noſtris accedo, quae vulgatam ſcripturam amplectuntur. paullo ante diſtinguendum cum Regio

---- *ſpes & metus omnibus eſto*
Arbiter.

neque aliter Vaticanus tertius.

Verſ. 564. *Iäpeti poſt bella trucis*] perperam denuo Carrion *truces* repoſuit, etſi tres ex noſtris id ipſum quoque adgnoſcunt. mox pro *coeli inſtitui* monet Baptiſta Pius in aliis codicibus eſſe, *coelum inſtituit*. forte *coelo inſtitui*.

Verſ. 572. *innoxia fudit*] *fundit* ſcripti.

Verſ. 588. *motuſque niger ſub praepete pontus*] *motoque* Carrionis liber, & noſtri omnes, excepto Vaticano ſecundo, non magnae illo rei, quod quidni amplectamur? niſi mavis *motuque*.

Verſ. 581. *totidem demiſſa*] *totidem* ex conjectura Pii Baptiſtae promanavit. *toties* ex ſcriptis omnibus. mox *Pyragmo* primus & quartus Vaticani, non *Pyragmon*.

Verſ. 585. *latumque profundum.*] *Latium* Bononienſis

nonienſis editio, & ſecundus Vaticanus. Quod Maſerius adripuit. Carrion *altumque* malebat. atque nihil familiarius Poëtis, quam *latum aequor, latum mare. latum* etiam profundum. *altum profundum* qui dixerit, bis idem dixerit.

Verſ. 591. *Pavidis*] malim. *rabidis*. ſic lib. VII. 406. *rabidus auſter* v. curas ſecundas ad Ovid. I. Metam. 36.

Verſ. 593. *montemque chalybs iterataque muris Saxa domant Euros*] Carrionis codex *in monte chalybs. Saeva cohorvis monte calypſi terataque*. prim. Vaticanus. caeteri *ſaeva cohorvis monte calipſi cerataque.* Aldinus tamen *motoſque Euros*. & placet. ſic ſupra verſ. 578.

---- motoque niger ſub praepete pontus

uti illic caſtigavimus. libro IV. verſ. 129. cum ſcriptis,

Atque adeo neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuive ratem.

ſed praeſtat *inmota chalybs.*

Verſ. 594. *cui jam prohibere frementum Ora nequit*] malim *cohibere*. ut apud Maronem libro III, & libro IX.

At Scyllam caecis cohibet ſpelunca latebris,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.

contra *cohibere* pro *prohibere* Carrionis codex lib. III. verſ. 304.

Verſ. 602. *Qualis eram nondum vinclis in carcere clauſus*] *clauſum* ſecundus Vaticanus. Puto,

Qualis erat nondum vinclis & carcere clauſo.

mihi clauſo. *erat* refer ad libertatem. poſtea incidi in Baptiſtae Pii commentarios diu deſideratos, in quibus ille monet, ſic exſtare in nonnullis exemplaribus.

Verſ. 604. *Quod Boream*] *Borean* meliores.

Verſ. 605. *pectora tangunt*] *pignora* cum Aldo Zinzerlingus, Bapt. Pius, Maſerius, Sabellicus, Schottus

Iſma-

--- *Iſmarios Aquilonia pignora fratres.*

De iisdem dixit Statius. in contraria eunte Gaſpere Barthio.

Verſ. 612. *Nimborum cum prole Notus*] *cum mole* videtur ſcribendum. infra

--- *quam multa leo cunctatus in arcta*
Mole virum.

ſic *bellorum moles* lib. VI. apud Naſonem lib. I. Metam. pro *mundi moles operoſa* codices quoque nonnulli *proles.*

Verſ. 613. *Hiſpidus & multa flavus caput Eurus harena*] *flavum caput*, hiſpidus videlicet, in ſecundo Vaticano, quod verſum reddit molliorem. Baptiſta Pius pro diverſa lectione adgnoſcit, inprobatque.

Verſ. 619. *converſaque frontem Puppis in obliquum reſonos latus accipit ictus.*] *actus* prim. Vatic. alii *artus* vel *arctus. Puppis in obliquam reſonat* Carrionis liber. quod in ſecunda editione perperam ſecutus eſt. nihil mutandum. Lucani enim illa reſpexit libro III.

Strage virum cumulata ratis, multoque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.

Verſ. 622. *Cum picei fulſere poli*] praeceſſerat paullo ante,

--- *piceoque premit nox omnia coelo*

Quare aut illic *ſpiſſo coelo* aut hic *ſpiſſi poli* corrigatur. hic tamen malim. Adeantur notata noſtra ad Naſonem Metam. X. 508.

Verſ. 625. *miſſoſque putant conſurgere ventos*] *juſſoſque* Andreas Schottus malebat.

Verſ. 629. *en quanto fremitu ſe ſuſtulit Aegon*] ſic Baptiſta Pius conjecerat. ſcripti omnes, editique praeter Colinaei & Gryphii codices, *& quanto.* quod Carrion tamen adripuiſſe non debuit: ita enim frequentiſſime apud noſtrum peccatur, ut jam ſupra vidimus. forte *at quanto*! deinde *Aegan* ſcribendum tam hoc loco, quam lib. IV. verſ. 715.

--- *tan-*

---- *tantas Tyrrhenus & Aegan*
Volvat aquas!

Et apud Statium,

---- *quas ſpumifer adſilit Aegan.*

uti Salmaſius ad Solinum pag. 825 jam monuit. Ἀιγαίων, Ἀιγάων, Ἀιγάν, ut Ἀλχμαίων, Ἀλκμάν. Ποσειδαίων, Ποσειδάων Ποσειδάν. Ἑρμαίων, Ἑρμάων, Ἑρμάν.

Verſ. 632. *linquite terras Spe pelagi*] *linquite, terrae, Spem pelagi* cum Carrionis libro ac noſtris codicibus. ne dubita. *terrae*, hoc eſt homines, linquite & omittite ſpem pelagi. male Barthius pugnat pro vulgata ſcriptura. Adverſ. lib. LII. cap. XI. & libro XXII. cap. XIX. uti etiam Zinzerlingus, qui praeterea perperam *ſubponite* pro *ſeponite.* renitentibus libris ſcriptis. mox *occurrere letho* non *occumbere* duo Vaticani & Oxonienſis. quod non eſt de nihilo: vide annotata noſtra ad Phoeniſſas Senecae verſ. 366. ubi legendum *non ultro ſuo ſceleri occurrit*: ut in Oedip. 964. *ultro conſequuntur, vulneri occurrunt ſuo.*

Verſ. 646. *plenaſque malis clamoribus undas*] putabam aliquando, *aliis clamoribus.* hoc eſt ſimilibus eorum, qui nunc audiuntur, ſic IV. 575. *Jam alio clamore ruunt.* ſic, *alii cantus.* verſ. 218. *alius Pelias*: *alia aequora* VII. 92. *alius ſermo* ibid. 257. *alii caſus.* 362. *aliae urbes* 448. *alius Draco.* II. 382. ſi *malos clamores* placet ſervari, non multum obnitor. *vagis clamoribus* Johannes Columbus legebat, pro ſequentibus *Ulla parens volet Elyſium*, etiam malebam *vovet.* de futuris enim, ceu de praeſentibus, agebant vaticinantes. ſed ne hoc quidem pro re certa venditarim. *nec tam* praeterea in ſcriptis.

Verſ. 660. *quam munere gaudens Liquerat hoſpitio, pharetraſque rependerat auro*] primo ſcribendum opinor per adpoſitionem, quidquid libri veteres obnituntur, *quam munera*: ut libro IV. 362.

Indo-

Digitized by Google

Indomitamque bovem da carae munera nuptae.
libro v.

Munera tu contra victum mihi vecta per aequor
Accipe Taenarii chlamydem de ſanguine aheni.

& ſic frequenter Poëtae. dicemus denuo nonnihil infra libro II. 252. malo etiam *hoſpitii.* deinde non video quis *pharetris* hic ſit locus. quapropter *phaleris* debere reponi opinor. hoc enim Aeſoni Theſſalo conveniens. Theſſali quippe primi equorum domitores. ſupra de Caſtore habuimus,

Oraque Theſſalico melior contundere freno.

& lib. III. 13.

---- *ipſe ducis pateras, & Theſſala contra*
Frena rapit.

Verſ. 663. *contraque ruentem*] *ruenti* videtur ſcribendum, ut conjungatur τῷ *aemulus. aemulus Jovi ruenti contra Athon.* certe in primo & quarto Vaticanis *ruente* vel *ruentis.* ſic apud Horatium,

Jupiter ipſe ruens tumultu.

ſupra habuimus

---- *vaſto pariter ruit igneus aether*
Cum tonitru.

Silius

Hinc rupti reboare poli, & crebra micare
Fulmina, & in claſſem ruere inplacabile coelum.

Phaedrus, *Canes confuſi, ſubito quod ruerat fragor.* de tonitru. ita ſcribendus, vulgo, *confuſus ſubito quod fuerat.*

Verſ. 664. *Aut Athon, aut Rhodopen*] Maſerius refingit *Atho.* Quod & Aldinus codex adgnoſcit. pari modo apud Maronem Grammatici veteres contendunt ſcribi oportere Georgicon primo,

---- *ille flagranti*
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit.

De qua re operoſe diſputat Maſerius, nos membranis invitis nil mutamus. mox pro *ipſe ureret,* puto ſcribendum *exureret.*

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 670. *Seu caſus nox iſta fuit*] *caſu* ſecundus Vaticanus. Lege *ſeu caſu nox illa ruit.* ut apud Maronem Aeneid. VII.

Nox ruit, Aenea: nos flendo ducimus horas.

& ſecundo,

——— *ruit Oceano nox.*

ſic & *dies ruit* apud eundem libro decimo, pro *ingruit.* niſi legendum *Seu caſu noxa illa fuit.* deinde pro *volvitur axis*, forte *ſolvitur.* ſed lib. II. 358. *Aeternum volvens opus* dixit. v. infr. verſ. 829.

Verſ. 672. *Pontus habet*] *havet* Andreas Schottus & Alardus. male, uti jam docuit vir eruditiſſimus Johannes Fredericus Gronovius ad librum VIII. Thebaïdos Statianae verſ. 515. idem pro mendoſis habet iſta, quae proxime praecedunt *tollique viciſſim.*

Verſ. 674. *Heu luerem ſatis*] ſic Carrionis liber. *Haec luerim fatis* bene primus Vaticanus cum Aldo. duo alii Vaticani cum Oxonienſi, *Haec lueris.* Vulgati *Haec luêrint.*

Verſ. 676. *patriaeque amplecti lumina portae*] *limine* primus Vaticanus. omnino probe. non enim tam precatur, ut limen patrium, quam ut comites itineris in limine patriae detur amplecti.

Verſ. 678. *meritas tibi plurimus aras Poſcet honos*] *Paſcet* Carrionis liber, & Pii editio. alii *Paſcat.* ſcripti noſtri omnes cum Aldino, Florentino, Maſeriano libris, *Paſcit.* ne dubita quin vere. apud Naſonem Triſtium lib. IV. El. IV. 64.

Caede pharetratae paſcitur ara Deae.

ita illic optimae membranae. ubi plura ad rem congeſſimus. *meritis* praeterea primus Vaticanus, & tres alii ſcripti, ac editiones nonnullae. *meritis tibi pluribus* tertius Vaticanus. ſed fruſtra. *Stat pater* etiam in Carrionis libro ac primo Vaticano. forte tamen *nas pater.* Ovid. VI. Met. 75. ut eſt in codice Leidenſi, *Nare Deum pelagi.*

Verſ. 680. *tantum noſtras concede per urbes*] haec cor-

corruptiſſima ſunt. Carrionis liber, *tantus*. ſcribe *tantus condêre*. ſtatuas Neptuno vovet per Aeſonias urbes.

Tum, quocumque loco meritas tibi plurimus aras
Paſcit honos, ubicumque rotis horrendus equiſve
Stas, pater, atque ingens utrimque fluentia Triton
Frena tenet; tantus noſtras condêre per urbes.

Omnia jam ſunt perſpicua. locus ſimillimus lib. v. ubi Jaſon

Tunc tibi, faecundi proles Jovis, orte nivali
Arcados axe Deae, fluvio modo, Phaſi, quieto
Palladiam patiare ratem, nec dona, nec arae
Defuerint tellure mea. Veneranda fluentis
Effigies te, Phaſi, manet, quam magnus Enipos,
Vel pater aurata quantus jacet Inachus urna.

pro *horrendus equiſque* prim. Vat. *horren & equis* mendoſe.

Verſ. 681. *dextraque ſequuntur Verba ducis*] hanc ſcripturam Aldus cum pleriſque aliis expreſſit. ſcripti *dextraque ſequentum Verba ducis.* bene, modo reponas *dextraeque*, quod Turnebo Bapt. Pio aliiſque olim adridebat. Plauſum, qui manibus dabatur, deſignat. Ovid. Met. XIII.

Vulgique ſecutum ultima murmur erat.

Verſ. 684. *manus anxia.*] Ita Schottus & Bulaeus: *inſcia* ſcripti: forte *incita* infr. 728.

---- talem incita longis
Porticibus conjuxque fugit natique Lycurgum.

Verſ. 696. *medioque in crimine patrem Liquerit*] videtur ſcribendum eſſe, *medio in diſcrimine patrem Liquerit* ut libro VI. 545.

Atque hos in medio duri diſcrimine belli
Caedibus inque ipſis gaudens ubi vidit Jäſon.

& ſtatim verſ. 714. *diſcrimina leti.*

Verſ. 698. *ruat omnis in illos*] *in illis* ſcripti noſtri.

Verſ. 699. *nec vana pavet trepidatque futuris*] *futuri* puto. *vanus futuri.* ut *vanus voti* apud Silium

lium Italicum libro XII. *Nec forſan voti vanus fo-ret.* ſic contrarium *certus futuri* paſſim apud Poë-tas: & Horatius *avis divina futuri.*

Verſ. 704. *aeriſona volucer cum Daedalus Ida*] *ita* ſcripti noſtri & vetuſtae editiones. Carrionis liber *aeriſona ora. Ida* Baptiſtam Pium auctorem habet. *Ida* probe; erat enim mons totius Cretae, ut altiſſimus, ita in meditullio Inſulae ſitus. *aeri-ſona* propter Dactylos, qui hinc *Idaei* dicti.

Verſ. 706. *Nube nova linquente domos*] *novas do-mos* libens refinxerim. ut ad Labyrinthum refera-tur, a Daedalo extructum, ut Poëtae volunt, quem & Naſo Metamorphoſeon octavo *Multipli-cem domum, & caeca tecta* appellat, ubi fugam Daedali & Icari caſum enarrat. Claudiano etiam Labyrinthus dicitur, VI. Conſ. Honor.

---- *ſemiferi Gortinia tecta juvenci.*

At Senecae in Hippolito aeque ac Naſoni *Domus.*

Monſtrique caecam Gnoſii vidit
Domum.

οἴκημα Apollodoro eſt. Catullo *tectum.* nec de-fuerunt ex antiquis, qui antrum in monte effoſ-ſum fuiſſe dixerint. (vide Meurſii Cretam lib. II. cap. II.) atque in Cnoſſo urbe illum ſtatuunt, ubi Minois regia, & Jovis ſepulcrum. Poteſt & ad *Daedalam* urbem in Creta, a Daedalo condi-tam, referri. Daedalo Cretenſes videntur debere ſtructuram domorum, certe Diodorus Siculus te-ſtatur nullas in Creta domos fuiſſe tempore Cure-tum & Dactylorum. *Nubem* eleganter Daedalum & Icarum dixit, ut Harpyïas *nubem Cocytiam* li-bro IV. v. 495. Statius Coma Earini, de raptu Ganimedis,

Pergame, pinifera multum felicior Ida,
Illa licet ſacrae placeat ſibi nube rapinae.

Iterum idem Statius Saturnalibus,

Inter quae ſubito cadunt volatu
Inmenſae volucrum per aſtra nubes.

Noſter

Digitized by Google

Noſter libro xi. verſ. 521. *totaque pharetrae nube premit.* & paulo ante de bellua,

---- Cujus ſtellantia glauca
Lumina nube tremunt.

nubem columbarum habes apud Prudentium Hamartig. verſ. 805. ſupra, *Innumeras nam claudit apes, longaque ſuperbum Condit nube diem.*

Verſ. 707. *& viſu laſſatur inani Omnis equus, pleniſque redit cortina pharetris.*] Neſcio quid in mentem Carrioni venerit, ut curis ſecundis, *cortina* pro *Gortyna* reponeret. ſcribe

---- & viſu laſſatur inani
Omnis eques, pleniſque redit Gortyna Pharetris.

Gortyna quartus caſus. Γοϱτὺν, γοϱτύνος, γοϱτύνι, γορτύνα. confirmavit hanc mihi poſtea conjecturam codex Regius. certe *eques* a nonnullis ſcribi, jam monuit Bapt. Pius.

Verſ. 710. *fuſus humi*] *humo* Carrion ex ſuo codice. quomodo & noſtri. nihil tamen mutandum incogitanter. nam quod idem Carrion libro Aeneidos primo apud Maronem ex vetuſtis membranis reducit

---- quam ſeptem ingentia victor
Corpora fundat humo,

nos id ipſum quoque in optimo ac longe vetuſtiſſimo Mediceo aliiſque nonnullis invenimus, & Donatus adprobat. at quod idem Carrion Aeneidos v. ex tribus antiquiſſimis codicibus reducit, *caeſis ut forte juvencis Fuſus humo*, non adſentior, cum Mediceus illic exhibeat: *Fuſus humum.* Quid quod *fundere humi* eodem libro dixerat Maro?

Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi.

nec variant libri veteres. libro vi.

---- inmania terga reſolvit
Fuſus humi.

lib. xi.

---- quot humi morientia corpora fundis?

procumbit humi bos apud eundem. & *arma cruenta Sternit humi*, & *non te optima mater Condet humi*. &, *prolem Dolicaonis Hebrum Sternit humi*. & *volvitur ille Excuſſus humi*. &, *humi naſcentia fraga*. atque id genus plura.

Verſ. 719. *Celſis an ſi freta puppibus eſſent Pervia*] nam *ſi* puto.

Verſ. 721. *o freti nequicquam prole nepotes*] *parentes* vetus editio Veneta, uti & Aldus. ſed rectius utique Laurentius Balbus *penates*.

Verſ. 735. *Phlegethontis aperti*] *operti* cum Carrionis libro, Turnebo & Alardo.

Verſ. 742. *ſtupet acta deorum Prodigiis*] *ſtupet Aea* diu eſt quod ſcribendum vidi. Cui meae ſententiae accedentem habeo celeberrimum Gronovium ad Livii lib. XXVII. cap. XLVII. *Aea* quippe urbs Colchidis. *ſtupeacta* prim. Vaticanus. *ſtupefacta* tres alii.

Verſ. 746. *rumpere terras*] an *erumpere*; vide ad Silium Italicum.

Verſ. 753. *regemque fragor per moenia differt, Mille ciere manus*] ita locus hic diſtinguitur in Colinaei & Baptiſtae Pii editione. quomodo caſtigandum eſſe jam monuit, & multus confirmavit Zinzerlingus. *deſert* perperam Carrion ex ſuo codice.

Verſ. 758. *rictuque genas & lumina preſſit*] *rictumque gemens* doctiſſimus Johannes Columbus, nec diſſentio. *gemitum* dat & Virgilius leonibus Aen. VII. & noſter ſub finem libri III.

Verſ. 762. *Contra effuſa manus*] lege *infuſa*. Phyllis Naſoniana

Auſus & amplecti, colloque infuſus amantis
Oſcula per longas jungere preſſa moras.

Noſter lib. V. *tam mira ſenectae Majeſtas infuſa* poſſit etiam *adfuſa* ſcribi, idque, ut opinor, rectius. Naſo Metam. X.

Amplectique pedes, adfuſaque poſcere vitam.

&

Ad-

Adfuſaeque jacent tumulo, ſignataque ſaxo
Nomina conplexae.

Seneca Phaeniſſis,

Adfuſa totum corpus amplexu tegam.

Statius Thebaid. III. verſ. 687.

Utque fores iniit, magnoque adfuſa parenti eſt.

Idem Sylvarum quinto, Pietate Abaſcantii, verſ. 113.

——— *viciſti gaudia coenae*
Ipſius, adfuſo dum pectore prona ſacratos
Ante pedes avide domini tam magna merentis
Volveris.

ita & illic ſcribo pro *effuſo*. Lucanus libro VII. 71.

——— *regeſque tui cum ſupplice mundo*
Adfuſi, vinci ſocerum patiare rogamus.

Florus lib. IV. cap. II. *Cleopatra regis ſoror adfuſa genibus Caeſaris.* Silius Italicus lib. VI. verſ. 570.

Jamque ubi conſpectu redeuntum viſa propinquo
Corpora, ſollicite laeti adfunduntur, & ipſis
Oſcula vulneribus figunt.

ita & illi verſus caſtigandi, uti & eodem libro,

——— *lacerae fragmenta videres*
Claſſis, & adfuſos fluitare in gurgite Poenos.

non *effuſos*. adfuſos fragmentis navium. plura illic dicemus.

Verſ. 761. *An patres*] *An patriae* duo ſcripti. paulo poſt *accipias* legit Baptiſta Pius.

Verſ. 767. *Talia per lacrymas*] *lacrymans* liber Carrionis, quod ille non probat. Opinor *Talia fert lacrymans. Ferre*, pro *fari*, *dicere*. ſic *rumor fert*, *fama fert* & ſimilia. Baptiſta Pius in antiquiſſimis exemplaribus adſeverat extare, *per lacrymas*, mox idem *quae fata capeſſat*. *fert lacrymans* etiam Gisbertus Cuperus obſ. III. c. VI. & Johannes Columbus ſuis ad me litteris.

Verſ. 771. *verum rudis altera proles*] *aevum rudis* codices noſtri. idem de ſuis Pius Baptiſta teſtatur. Carrionis liber *aevi rudis*. nil tamen te-

mere inmutem. diximus ſupra. v. inf. 823.

Verſ. 775. *multa pallens ferrugine*] an *ſquallens?* adeantur quae notamus ad librum I. Metamorphoſ. Naſonis. 374. *pallentes* tamen *hiacynthi*, qui & *ferruginei* Poëtis, *albo purpurantes* Columellae dicti. *Sordibus* in Aldino codice.

Verſ. 783. *Tergeminam quo placet Heram. Stygiaſque ſupremo*
Obſecrat igne domos, jam jam exorabile retro
Agmen agens.]

Ita Aldus. *Obſerat* legendum videbatur Andreae Schotto. *exorabilis*, qui exorat, an dicatur diſpiciendum. *avehit* bene ſcripti pro *advehit*. paullo ante Baptiſta Pius teſtatur non deeſſe, qui legant *Stygiaſque ſupremo Obſecrat igne canes*, exemplo Maroniano. quomodo & Lucanus. mox & *cunctae primis ſtant faucibus orci* adulterina videntur. deinceps editio ejuſdem Pii, *mihi conciliis*, ut & aliae vetuſtiores cum ſcriptis potioribus, quod & idem Pius de ſuis adſeverat. dixi ad libr. II. Aeneidos Virgilianae.

Verſ. 795. *tu nuncia ſontum Virgo Jovi*] duo codices *tum vitia*. ſed male, *Aſtraeam* innuit, de qua lib. II.

---- tunc urguet enim, tunc flagitat iras
In populos Aſtraea Jovem.

mox malim *meritis regi ſuccedere*, quam *regis*, quod ingratius quid ſonat. atque ita Carrionis liber.

Verſ. 808. *& adhuc incognita lethi Sors ſupereſt*] *incondita* ſcripti omnes, & primae editiones, quod perperam ſecuti Carrion & Barthius Adverſ. XXIX. cap. V.

Verſ. 815. *heu cunctae*] Columbus *huc*. credebam aliquando *huic junctae* legendum. nunc nihil muto. hac enim navigatione prima, mare gentibus fuit apertum. ſupr. verſ. 169.

---- Pelagus quantos aperimus in uſus.

& 196.

---- ſcis

--- *ſcio me cunctis e gentibus unum*
Inlicitas tentare vias, hyememque mereri.

& verſ. 648.

--- *miſeris tu gentibus Argo*
Sacra paras.

Verſ. 817. *Illi avide exceptum*] male Carrion *Illae avidae.* Aeſonem & Alcimeden intelligit. caeterum taurino ſanguine potato etiam occubuiſſe Midam Lydiae regem, & Themiſtoclem auctores antiqui produnt, id ipſum quoque de Hannibale a nonnullis creditum, ut teſtis eſt in ejus vita Plutarchus.

Verſ. 818. *Fit fragor: inrumpunt ſonitu qui ſaeva ferebant Imperia*] *ſonitus qui ſaeva ferebat, Imperio*, primus Vaticanus. mendoſe. forte. *inrumpunt foribus, qui ſaeva ferebant Imperia*, quamquam id verbum rarius cum caſu tertio conjungitur. *ſonitus* etiam in Aldino, Maſeriique ac Juntae codicibus. ſed ſorte praeſtat legere, *inrumpunt, domini, qui ſaeva ferebant Imperia.*

Verſ. 827. *rebuſque adciſa ſupernis*] *adſciſa* codices noſtri. Turnebus *abſciſſa.* quod Carrionis confirmat liber. ſed *abſciſa* verum eſt. quomodo & Barthius Adverſ. libro XXV. cap. V. Horatius

---- *nequicquam Deus abſcidit*
Terras Oceano diſſociabiles.

Statius Propemptico Metii Celeris

Quis rude & abſciſum miſeris animantibus aequor
Fecit iter?

Noſter libro VIII.

Quidquid & abſciſum vaſto jam tuta profundo
Crediderat.

quomodo ſcribendum. libro VII.

Sentit & abſciſum, quidquid pudor ante monebat.

Ita bene Carrionis liber. ab *abſcido, abſcidi.* lib. I. *retinacula ferro Abſcidit.* ſic *fata querelas abſcidit* lib. II. ibidem, *tantum abſcidit imi Concutiens a ſede maris.* atque iterum eodem libro,

Digitized by Google

Cuſpis & adverſi longus labor abſcidit aevi.

Verſ. 829. *victam ſi volvere molem*] *niſi volvère* caſtigabat Barthius Adverſariis libro xxv. cap. III. fruſtra. ſcribendum *ſi ſolvere molem.* Virgilius libro XII,

---- non ſi tellurem effundat in undas
Diluvio miſcens, coelumve in Tartara ſolvat.

Silius libro XXVI,

---- coelum licet omne ſoluta
In caput hoc compage ruat.

fors & ſupra ſcribendum verſ. 670. *ſeu ſolvitur axis.* ſed lib. II. verſ. 358.

Juppiter aeternum volvens opus.

libro IV. habes,

---- ceu vincula mundi
Ima labent.

Lucanus lib. I. verſ. 73.

---- ſic, cum compage ſoluta
Saecula tot mundi ſuprema coëgerit hora
Antiquum repetens iterum chaos, omnia miſtis
Sidera ſideribus concurrent. ignea pontum
Aſtra petent &c.

Prudentius Cathemerinon Hymno XI.

Cum vaſta ſignum buccina
Terris cremandis miſerit,
Et ſciſſus axis cardinem
Mundi ruentis ſolverit.

& Hamartigenia

---- ex elementis
Cuncta ſolubilibus fluxoque creamine conſtant.

Seneca de benef. lib. VI. c. XXII. *e tanta varietate ſolvantur, atque eant in unum omnia* de eadem re. & Epiſt. IX. *qualis eſt Jovis, cum reſoluto mundo, & diis in unum confuſis adquieſcit ſibi. ſolvere umbras,* initio libri III. & *ſolvere Maeotin glacie adſtrictam* libro VI. apud noſtrum. apud Naſonem de Chao arte amatoria,

Inque novas abiit maſſa ſoluta domos.

unde

Digitized by Google

unde liquet probe & eleganter Carrionis codicem huic verſui illum ſubjungere,

Jupiter & primae velit omnia reddere maſſae.

pro quo ante legebatur.

Fata velint, ſi ſumma dies ſubverterit orbem.

qui in membranis nullis comparet. Aldus,

---- victam ſi volvere molem
Senſerit atque gravi totam ſubſidere motu
Fata velint, ſi ſumma dies ſubverterit orbem.

quae ſpuria eſſe & ab homine male feriato excogitata nullus dubito. Protulit eos quoque Pius Baptiſta ex codice Pomponii Laeti, cujus evolvendi facultas ſibi ſit data ab Alexandro Farneſio Cardinali. Carrion exemplar Aldinum properanter conſuluerat, qui verſum poſteriorem negat exſtare.

Verſ. 836. *ſi quando*] praeſtiterit *ſeu quando.*

Verſ. 841. *Quos omnes lenis plantis*] languent numeri in hoc verſu. opinor,

Quos omnes levibus plantis & lampada quaſſans.

apud Claudianum Conſulatu Theodori

Et caſtos levibus plantis ingreſſa penates.

certe in Oxonienſi *laevis plantis.*

NICOLAI HEINSII ANIMADVERSIONES IN LIBRUM II. ARGONAUTICON C. VALERII FLACCI.

Verſ. 7. *Templaque Piſaeae*] *Tiſaeae* vel *Tiſſaeae* corrigendum, uti Turnebus jam monuit, quam ſcripturam Aldinus codex expreſſit. neque ullus dubitationi locus. apud Orpheum quoque caſtigetur verſus mendoſus

Τισάιη δ' ἀπέκρυφθεν ἄκρη καὶ Σηπίας ἀκτή.

non Πισσάιη. nam & Apollonio, I. 568.

Τισάιην δύηκηλοι ὑπὲρ δολιχὴν θέον ἄκρην.

ubi Scholiaſtes, Τισαῖον, ἀκρωτήριον Θεσσαλίας. meminerunt ejus inter caeteros Polybius & Livius: nam alius locus apud Stephanum Byzantium, Πισάον Πελαγονίας. τὸ ἐθνικὸν Πισαῖος. paullo ante priſcae editiones & ſcripti noſtri *Jamque freti*. idem de ſuis, teſtatur Pius, & *freti ornos* interpretatur malum Argus navis. inſulſe. forte, *Jamque freto.*

Verſ. 14. *recipit velumque fretumque reverſus Auſter*] *reverſum* Carrionis liber; noſtri omnes *reverſo.*

Verſ. 26. *Neptunus in altum Abſtulit*] *in alto* Carrion ex ſuis membranis. ſed aliter noſtri codices.

Verſ. 28. *torquentemque anguibus undas*] ſic Pius ex

Digitized by Google

ex vetuſtiſſimo codice. cum antea legeretur *ungui-bus*. nollem *ignibus* hic repoſuiſſet ex ſuo exemplari Carrion. pedes quippe Gigantum ex ſerpentibus conſtabant, unde *ſerpentipedes* & *anguipedes* Poëtis dicti. Ovidius

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues.

Nonno in Dionyſiacis non diſſimiliter δρακοντοκόμοι. quid ſi legas, *ſorbentemque anguibus undas.* ſic *ſorbere undas* Scylla quoque canibus dicitur apud Poëtas. in Regio *torquentemque unguibus. torquet hiemes* paullo ante praeceſſerat.

Verſ. 30. *Intulit ora premens.*] malo *Intulit ore*, vel *Inpulit*.

Verſ. 36. *palmas Tethys grandaeva ſinuſque Suſtulit*] *pallam ſinuſque* omnino videtur ſcribendum. ſic infra de Venere verſ. 106.

--- *pinumque ſonantem*
Virginibus ſtygiis nigramque ſimillima pallam.

ubi Carrionis liber, *palmam*, pari errore. libro primo de Tethide, & libro VIII. de Medea, *dejecta in lumina palla.* quae ſollicitaſſe non debebant.

Verſ. 38. *Auxerat hora metus jam ſe vertentis Olympi Ut faciem*] male haec diſtinguebantur hactenus. primus Vaticanus *Auferat hora.* in aliis tribus *Hauſerat ora metus.* nil mutem. pro *vertentis Olympi* forte *vergentis. pronus aether.* verſ. 35.

Verſ. 47. *ignota captus*] pro deceptus, niſi *cantus* mavis.

Verſ. 51. *At non experti*] legendum cum interrogationis nota *An non?* An non experti eſtis ab ipſa Minerva dirigi hanc navem? atque ita Laurentius Balbus. alii aliter, ſed nihil temere mutem.

Verſ. 53. *& Palladis arte*] maluerim *at*, quod mirantis eſt. poſſet etiam tranſpoſitis vocibus refingi, *quoties & quanta Pall. arte.*

Verſ. 57. *Nullus in ore rubor*] *orbe* ex Carrionis libro in contextum inrepſit. nil muta.

Verſ. 58. *& in imo decidit auro*] *in uno auro* codices nonnulli ex noſtris. idem de ſuis Pius teſtatur. Carrionis liber & primus Vaticanus *in uno Euro*. Scio quomodo haec interpretentur homines eruditi, ſed non ſatisfaciunt; ut fortaſſis a Valerio relictum ſit

Integer in fluctus vicino decidit auro.

vide Plin. 18. 35. Tacit. de moribus Germanor. cap. 45. *ſicut Orientis ſecretis, ubi thura balſamaque ſudantur, ita Occidentis inſulis terriſque ineſſe crediderim, quae vicini ſolis radiis expreſſa atque liquentia in proximum mare labuntur. aurum ſolis* pro radiis. ſic *ſol auricomus* noſtro lib. IV. 92. quod perperam inmutant. lib. V. de Sirio verſ. 369.

Non ſecus, autumno quam cum magis aſperat ignes
Sirius, & ſaevo cum nox accenditur auro.

ubi male Zinzerlingus *aſtro*. Pius non de Sirio, ſed de Cometa Chryſeo intelligit, male, ut opinor. Plin. II. Nat. Hiſt. de Cometis: *Chryſeus radios auro nomine ſimilis, colore autem electro, raros crines e margine emittit.* Noſter lib. V.

Qualibus adſurgens nox aurea cingitur aſtris.

Sol crinibus aureis & *Phoebus aureus* in catalectis Pithaei verſibus de Aurora, ut & *ſol aureus. lux aurea Phaebi* & ſimilia. vide carmen de Sole in catalectis Pithaei pag. 445. valde corruptum. poſſet & reſcribi, *redituro decidit auro.* Silius

O blandum coeli lumen, tantone cavetur
Mors reditura metu?

vel etiam *genuino decidit auro.* ſed *mundo decidit auro* Johannes Columbus legit. & mox, *mihi ſidera conſtat* pro *monſtrant.* forte, *mens fert.*

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 60. *it tacitis ratis ocior auris*] *horis* liber Carrionis & duo Vaticani cum Regio, recte. hoc eſt nocturnis horis, nocturno tempore. ſupra *Auxerat hora metus.* genuinam ſcripturam Zinzerlingus quoque jam vidit. v. ad Ovid. Epiſt. III. 57.

Verſ. 62. *reficit mare*] an *recipit?*

Verſ. 64. *conditur undis*] imo *conditus* quomodo ante legebatur. quidquid Carrion codicis ſui auctoritatem praetexit.

67. *Pleiones Hyadumque locos.*] *Pleïonen* pro Pleïadibus videtur poſuiſſe. niſi ſcripſerit *Pleïadas Hyadumque choros.* Naſo Met. XIII.

Pleiadaſque Hyadaſque inmunemque aequoris Arcton.

Virgilius Georgicon primo,

Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.

Verſ. 68. *Actaeus Bootes*] cave *Arctous* reponas. quod viros eruditos voluiſſe invitus video. Booten enim cum Icario confundunt ex veteribus aſtrologis nonnulli, ut inter alios Hyginus teſtatur in Poëtico Aſtronomico, huc refer illud Propertianum lib. II, El. XXXIII.

Flectunt Icarii ſidera tarda Boves.

Booten facit Icarium, qui Actaeus. Seneca Medea actus ſecundi choro

Non quae ſequitur, flectitque ſenex
Attica tardus plauſtra Bootes.

ita vetuſtiſſimus & optimus codex mediceus, cum *Arctica plauſtra* in vulgatis exemplaribus circumferantur. v. ad Ovid. II. art. amator. 55.

Verſ. 74. *raras & litus in altum Mittit aves*] *raucas aves* malit reponi Laurentius Balbus. forte *ravas & litus in alta Mittit aves.* ſic *ravos bubones* Naſoni in amoribus lib. I. El. XII. verſ. 19. reddidimus, ubi pluribus de ea voce eſt actum.

Verſ. 76. *Phoebus Athon*] *Atho* Aldinus codex, de qua lectione jam libro primo nonnihil diximus.

Digitized by Google

Verſ. 81. *Terra fugat*] *fugae* Carrion reſtituit. ſed conſtructionem orationis in ea ſcriptura non video. quamquam pari modo & primus Vaticanus. mox *conſurgere* pro *inſurgere* tres codices.

Verſ. 92. *Adclivem ſcopulo inveniunt*] *Adclinem* revoca ex ſcriptis. idque ſibi inventum Pius adſeverat ex mirae vetuſtatis codicibus. quod multis locis peſſimis exemplis Carrion ejecerat. ut lib. I. verſ. 147. & lib. III. verſ. 532. atque alibi. prae *miſerentque foventque* quod mox ſequitur, probarim, *miſerantque*, quod verbum cum quarto caſu ſolet conjungi.

Verſ. 95. *nec fama notior Aetnae.*] puto nec *fama aut notior Aetnae, Aut Lipares domus.* vel *Aetne.*

Verſ. 103. *Jam tum ea cum tereti*] *Jam tum ea cum reti* Codices noſtri praeter ſecundum Vaticanum, in quo, *jam tunica aut tereti.* quod in priſcis editionibus Maſerius quoque invenerat. ſcribe

---- neque enim alma videri
Jam tumet, aut tereti crinem ſubnectitur auro.

ſupra libro primo verſ. 199. noſter,

Sed non ſponte feror. nec nunc mihi jungere montes
Mens tumet.

Plura hujus locutionis exempla congeſſimus ad bellum Gildonicum Claudiani verſ. 330. quae conſulantur.

Verſ. 106. *Nigramque ſimillima pallam*] *palmam* ex ſuo codice Carrion in ſecunda editione, ſed perperam, quamquam id ipſum in codicibus noſtris quoque adparet, ſi primum Vaticanum excipias. diximus paullo ante verſ. 36.

Verſ. 109. *defendere tergo*] *diſtendere* vetus editio Veneta. Pius recte ex ſcriptis *defendore.* in duobus ſcriptis *deſcendere.*

Verſ. 110. *plenaque movebat*] *movebant* ſcripti. ſed non opus. pro *& barbara veſtis*, bene Aldinus, Gryphii, & Colinaei codex cum ſcriptis tribus *it*

barbara

barbara veſtis, quod Zinzerlingo ſuboluit etiam. *plenaeque movebant* Johannes Columbus, pro *movebantur*. bene. idem ex Laeti codice *it barbara veſtis*.

Verſ. 116. *famamque vagam*] *vaga umbra* praeſtiterit. quomodo legi a nonnullis teſtatur Pius. mox malim *placidi aetheris*, & ſic Columbus.

Verſ. 120. *terraſque fatigat Qua datur*] *Quas datur* in ſcriptis.

Verſ. 124. *Quaerit avens*] *ovans* videri ſcribendum jam monuimus libro primo, verſ. 100. quod tamen pro re indubitata non adſeveramus.

Verſ. 127. *Vade age & aequoream*] *ad aequoream* repoſuit Carrion. ſed male. mox pro *& cunctas* forte *i cunctas*; & deinde pro *flatus confingis equorum*, caſtigandum *cum fingis*. Certe in primo Vaticano, & duobus aliis *cum fingis* legebatur. *cum fingis* manifeſte Regius. paullo poſt perperam prior editio Carrionis & contra fidem membranarum,

—-- *ut rabidas dolor undique matres*
Inſtimulet.

pro *hinc rabidas*.

Verſ. 136. *ac proxima limina Codri*] *ad proxima limina* ductus conjectura reponit Carrion, nec diſſentimus.

Verſ. 138. *manet illa viro, famulaſque fatigat Litoribus*] *manet illa virum, famulaſque fatigat Velleribus*. Aldinus Codex adprobante Zinzerlingo. *viros* codex Regius. ſed *manere* pro *pernoctare* non raro ponitur, ut in illo Horatiano, *manet ſub Jove frigido Venator*. Adeatur Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam p. 82. *Manere* Nonius interpretatur *loco inſiſtere*. Donatus ad Terentii Eunuchum, *remanere* & *perſeverare in loco*. Recte igitur vulgata ſcriptura ſeſe habet. Ipſa Eurynome haerebat loco, lucubrationi & lanificio aſſiduo intenta, cum interim famulas iterum iterumque mittendo ad li-

Digitized by Google

tus fatigaret. *Viro* etiam ex antiquiſſimis libris Pius. ſed *manet* perperam interpretatur, *manet caſta.* cum *manere* nil aliud ſit hoc loco, quam expectare. *τὸ velleribus*, ſi admittimus, bis idem dixerit. ſequitur quippe *longo mulcent inſomnia penſo.* pro *reputant* & *mulcent* in vetuſtis editionibus *reputans* & *mulcens*, recte, quamquam membranis in contraria euntibus. *ante torum* quomodo apud Naſonem lib. II. Faſt. 742.

Ante torum calathi lanaque mollis erat.

& *medio nebat & ipſa toro* Propertius.

Verſ. 141. *Huic Dea cum lacrimis & nota veſte Neaerae Jcta genas*] *τὸ nota veſte* minus ſatisfacit. quid ſi reponimus *& notae voce Neaerae?* pro *Jcta genas*, obſervatis ad Epicedion Druſi, quod Naſonianis ſcriptis vulgo adtexitur, verſ. 98. jam monui debere caſtigari, *ſecta genas.* nec muto ſententiam. atque is loquendi modus multis illic a me aſſertus eſt. certe codex Oxonienſis, *Laeta.* Bulaeus, *Picta.* perperam. cum id infra verſ. 150. denuo ſequatur. *Picta* Zinzerlingus quoque ante Bulaeum. Sedulius lib. II.

Haec laceros crines nudato vertice rupit
Illa genas ſecuit.

Ovid.

Et ſecui madidas ungue rigente genas.

forte tamen *cum calathis* vel *canis*, & *ficta genas*. lib. VII.

---- Venus inproviſa reſedit
Sicut erat mutata Deum, mentitaque pictis
Veſtibus & magica Circen Titanida virga.

Verſ. 142. *utinam non hic tibi nuncius eſſem O ſoror*] inſolens videtur nuncium vocari foeminam. quapropter minimum abeſt, quin opiner a Valerio eſſe, *utinam non id* (vel *hoc*) *tibi nuncia ferrem O ſoror!* vel *non hic tibi nuncia adeſſem.* ut Columbus voluit.

Verſ. 145. *In tali quoniam tibi tempore conjunx (ſic meruit)*] Ita prior editio Carrionis, male. nam ceteri

Digitized by Google

ceteri codices ſcripti editique conſtanter *ſic meritae,* & recte. eſt autem cum invidia conjunctum, tanquam velit merito Eurynomen plecti, quae fidem inlibatam praeſtet infido marito. noſter lib. VI. ex vetuſtis membranis.

——— dent tamen oro
Vnum illum mihi fata diem, quo fallat Achivos
Sic meritos.

Nec diſſimilia illa lib. VII.

Nec pater ille tuus tantis me opponere monſtris
(Quid meritum?) aut tales voluit me pendere poenas.

Verſ. 148. *Non fama non arte colus*] atque idem eſt τὸ *fama* cum *pudoris laude*, quod ſequitur. quare adſentior Aldino codici, in quo *forma.* veram ſcripturam jam & Zinzerlingus vidit.

Verſ. 151. *Attamen hos tales forſan ſolabere caſus Tu thalamis*] ſcribendum omnino *Attamen hos aliis forſan ſolabere caſus Tu thalamis.* quamquam pro vulgata lectione membranis ſtantibus v. ad lib. I. verſ. 646. Lucan. II. 331.

Tertia jam ſoboles alios fecunda penates
Inpletura datur.

pro *leges* perperam *legens* Carrion ex ſuo codice.

Verſ. 155. *infectaque pocula cerno*] *pocula* veneno aut torico *infecta* optime dicuntur. *infecta pocula* pro venenatis ſimpliciter alias dici probae Latinitatis ſcriptoribus haud memini. Quapropter vide ne a manu Valerii ſit, *infeſtaque pocula.* ſed & infra hoc libro verſ. 494. habes *infectae miſeratus flumina Lernae.*

Verſ. 156. *Scis ſimile ut flammis ſimus genus, adde cruentis quod patrium ſaevire Dahis*] infeliciſſime, ſi uſquam alibi, in hoc loco verſatus eſt Carrion, qui ex membranis ſuis obtruſit nobis, *ſcis ſumus ut ſimiles flammis genus*, quod Latinum vix eſt & σολοικίζει, deinde *dabis* pro *Dahis.* nec melius idem codex *ſervire* pro *ſaevire.* qua deceptus ſcriptura

ſcriptura ad Naſonis Metamorphoſeon librum XIII. verſ. 460. tentabam,

---- *adde cruentis*
Quod patimur ſervire Dahis.

ſed vulgatae lectioni controverſia non eſt temere movenda. ſic & Graeci. Callimachus Hymno Apollinis; ἐμοὶ πατρώϊον οὕτω. Silius Italicus libro XVI. ex ſcriptis codicibus,

Laxat vis ſubita, & feſſos errore viarum,
Nec ſoli faciles, longique laboris anhelos;
Avertit patrius genti pavor.

de Celtis eſt ſermo. *gentem* eſt in vulgatis. Statius Thebaid. XI.

Hinc premit Eurymedon, cui ruſticus horror in armis
Ruſtica tela manu; patriumque agitare tumultus.
Pan illi genitor.

Dahos pro *Dacis* poſuit Graecorum exemplo. vide Stephanum Byzantium in Δακία. alii ab his Dahae, populus Scythiae. *Dahis* etiam Pius ex codice ſummae antiquitatis. decepit & Dionyſium Petavium, magni nominis virum, idem Carrionis codex, qui ſub finem Notarum ad Themiſtium legebat *Scis ſumus ut flammis ſimiles genus; adde, cruentis Quod patrium ſervire Dahis.*

Verſ. 160. *Et plauſtro direpta nurus*] *derepta* ſcribendum. etſi membranae diſſentiunt, in quibus *directa*. Apud Tacitum Ann. I. cap. 20. recte optimae membranae Mediceae *praefectum caſtrorum, dereptum vehiculo ſarcinis gravant.*

Verſ. 161. *curis pavidam lacrimiſque reliquit*] rectius membranae noſtrae *relinquit*. Omnino ſcribendum *curis gravidam*. quidquid codices vetuſti diſſentiunt, ut jam monui ad Ovid. III Faſt. 238. Lucanus lib. V.

Nocte ſub extrema pulſo torpore quietis,
Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
Pectus.

Silius lib. XVII. de Hannibale.

Dumque

Dumque gravis curis carpebat nocte quietem.
gravida arcanis Cymes anus apud Silium de Sibylla lib. XIII. *gravidi noxa populi* apud eundem eodem libro, atque his ſimilia paſſim apud auctores. noſter libro V. verſ. 23.

Qualem praecipiti gravidum jam ſorte parentem
Natorum flet parva manus.

Vulgatum ſi quis pertinacius tuetur, ſic interpretare, ut Eurynomen curis & lacrymis relinqui a ficta Neaera dicatur. de quo loquendi modo ad Plinii epiſtolas nonnulla lib. V.

Verſ. 164. *ut cunctas agitent expellere Lemno*] *ut nuptas* maluerim, ſi per membranas liceat. vel *junctas.*

Verſ. 166. *Obvia quaeque eadem traditque auditque*] Apage Carrionem cum ſuo *retrahitque auditque.* nihil ſincerius concinniuſque vulgata lectione; *tradere* pro narrare. in ſcriptis noſtris *trahitque. eadem illi trahitque* Regius. ſed *tradit* bene caſtigatum a Pio. mox *vana fides* ſcripti conſtanter, etiam Pio teſte, a quo vulgatum promanavit, *una fides.* vide ad Silium XIV. 352.

Verſ. 169. *lacrimiſque iterum viſuque morantur.*] praeſtiterit, *lacrimiſque iterum viſuque moratae Proſiliunt. viſumque morantur,* in membranis noſtris.

Verſ. 176. *utinam fortuna dediſſet*] *dediſſes* ἐμφατικότερον in Carrionis libro.

Verſ. 178. *patriae vidiſſe per ignes Culmen agi*] peſſime idem Carrion poſteriori editione expreſſit *Fulmen agi.* Fors tamen caſtigandum,

Plauſtra ſequi, aut altum patriae vidiſſe per ignes
Culmen agi.

vel & *celſum culmen.*

Verſ. 181. *urbem aut fugiens*] recte Carrionis liber, *ut fugiens,* quod indignantis eſt. ſic apud Naſonem Metam. VII. 40.

Ut per me ſoſpes ſine me det lintea ventis?

Verſ.

Verſ. 182. *raptoque armabimus igne*] *armabimur* opinor Valerium dediſſe nobis, qualium is Graeciſmorum eſt plenus. infra de Hypſipyle, *Illa pias armata manus*. proximo verſu pro, *Dumque ſilent*, etiam malebam *Dumque licet*, vel, *Dumque jacent*, ut Hypermneſtra apud Naſonem,

Quin age, dumque jacent, ſortes imitare ſorores,
Credibile eſt caeſos omnibus eſſe viros.

Verſ. 191. *ſua cuique furens feſtinaque conjunx Adjacet*] *feſtivaque* ſcribendum videtur. quod tertius Vaticanus confirmat & Regius. vel *inſtinctaque*.

Verſ. 196. *Ipſa Venus quaſſans undantem turbine pinum*] *pontum* Carrion ex ſuo codice reponit. infeliciter, ſic, ut nihil magis. ſupra de Venere habuimus,

——— *pinumque ſonantem*
Virginibus ſtygiis, nigramque ſimillima pallam.

vide adnotata ad Silium lib. XIV. 304.

Verſ. 200 *pavidas per aures*] *per auras* ſcripti potiores, ſed fruſtra.

Verſ. 203. *& adſtricto riguerunt ubere nati*] *ubera nato* codices noſtri, praeter primum Vaticanum, qui *ubera nati*. paullo ante,

——— *ignea torquens*
Lumina praecipites excuſſit ab ubere natos.

Nihil igitur mutandum temere.

Verſ. 208. *Mavortia conjunx*] quaerunt eruditi interpretes, quaenam ſit Valerio *conjunx Mavortia*. Nec Nerinen, nec Bellonam, quod illi volunt, ſed Venerem intelligi certum eſt, de qua agere Valerium ex praecedentibus liquido apparet.

Verſ. 214. *verbere victas*] *ductas* codex Carrionis. ſed vulgatam ſcripturam merito tuetur Gronovius Obſervat. lib. IV. cap. XII. poſſet & *adactas* reſcribi. pro *invenit enſes*, etiam malo *ingerit*.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 222. *magniſque paratae Cum facibus*] *magnoſque parate*, ſcripti noſtri. Puto,

Pars conferre manus etiam magniſque paratos
Cum facibus.

Ita cum ſuperioribus haec cohaeſerint.

Verſ. 227. *Tantum oculos preſſere viri*] Carrion ex ſuis membranis *preſſere metu*. ſed *metus* paullo ante praeceſſerat. forte, *Tantum oculos preſſere ſuos.*

Verſ. 230. *preſſoſque toris mactatque trahitque*] ſcribatur *prenſoſque* cum Carrionis libro & primo Vaticano, atque Oxonienſi. pro *mactat*, forte *agitatque*, vel *jactatque.*

Verſ. 233 *His cruor in thalamis*] *It cruor* repone. quod Sabellico etiam in mentem veniſſe ſerus deprehendi. *anhelo* etiam *pectore* maluerim, quam *anhela vulnera*; quomodo & Columbus. *It cruor*; quomodo lib. VI. 723. *largusque cadentum It cruor.* Quod perperam inmutavit Carrion. apud Maronem Aeneidos IX, *pulcroſque per artus It cruor.* Silius lib. IV. *per candida membra It fumans cruor.* lib. XI idem

Parvula nos arcu puerili ſpicula ſenſim
Fundimus, it nullus noſtro de vulnere ſanguis.

ſic ſcribe. Vulgati *& nullus*. Virgiliana illa reſpexit, *noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.* Lucanus lib. VII,

Ire per Oſſaeam rapidus Baebeida ſanguis.

pro *fumant* forte etiam *ſpumant* legendum; ut Virgil. de Didone, Aen. IV. 664. *enſemque cruore ſpumantem.* ſaepe hae duae voces in MSS. confuſae. v. ad Ovid. II. Metam. 324. inf. lib. IV. 596.

Verſ. 234. *ſeque toris miſero luctamine trunci Devolvunt*] ſcribendum videtur *ſero luctamine.* poſt accepta jam videlicet lethalia vulnera. ſimile mendum eraſum quoque infra verſ. 294. & libro III. verſ. 249. 272. atque ita & libro VI, verſ. 510. fors ſcribendum,

Inter

Inter equos ſaevam ſero luctamine verſant
Congeriem.

Verſ. 236. *Injiciunt adduntque domos*] Diu eſt quod ſcribendum vidi, *adduntque domo. obduntque domos* minus bene Maſerius. apud Silium de Poenis Falernum montem populantibus libro VII.

Addunt frugiferis inimica incendia ramis.

Noſter lib. VI,

——— *fuga ſe addidit horum*
Mentibus.

ardorem mentibus addere apud Maronem. lib. I. Noſter,

Te puer, & viſa pallentem morte parentum
Diripiunt adduntque tuis.

hoc eſt *addunt mortuis.* non recte cepit Bapt. Pius. mox pro *dura conjunx* rectius Carrionis liber, *dira*; ſed praeceſſerat.

Verſ. 243. *Ora ſeram*] forte *orſa ſeram.* ſic *dicta ſerere* IV. 330.

Verſ. 245. *durent Latiis modo ſaecula faſtis*] *fatis*, ſi quid video. nam nihil haec hiſtoria ad faſtos aut annales Romanos. Silius lib. XVI., ad Maſiniſſam, ex fide optimorum codicum.

Hic tibi regna dabit regnis majora paternis
Ignis, & adjunget Latiis tua nomina fatis.

ubi pari modo peccatur in vulgatis libris.

Verſ. 247. *Inruerant actae*] *Inruerunt* Maſerius adnotat ex ſuis, & placeret, ſi noſtri codices Maſerianis adſentirentur.

Verſ. 252. *Jam fuge, jam dubiae donum rape mentis, & enſem Tu potius miſerae retine*] Primo vel invitis membranis ſcribo, *Jamque fugam dubiae donum rape mentis*, eleganti adpoſitione. ſic libro IV.

Indomitamque bovem da carae munera nuptae.

infra,

——— *haeſuraque caro*
Dona duci promit chlamidem.

Adeantur quae libro primo verſ. 660. adnotamus.

rapere

Digitized by Google

rapere fugam libro v. etiam habemus,

---- rapit inde fugam crudelia Perſes
Signa gerens.

Cicero lib. III. de Nat. c. 40. ad illud Veteris Poëtae, *Vive Ulyſſes, dum licet oculis poſtremum lumen radiatum cape. non dixit* cape, *non* pete; *haberet enim moram ſperantis diutius eſſe ſe victurum; ſed* rape *hoc verbum eſt ad id aptatum, quod ante dixerat, dum licet.* v. Tennul. ad Frontin lib. I. c. IV. §. 8. ubi ex Virgilio habet

——— *eripe nate fugam.*

& ita apud Frontinum lib. III. c. I. §. 2. *iter eripere*, ut potiores ſcripti, non *adripere*. pro eo, quod ſequitur in Maſeriana procuſum officina *miſerae retine*, vulgati plerique ante Carrionem *miſerande tene*. Florentinus Juntarum *miſerere tene*. Quomodo ex noſtris primus tertiuſque Vaticanus cum Oxonienſi & Regio. Baptiſta Pius in nonnullis adſeverat extare. *Quin potius miſeranda tene.* Sabellicus *miſer ecce tene* ex conjectura. Sed legendum ex veſtigiis veteris ſcripturae *Tu potius miſer, oro, tene.* ſic apud Naſonem Metam. III. fabula Narciſſi, pro eo, quod vulgati codices conſtanter amplectuntur, *Quo refugis? remane.* caſtigavi, *Quo fugis? oro, mane.* cum in ſcriptis nonnullis exemplaribus inveniſſem *Quo fugis? o remane. miſer en retine.* Joh. Columbus.

Verſ. 254. *tacitumque rapit*] non placet, cum mox *tacita* denuo ſequatur.

Verſ. 260. *fixaeque fremunt in limine tigres*] *fictaeque* opinor; ex aere videlicet, vel ebore. aut revera fictae aut falſae, ut apud Naſonem Metam. III. de Baccho nautas Tyrrhenos mutante in Delphinas,

Falſaque ſaevarum ſimulachra ululare ferarum.

poſſet & legi *pictae tigres*. hoc eſt virgatae; ſic *pictarum fera corpora pantherarum* eidem Naſoni.

Verſ. 265. *juveniſque comam*] cave *comas* cum

Carrione

Carrione reponas, aliter membranae noſtrae, & magis Poëtice.

Verſ. 270. *Virides velatus habenas*]. *elatus* videtur ſcribendum, in curru ſedens. ſic *elatus aquis Alcides* lib. II, 532. Simile mendum quoque ſuſtulimus lib. IV, verſ. 299. Claudianus laude Serenae.

Denique cum rerum ſummas elatus habenas
Suſciperet.

ita illic ſcripti plerique, non *delectus*.

Elati medio cum ſaliere foro.

ſic lege in Prop. lib. IV. El. v.

Verſ. 274. *linque o mihi*] ἀπροσδιόνυσον τὸ *mi*, quod Carrion hic inculcari voluit.

Verſ. 280. *Occulerat ſilvis*] pro *occuluerat* Latine non dicitur. Forte *Occultat*, *celarat ſilvis*, vel *condiderat ſilvis*. Nihil certe video, quod propius ad vitioſam ſcripturam adcedat. niſi quis malit *occulere it*. vel *obtulerat* ut lib. III. 176. *oblaturisque ferit*.

Verſ. 283. *Audet non patrios furtis accedere ſaltus*] bene hanc ſcripturam adverſus Carrionis librum tuetur Zinzerlingus. niſi quod opinor Valerium ipſum dediſſe nobis *furtiva accedere*. Carrion expreſſit *patriis buſtis accendere ſaltus*. quod, quid ſibi velit fateor me ignorare. mox pro *at fuga*, quod Baptiſtae Pii eſt inventum, ſcripti plerique *& fuga*. opinor *ut fuga*. vel *ſtat fuga*, ſed τὸ *&* recte ſe habet.

Verſ. 290. *quantas modo linquis inani Pube domos*] *Urbe domos* ſcribendum olim videbatur. Sabellicus *Puppe*, quod & Carrion ſecutus, ſed fruſtra. occurret enim eadem vox paullo poſt iterum. ſed vere Aldinus liber etiam probante Zinzerlingo,

——— *quanta modo linquis inanes*
Pube domos?

cujus ſcripturae Baptiſta quoque Pius facit mentionem.

Digitized by Google

nem. & ſic conjectabat Johannes Columbus.

Verſ. 292. *tantis poſſum retinere periclis*] jam olim placebat, *poſſum tantiſne inferre periclis?* ſed neſcio an ſatis Latine: nam *inferre alicui pericula*, quam *aliquem periculis inferre* rectius dicitur. Nunc malim *poſſum tantiſne offerre periclis*.

Verſ. 293 *ſolvimus heu ſerum furtis ſcelus*] primo peſſime Carrion ex ſuo codice *miſerum ſcelus*. Deinde *furti* Regius. ſed vere & feliciter Gronovius Obſervationum. lib. IV. cap. XII. *Solvimus heu ſerum Furiis ſcelus!* Qui illic omnino adeundus. Nec aliter videtur legiſſe Pius Baptiſta, qui *ſolvimus* interpretatur, *pendimus ſcelus Furiis debitum*.

Verſ. 295. *trahis aequore bigas*] non *aethere*, quod volunt alii. videndus ibidem loci idem Gronovius.

Verſ. 302. *praeficis arae*] *praeficit* Zinzerlingus malebat.

Verſ. 317. *ſed maxima Tethyn Proteaque ambiguum Phariis referebat ab antris Huc rexiſſe vias*] locus intricatus omnino & mendoſus: pro *Tethyn* primus Vaticanus *taeta*, Regius *maxima natu*; tres alii *maximà tete*. *maxima caete* Carrion ex ſuis membranis. pro *Phariis referebat ab antris* membranae ejuſdem Carrionis *Pharii ſe patris ab antris*. τὸ *caete* Carrionis ineptum eſt, cum paullo poſt Phocis Polyxo advectam fuiſſe adfirmet. *referebat* quoque ferri nequaquam poteſt. cum *referens* mox ſequatur. abeſt id verbum a primo & quarto Vaticano, pro eo *edebat* Regius. ſcribe,

— te, maxima Ceto,
Proteaque ambiguum Phariis fert rumor ab antris
Huc rexiſſe vias.

Ceto Ponti & Terrae filia, Phorcyos conjunx, ex quibus Gorgones ſunt natae. teſtes cum alii, tum Apollodorus. ſed & hanc ipſam Polyxo ex Ponto & mari ortam innuit Hyginus, Oceanitidumque

Digitized by Google

que facit ſororem. Lucanus libro IX. de Meduſa, 645.

Hoc monſtrum timuit genitor, numenque ſecundum
Phorcys aquis, Cetoque parens, ipſaeque ſorores
Gorgones.

ubi etiam *ceteque* in nonnullis ſcriptis. ſi mavis cum Carrionis libro, *Pharis patris ab antris*, nil obnitor, dummodo ſcribas

---- *Pharii fert patris ab antris.*

vel ---- *Phariae fert Tethyos antris.*

Verſ. 323. *Advenit, & levior Lemno Deus*] puto *en*, *levior*. ſed tutius legi cum Carrionis libro *Adveniet*. niſi mavis *Adventat*, quod verum. pro *levior* malo *melior*.

Verſ. 325. *Dum vires utero maternaque ſufficit aetas*] *maternam aetatem* ponit pro aetate partui edendo apta. Vide tamen ne ſcripſerit noſter, *maturaque ſufficit aetas*. libro primo,

---- *nedum mea proles*
Imperio & belli rebus matura marique.

Verſ. 331. *& hac prima Veneris calet ara juvenca*] forte *ad primam juvencam*. ſed verius *& hac primae Veneris*. ſupra. verſ. 136. *primam Eurynomen* ſic habes. *reddidit hac prima* Regius. niſi forte ſcripſit, *& a prima Veneris calet ara juvenca.*

Verſ. 337. *taceat jam fulmen in antro*] *jaceat* ſcribendum ſequentia confirmant.

Verſ. 346. *medio Aeſonides*] lege *medium* Virgil. I. Aeneid. 697.

---- *aulaeis cum ſe Regina ſuperbis,*
Aurea conpoſuit ſponda, mediamque locavit.

Verſ. 349. *dapibus coeptis*] *captis* probe Aldinus liber, & cum illo Zinzerlingus. poſſet & *raptis*.

Verſ. 355. *Veneri nec iniqua reverſae*] *Veneris* primus & quartus Vaticani cum Regio.

Verſ. 358. *aeternum volvens opus*] an *aetherium*? vel *alternum*?

Verſ. 360. *ſteterant*] maluerim *ſteterunt* & ſic Pius & Voſſius artis Grammaticae, II, 21.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 361. *mortales tempore gentes*] *mentes* emendandum eſſe monui notis ad librum primum Metamorphoſeon Naſonis v. 99. noſter lib. III. *trepidant mortalia longe corda metu.* pro *Terror agit* Carrion ex ſuis membranis *Tortor.* mihi vulgata ſcriptura magis arridet.

Verſ. 362. *tunc urguet enim*] *urguet opem* Pius Baptiſta cenſet caſtigandum.

Verſ. 364. *Invocat aſſiduo Saturnia ſydera queſtu*] aut fallor, aut ſcripſerat Valerius, *Saturnia foedera.* Optime videlicet Aſtraeae cum Saturno conveniebat. ſic lib. III, 290.

Te tamen ignarum tanti, miſerande, laboris
Nox habet, & nullo teſtantem foedera queſtu.

Baptiſta Pius affirmat a nonnullis legi *Saturnia foedera.*

Verſ. 366. *tenditque ad litora pontus*] aut *tendique* corrigo pro *tenditur*, aut *tendit pontum.* ut de Euro haec dicantur, atque ita legere nonnullos Maſerius teſtatur. nec aliter videtur agnoviſſe Pius Baptiſta, & Vaticanus ſecundus confirmat. in primo & quarto *pondus. trudit pontum* in Aldino libro. paullo ante opinor, *magno cum fratribus Eurus Intonat Aegeo*, non *magnis fratribus.*

Verſ. 367. *Et Lunam*] *Ut Lunam* opinor. ut inf. 401.

Verſ. 368. *longis coeptis & fluctibus arcet*] ſcribendum,

——— *longe incertis a fluctibus arcet*
Quem metus.

Nam Carrionis liber & editiones nonnullae cum Regio, *longus.* Aldinus codex, *longe.* poſſet & *inceptis a fluctibus* legi. pr. ſec. & quart. Vaticani, *longus coeptis & fluctibus arcent.* editio Pii, *longis coeptis & fluctibus arcent Qui metus. longe coeptis a fluctibus arcet* Joh. Columbus, vel *longus.*

Verſ. 374. *atque integer urbis*] ſic diſtingue. apud Horatium *integer vitae.* Neque aliter Aldina editio.

Verſ. 388. *longa quem frigida pace Terra juvat*] Codex ſcriptus Michaëlis Piccarti, & Aldinus liber *Crura juvant.* unde eleganter Gronovius Diatribes ad Statianas Silvas cap. XLVI.

——— *quem frigida pace*
Crura ligant.

nam *torpore ligari* paſſim apud Poëtas occurrit, is ipſe illic adeundus. mihi aliquando videbatur *longa cui frigida pace Terga vacant.* lib. IV. 213. noſter, *frigida raris Dentibus aret humus. frigida bello dextera* apud Maronem. & *frigida rura* apud eundem Georgicon tertio. 324. *quam frigida pace* primus Vaticanus. Vir doctus praeterea in ora Venetae editionis caſtigarat, *in laevos pes angitur orbes.* ſed perperam. pluribus haec illuſtravit dicto jam loco Gronovius. *quique in laevos piger angitur orbes* Aldus. Poſſet & ſcribi, *longa quem frigida pace Terga juvant.*

Verſ. 394. *Et facies antiqua*] *It facies* peſſime mutavit Carrion.

Verſ. 395. *& quando natorum tempora gentem Qui recolant*] *ecquando* non mutare debuerat Carrion. forte etiam *natorum pignora.*

Verſ. 396. *qui ſceptra gerant*] etiam hic infeliciter Carrion, *ſceptra regant.* Quid enim familiarius ſcriptoribus antiquis, quam *ſceptra gerere*? *regant* placebat Columbo. ſed aliter nos ad Ovidium alicubi Metam.

Verſ. 397. *vidui nunc illa ſilentia tecti Saeva magis*] *Saeva manent* quartus Vaticanus & Regius, quod & Pius ex ſuis monuit. in primo Vaticano *ſaevamat.* Carrion ex ſuo *ſaevit amor.* vulgatum non debuit ſollicitari. pro *tecti* mallem *lecti.*

Verſ. 398. *excuſſaque vincla quod auſae Imbuere*] Corrigendum vel invitis membranis *Induere.* ſic *induere laqueos* Ciceroni Verrina IV, *Hic videte in quot laqueos ſe induerit, quorum ex nullo ſe umquam expedierit. induere compedes* Plinio libro XXXIII.

cap.

cap. XII. *torquem induere* auctori de viris illuſtribus. ſubodoratus eſt quoque veram ſcripturam Zinzerlingus.

Verſ. 405. *Si portus fugeret ratis*] *Sic portus* probe Aldinus codex cum Carrionis libro. *quierunt* etiam malo, quam *quierant*, paullò ante cum Aldo & Carrionis libro. perperam is interrogationis notam addidit etiam in ſequentibus.

Verſ. 411. *Preſſit acu*] pro *expreſſit*. ſimplex pro compoſito. Deſinant igitur Maſerius, Zinzerlingus, & alii obtrudere nobis, *Pinxit acu*, jam damnatum a Baptiſta Pio.

Verſ. 412. *viridis circum horrida tela Silva tremit*] *viridi tela* opinor.

Verſ. 416. *mox aethere laetus Adſtabat menſis*] *laetis menſis* me judice praeſtiterit. *laetae menſae* apud Poëtas ſaepe occurrunt. illud Statii Hercule Epitrapezio Vindicis

——— *Pellaeus habebat*
Regnator laetis numen venerabile menſis.

Verſ. 420. *ſit comes*] *ſim* ſcripti. non male. poſſet & reponi *ſint comes.* apud Maronem Andromache, III. 486.

Accipe & haec manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, puer.

Verſ. 431. *Tunc tenus it Lemnos tranſitque Electria tellus*] ſcripti plerique *tranſita Electria tellus.* & *tenuis Lemnos.* Forte,

Tunc, tenui Lemno, tranſiri Electria tellus.

vel *tranſire. tenus it Lemnos* ex conjectura Baptiſtae Pii promanavit; *tranſit Lemnos tranſitque*, Johannes Columbus.

Verſ. 439. *Hactenus in populos vates Samothracia Divum Miſſa mane*] optime Carrionis liber *vates Samothraca diemque*, quod ille tamen non eſt adſecutus. veram ſcripturam vidit Giphanius indice Lucretiano in *Religio.* Primus Vaticanus & tres a-

Digitized by Google

lii *vates Samothraca divum*. mendoſe. *mitti in populos & diem*, quomodo apud Lucanum libro x.

---- potuit diſcrimine ſummo
Caeſaris una dies in famam & ſaecula mitti.

apud Silium lib. VI. ſub finem,

Haec mitte in populos & adhuc majora dabuntur.

apud eundem lib. II.

Extendam lethi decus atque in ſaecula mittam.

tentavit poſt alios hunc Valerii locum infeliciter Salmaſius ad Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores p. 32. corrigendo *vates Samothraca Deûmque Myſta mane.* ut Thyotes ſit faeminae nomen. quod falſi manifeſte convincit Apollonius Rhodius. deinde *in populo miſſa* elegans eſſe, nec ſollicitandum jam demonſtravimus. Sed ſagaciſſimus Gronovius noſter omnia nitori priſtino jam aſſeruit, & erudite eſt interpretatus libro primo Obſervationum, capite XV. *vatem* tamen *Samothracam* in *Samothracam matrem* nolim mutari. Nam & *Delius vates*, & *vates Carpathius* pro Apolline & Proteo Maroni dicuntur. *Delius* quoque *vates* apud Silium occurrit lib. XII. & *vates Garamanticus* lib. XIV. pro Hammone. Arnob. lib. III. *Latonius vates. Quid cuique craſtinus dies feret, Latonius explicat & aperit vates.* & *Cirrhaeus vates* apud Juvenalem Satyra XIII. pro eodem Apolline. atque ita alii etiam Poëtae non raro. Aldinus codex hic vehementer turbat, ut & liber Regius, in quibus,

Hactenus in populos vatem Samothacia ditem
Sola habuit, vetuitque ſuis arcana colonis
Scire, nec in numero coeleſtia promere dicta,
Jäſius voluit pater: at vos numine dextro,
Miſſa manent, ſacriſque metum ſervemus opertis.

Quae ab Interpolatoris manu conficta eſſe nullus dubito.

Verſ. 442. *jam quas praeviderat urbes*] *providerat* Oxonienſis & quartus Vaticanus cum editione Pii.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 448. *Caſtra levat*] quia *levibus velis* praeceſſerat, rectius videtur fore, *Caſtra locat.* pro *tracto ſaxo* forte rectius *trito.* vide annotata noſtra ad illud Naſonis in Faſtis IV. 795.

Pars quoque cum ſaxis paſtores ſaxa terebant,
Scintillam ſubito deſiluiſſe ferunt.

Ita & Lucretius non ſemel. niſi mavis mox infra, *tritu ſtrictum de cotibus ignem.* Cicero lib. II. de Nat. Deor. *Nam & lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus. tacto ſaxo* Regius.

Verſ. 449. *ſtrictu alius de cautibus ignem Oſtendit foliis*] *tritu alius de cotibus* videri ſcribendum monui, & pluribus adſtruxi lib. IV. Faſtorum Naſonis v. 795. quae adeantur. *Oſtendere ignem* etiam libro tertio habes apud noſtrum v. 602. *ſtrictae* tamen *cotes* hoc loco defendi commode poſſunt. Putabam aliquando

Extundit foliiſque & ſulphure paſcit amico.

vel

Excudit.

Verſ. 451. *litora blando Anfractu ſinuoſa*] *pando anfractu*, ſi quid video. hoc eſt curvo anfractu. *curva* paſſim litora poëtis dicuntur. de voce *panda* pluribus egi ad Naſonem non uno loco.

Verſ. 452. *vox adtigit aures*] Primus Vaticanus & alii duo cum Oxonienſi & Regio, *accidit aures.* ita paſſim quiſque elegantium auctorum. *accidere ad aures* etiam habes apud Livium. noſter libro IV, verſ. 580. *vox haec ſimul accidit aures.* ita & illic ex veſtigiis veterum membranarum caſtigandum, in quibus *excidit* & *exciit. Accidere ad aures* Attius apud Nonium & Lucretius dixerunt.

Verſ. 453. *cum fracta remurmurat unda*] *ceu fracta remurmurat unda* corrigendum. hinc *plangi litus* dicitur.

Verſ. 464. *ad primos ſurgentia lumina fluctus*] *turgentia lumina* opinor, lacrimis videlicet. idque codex Regius manifeſte confirmat, addita gloſſa,

 i. e.

i. e. *lacrimantia.* Poſſis & *uventia lumina.* ſic *lumina gemitu turgentia* Propertio dicuntur. ſequentia confirmant de moerenti ebore. *Surgentia flumina* in Carrionis libro, primo Vaticano aliiſque tribus. Idem Vaticanus *fluctus.* ſed *flectus*, unde *fletus*, alii duo. Oxonienſis *ſurgentia flamina fletus. ſurgentia flammea* caſtigabat Sabellicus.

Verſ. 466. *multa tamen arte coactum Moeret ebur*] *coactum moerere.* pro *moeret* pri. Vaticanus *meret.* tres alii *me &c.* Naſonis manifeſta aemulatio eſt, qui de Andromeda Metam. IV.

---- niſi quod levis aura capillos
Sparſerat, & tepido manabant lumina fletu,
Marmoreum ratus eſſet opus.

apud Silium quoque ex MSS. *moeſtum Marmor.* I. 86.

Verſ. 469. *Quae mors iſta, doce*] *Quae ſors iſta* ſcribendum ſolemnis error. v. notas ad Silium lib. XIV. 630. mox pro *Illa tremens*, forte rectius fuerit *premens*, oculos nimirum, quod ſequitur. ſupra habuimus *Tantum oculos preſſere viri.*

Verſ. 473. *oſtro ſcopulos auroque frequentes*] an *rigentes* quomodo apud Maronem?

Verſ. 480. *primaeva furenti Huic manus*] *Huic nurus* corrigit Pius, ut de ipſa Heſione intelligatur. perperam.

Verſ. 482. *hoc ſortes, hoc corniger imperat Hammon*] aut *huic* bis repetendum, aut *hic.* hic vero cum *ſortes* habeas, ſequenti proxime verſu τὸ *ſortita* minus concinne videtur poni. Forte *ſubituraque Lethen Corpora.*

Verſ. 488. *noſtrae ſalutis*] *ſaluti* maluerim.

Verſ. 494. *facies moeſtiſſima capti*] a monſtro marino inſeſſi. praeſtiterit tamen *vaſti* vel *caſſi Litoris*, vel *aperti*: ſcriptum forte erat *apti.*

Verſ. 498. *Sigeaque peſtis*] *priſtis* nil opus reponi, cum ea vox infra denuo ſubſequatur. *peſtis* quidquid noxium & perniciofum. ſic *peſtis Nemeaea* poëtis paſſim dicitur Nemeaeus Leo, ab Hercule interfectus.

Verſ.

Verſ. 502. *paſſuſque ſinu rapit ardua cervix*] an ſcribendum *paſſus ſinus?* ut *laterum paſſus* apud Statium Equo Domitiani. ſed tutius Carrionis libro ſubſcribere, in quo *paſſoſque ſinus*.

Verſ. 505. *Litoribus ſua cogit hiems*] an *cingit?*

Verſ. 507. *patriiſque manus cum plenus habenis*] *patriiſque minax* Bulaeus. ſed male. Graeciſmus eſt.

Verſ. 513. *inſiluit ſcopulo*] lege *ſcopulos*.

Verſ. 518. *ſcopuloſaque terga*] Nimis hoc poëticum de ſcopuloſis tergis. Forte *ſcrupoſaque terga*. idque verum eſſe arbitror; neque aliter videtur ſcribendum initio Achilleidos Statianae, ubi pari omnino nunc peccatur modo.

---- ſcrupoſaque caete,
Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur.

Adpoſite Ennius Andromeda apud Nonium,

Scrupeo inveſtita ſaxo, atque oſtreis ſquamae ſcabrent.

ubi agi de bellua marina, cui objecta fuerit Andromeda, non eſt dubium, cujus terga *conchis ſuperobſita* Naſo etiam deſcribit. tamen praeſtiterit in Enniano loco *inveſtitae*, ut ad *ſquamas* referatur. hinc *oſtreatum tergum* Plauto, hoc eſt ſcrupoſum, & aſperum, Poenulo Act. I. Scen. II.

Itaque jam quaſi oſtreatum tergum ulceribus geſtito.

Papias, *ſcrupoſa, ſpinoſa, aſpera*. Idem: *ſcrupea, ſaxa, aſpera nigra, lapidoſa, vel glarea*. Feſtus Avienus deſcriptione orbis, ubi de monſtris marinis agit,

---- ſervent Erytraei marmora ponti
Tota feris haec ut rigidi juga maxima montis
Nubibus attollunt latus omne, & terga tumeſcunt,
Inſtar in his rupis ſpinae tenor arduus adſtat,
Molibus in celſis ſcrupus quoque creber inhorret.
Ah ne quis rapidi ſubvectus gurgitis unda,
Haec in terga ſali lembum contorqueat umquam!
Ah ne monſtrigenis hoſtem licet inferat aeſtus
Fluctibus.

Digitized by Google

Ita totus locus caſtigandus peſſime vulgo adfectus. verſu quinto *ſcrupus* pro *rupis* indubitata conjectura repoſui. Cogitabam etiam *Tergoribus celſis ſcrupus inhorret*, ſed id a recepta lectione paullo longius abit. *ſcrupi* vox frequenter apud eundem Avienum occurrit. *ſcrupea ora* dat Iſmeno fluvio Statius Thebaidos lib. IX.

Illum per ripas annoſo ſcrupea limo
Ora exſertantem ſylvae fluviique minores
Mirantur.

ſaxa ſcrupoſa. Lucano V.

Scrupoſis anguſta vacant ubi litora ſaxis.

Apulejus Metam. VI. *ſuper aliquod ſcrupoſum ſaxum ſartilem aſinum exponere.* Marcianus Capella libro IX.

Quippe ſcrupoſis fateor laſſata ſalebris
Inſuetis laetor maeſtificata modis.

Qui verſus vulgo mendoſiſſimi circumferuntur *ſcrupoſam commeare viam* habes apud Plautum Captivis Act. I. Scen. II. *ſcrupoſum* gloſſae veteres interpretantur στυραγγώδες. ſed male *ſcrupuloſum* illic legitur. apud eundem Feſtum Avienum,

Ab Xanthi ripis atque Idaeo Simoente,
Inter Cauricrepas & ſcrupoſas convalles,
Tranſvexere larem.

Sic & illa corrigenda. *Scrupoſi montium vertices* eidem ora maritima. & *ſcrupea montium faſtigia.*

Verſ. 519. *Intremere Idae*] *Ide* legendum, atque ita codex Regius cum priſcis editionibus; neque aliter infra verſ. 583. ſcribendum. Carrionis liber *Idem*, etiam primus Vaticanus & duo alii ex noſtris. deinde corrigendum *Inlidique ratis*, non *rates*, cum de Argo intelligendum ſit. atque ita priſcae editiones cum Baptiſta Pio. qui *arces* legi a nonnullis aſſeverat.

521. *Occupat Alcides arcum*] imo *arcu.* belluam videlicet lib. III. 168.

Occu-

Digitized by Google

Occupat os barbamque viri, clavaque ſuperne
Intonat.

& lib. VI. 198.

——— *prior occupat aera Citaeae*
Caſſidis ima Melas.

ita ſcribendum. vulgo *aere citato.* lib. VII.
Occupat amplexu Venus, & furialia figit
Oſcula.

ſic & alibi non ſemel. Idem & Johanni Columbo venerat in mentem. Ovid.

——— *rutro celer occupat auſum.*

Verſ. 522. *quam ſede movetur Magnus Eryx*] jam dudum *moveri* ſcribendum ſubodoratus ſum. quod confirmat vetus editio Veneta & Maſeriana. Primus & quartus Vaticani cum Oxonienſi *moventi.*

Verſ. 523. *deferre velint*] *differre* Johannes Columbus, disjicere per valles.

Verſ. 547. *tum celſior armis*] lege *armos*, ut perſiſtat in Graeciſmo. Carrionis liber *artus.*

Verſ. 561. *Noſter ades, junctuſque venis*] *veni* veterrima Bononienſis editio. *junctiſque* ed. Pii.

Verſ. 563. *piacula patrum*] *matrum* maluerim.

Verſ. 564. *quam parva tuis jam gloria coeptis*] *quam parta* opinor. Adi notas lib. I, 173. ſic & libro III. *parta jam laude tumens.* & lib. VII. v. 291.

---- *ſat fama meis jam parta venenis.*

Verſ. 568. *tacituſque dolos*] *tacitoſque* praetulerim, id eſt occultos, tectos.

Verſ. 570. *ereptaque luat reſponſa pharetra*] hoc ex conjectura Baptiſtae Pii. *levet* videtur revocandum, quod in ſuis codicibus invenit Maſerius. lib. III. 406.

---- *atraque ſedens in veſte Celeneus*
Inſontes errore luit.

ubi pari modo ſcribendum *levat.* fuit cum *pius reſponſa* caſtigarem.

Verſ. 572. *Priami ſed quiſnam vertere regni Fata queat?*] *regnis* Carrionis codex & primus ac quartus Vaticani. etiam veterrimus Baptiſtae Pii. ſcribe, *ſed quiſnam avertere regnis Fata queat.* conſule notas lib. 1. verſ. 66. mox pro *nox Duria*, ſcripti noſtri magna ex parte *nox turica*, unde Politianus in Miſcellaneis *nox Durica.* ſed *nox Dorica* verum eſt. quam lectionem & Carrionis liber exhibet cum ſecundo Vaticano Regioque, &, qui mihi pluris eſt, doctiſſimus Gronovius l. 1. Obſervat. c. 11. adſeruit. etiam in Lucretium Giphanius, & Gevartius ad librum primum Silvarum Statii, cap. XXIII. meminit ad haec Pius Baptiſta quorundam, qui ſic legant.

Verſ. 577. *tum vero plura vocatis Adnuit ille Deis*] haec nihili ſunt. male etiam Carrion in poſteriori editione *Adnuet ille dies.* ſcribe, *tum vero in verba vocatis Adnuit ille Deis.* Naſo Faſtorum V. ubi Hyrieus ad Jovem & Neptunum de uxore ſua,

Huic ego juratus, vobis in verba vocatis,
Conjugio, dixi, ſola fruêre meo.

Non diſſimilia illa apud Maronem libro VII,

Haec ubi dicta dedit Divoſque in vota vocavit.

& lib. XII.

Dixit; opemque Dei non caſſa in vota vocavit.

apud Silium libro XIV.

--- *divis in vota vocatis*
Aequoris.

Seneca Oedipo,

In vota ſuperos voce ſolemni voca.

poſſis etiam *ture vocatis*, vel *& plura.* plura promiſſis dona.

Verſ. 581. *veteres tumulos prolabitur Ili*] *veteris Ili* ſit concinnius. ut ſupra. 473. *Nos Ili veteris quondam genus.* atque ita Maſerius.

Verſ. 582. *vigili ſimul omnia ludo Feſta vident*] a Valerii manu eſſe arbitror, *vigili ſollemnia ludo Feſta. Feſtum ſollemne* apud Naſonem Faſtorum II.

Digitized by Google

11. Feſtus *ſollemnia ſacra dicuntur, quae certis temporibus anniſque* (lego, *anni*) *fieri ſolent.*

Verſ. 583. *ſacris hinc ignibus Idae*] *Ide.*

Verſ. 587. *ſine nomine*] inſulſe Carrion *ſine numine.* Adludit ad nomen Helleſponti. *nomine* etiam ſcripti potiores ex noſtris.

Verſ. 591. *dum ſternit aquas*] *tum* ſcribe.

Verſ. 594. *Regna infeſta domus*] *domos* Oxonienſis; forte pro *domo.*

Verſ. 595. *iterum Aeolios fortuna nepotes Spargit*] *penates* Carrionis liber. recte. ſed quod ille ex Maronianis hiſce, *ſparſi fraterna caede penates*, ſcripturam codicis ſui conatur adſtruere, toto coelo aberrat. aliud enim ſparſi, aut disjecti exilio penates, aliud ſanguine reſperſi.

Verſ. 600. *hic prima pio ſollemnia Phrixo Ferte manu*] Carrion ex ſuis membranis, *celeres hic prima piacula Phrixo Ferte manu.* infeliciter. cum *celeri manu* mox denuo ſequatur. niſi relictum forte a Valerio contendis, *celebres Ferte manus.* vel *celebris manus. celebres* pro frequentes.

Verſ. 620. *ſtupuitque fragore Janus & occiduis regnator montibus Atlas*] *fragorem* Carrionis liber. ſed quis hic *Jano* locus? miror mendum leve tot fugiſſe interpretes. ſcribendum videlicet *Canus Atlas.* Cur *Canus* dicatur hic mons Valerio, non eſt quod quaerat, qui ejus deſcriptionem legit attente apud Maronem, cum & ſenex illic inducatur & perpetua nive obſitus. *Nix humeros infuſa tegit.* Plinius, ubi ex profeſſo agit de hoc monte, & ex relatione Suetonii Paulini, media etiam aeſtate nivibus oblitum deſcribit. Solinus de eodem *vertex ſemper nivalis.* Hinc Statio Via Domitiana, *Et Nili caput, & nives Atlanti.* Seneca Thyeſte,

---- Cythaeronis juga
Stant parte nulla cana depoſita nive.

Noſter lib. VI.

Qualis ubi ora gelu magnoque incanuit imbre
Caucaſus.

Claudianus Gigantomachia,

Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit,
Vertice canitiem glacies aſperrima durat.

ſic corrigo. vulgati *Et per canitiem.* & hoc pleriſque montibus peculiare. de Aetna Solinus: *Canitie perpetua brumalem ſervat faciem.* in Creta inſula λευκὰ ὄρη (*montes albos* Plinius nuncupavit) inde dictos Geographi volunt, quod *numquam inde nives abſint*, ut Plinianis utar verbis. Idem lib. VI. cap. XVII. Caucaſum montem a Scythis dici *Graucaſum* hoc eſt, nive candidum, teſtatur. eadem de cauſa *Argaeum* Cappadociae montem mutuari nomen Strabo contendit: vide quae notavimus ad Ovid. Faſt. V. verſ. 83.

Verſ. 627. *celſique vident velamina templi*] *molimina* opinor. etſi minime ignoro vela in templis appendi ſolita. Servius ad illa Virgilii Aeneidos IV.

Praeterea fuit in tectis de marmore templum,
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis, & feſta fronde revinctum.

Ritum veri & venerabilis templi, mariti templum obtinere cupiebat: Templa enim velamentis religioſa monſtrantur. pro *Urbe ſuper* etiam cenſeo ſcribi oportere *Rupe ſuper.* inf. IV. 109.

---- *ea Neptuno trux ipſe parenti*
Sacrifici pro rupe jugi.

Verſ. 637. *nova ſigna carinae*] παράσημον innuit. Putabam nihilominus aliquando *novatigna.* de quibus copioſe egi ad Naſonem lib. XIV. Metam. v. 534.

Verſ. 641. *dextraque amplexus.*] forte *dextraeque inplexus.*

Verſ. 643. *Longaque jam populis*] locus corruptus. *nec populis* Aldus. Forte

Longe abit, aut populis impervia lucis Eoae.

quo-

quomodo apud Claudianum, *quae ſic ſeceſſit regio.* vel *Non ea tam.* vel

Non ita jam populis impervia lucis Eoae.

Verſ. 650. *laetoſque rapit.*] malim *laetuſque.*

Verſ. 660. *utinam nunc ira Pelaſgos Afferat*] *Efferat* Carrionis liber. ſcribe, *ira Pelaſgos efferet.* hinc *ira effera* libro v. *ſciat effera regis Ira mei. efferare* quoque habes libro vi. *potaque Gerys quos efferat unda.* Seneca Phoeniſſis, *quid eſt quod te efferarit.* Hinc adſerendus Apulei locus vexatiſſimus Metamorph. v. *Parietes omnes argenteo caelamine conteguntur, beſtiis & id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium. Mirus prorſum homo, imo ſemideus, vel certe Deus, qui magnae artis ſubtilitate tantum efferavit argentum.* elegantiſſime profecto, ſi quid aliud: & tamen viros etiam doctiſſimos, quod mirere, locus hic exercuit, variiſque conjecturis fuit obnoxius. *efferatum argentum* vocat, quod ferarum varias exprimebat figuras. non diſſimiliter omnino Statius Achilleide,

---- *raptum templis Mars efferat aurum.*

quod in uſus bellicos refingebatur. Solinus cap. xxxviii. de Tauro monte, *Quidquid Septentrioni oppoſitum eſt vento tunditur & pruina. Quod Silveſtris eſt, efferatur plurimis beſtiis & leonibus immaniſſimis.* Rurſus idem cap. l. *Poſt Anthropophagi gens aſperrima, dein ſpatia ſaeviſſimis beſtiis efferata.* In Apuleii loco cave Lipſium audias reſtituentem *tantum efferavit argumentum*, aut Priceum, qui malebat *effigiavit argentum. argumentum* recte dicitur, quoties hiſtoricum aliquod exhibetur aut pictum in tabula, aut intextum telae, quod hic locum non habet, ubi de feris agitur ſolummodo. *Argumentum* in illis Maronianis locum habet Aeneidos ſeptimo.

At levem clipeum ſublatis cornibus Iō
Auro inſignibat, jam ſaetis obſita, jam bos.
Argumentum ingens,

Si quid in Apulejo mutari feram, caſtigarim libens, *tantum efferavit argenti.* Quomodo & poſtea eodem libro corrigendum videtur, *quantum praeterea paſſim calcatur auri.* Lactantius libro primo de falſa religione de Bellonae ſacerdotibus: *Sectis namque humeris & utraque manu deſtrictos gladios exerentes currunt, efferantur, inſaniunt.* non *efferuntur.*

NICOLAI HEINSII,

ANIMADVERSIONES

IN

LIBRUM III.

ARGONAUTICON

C. VALERII FLACCI.

Verſ. 1. T*ertia jam gelidas Tithonia ſolverat umbras Exueratque polum*] *gelidis umbris* vel *gelida umbra* rectius videtur fore. Aurora umbris ſolverat & exuerat polum. niſi *polo* mavis. Certe Statius Thebaid. x.

---- *nondum totas lux ſolverat umbras,*

& Lucanus lib. 1.

---- *gelidas noctis lux ſolverat umbras.*

Caeterum quod ad Naſonem in Faſtis IV. 943. monebam, ubicumque apud Poëtas *Tithonia* ſimpliciter ponitur pro Aurora, non addito *conjunx*, vel

vel quid ſimile, ibi *Titania* videri reponendum, id nunc aliter videtur, quod frequenter *Tithonia* in ſcriptis Poëtarum Aurora nuncupetur, nec ſit vero ſimile, librarios tam pertinaciter impegiſſe. *undas* Baptiſta Pius in vetuſtiſſimo codice monet legi.

Verſ. 2. *Tiphyn placida alta vocabant*] *placita alta* corrigendum videri, diximus jam ſupra lib. I. v. 265.

Verſ. 4. *Aeneade*] maluerim *Aenidae*. ab Ἀινεὺς Ἀινείδαι, ut a Θησεὺς Θησείδαι, ab Οἰνεὺς Οἰνείδαι. Neque aliter Aldinus codex. idque ipſum Laurentio Balbo & Andreae Schotto jam ſuboluiſſe video. ſic ab *Aenea Aeniden* derivavit Virgilius Aeneidos nono.

Verſ. 9. *oneratque ſuperbis Muneribus*] Haec a vulgatis libris aberant. quae nos ex Aldino codice revocavimus. Nam quod Carrion probabat ex ſuo, *cui tradit amicis Muneribus*, minus ſatisfacit. Virgilianum eſt *onerare donis* Aen. III.

Textilibuſque onerat donis.

libro X.

---- tua larga
Saepe manu multiſque oneravit limina donis.

Silius libro III,

Exin clavigeri veneratus numinis aras
Captivis onerat donis.

muneribus onuſtus apud Apulejum non ſemel. Claudianus Epithalamio Honorii.

Certatimque novis onerant connubia donis.

ubi *ornant* perperam in nonnullis ſcriptis.

Verſ. 13. *ipſe ducis pateras & Theſſala contra Frena capit*] *paterae* & *frena* minus bene conjunguntur. Puto, *Phaleras & Theſſala contra Frena capit*, exaratum primo fuerat *paleras*. hinc *pateras* factum. *Phalerae* & *frena* munus homini Theſſalo conveniens. Theſſalia enim primos equites dediſſe credita. Supra libro primo de Caſtore habuimus.

Ora-

Digitized by Google

Oraque Theſſalico doctus contundere freno.
ſupra lib. I. v. 660.

Aeſoniamque capit pateram, quam munere gaudens.
Liquerat hoſpitio pharetraſque rependerat auro.

Ubi etiam *phaleras* puto reſtituendas. eſt autem imitiatio Virgiliana lib. IX. 359.

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula Tiburti Remulo ditiſſimus olim
Quae mittit dona, hoſpitio cum jungeret abſens
Caedicus.

Verſ. 14. *manibuſque datis junxere nepotes*] *penates* vere & eleganter doctiſſimus Gronovius lib. IV. Obſ. cap. XXI. qui videndus.

Verſ. 17. *rerumque vias*] *rerumque vices* cave corrigas, quod quidam volunt lib. IV.

Fata locoſque (tibi poſſum quas ſolvere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.

Propertius lib. II. El. XXXIV.

Quid tua Socraticis tibi nunc ſapientia chartis
Proderit, aut rerum diſcere poſſe vias.

Verſ. 19. *movit Erinnys*] an *morit?*

Verſ. 34. *velo Proconeſſon*] ita Carrionis liber. Vulgati *veloque Troneſon.* primus Vatic. cum tertio quartoque & Regio, *veloque Procneſſon.* optime. quomodo Gronovius conjecerat debere corrigi Obſervat. libro IV. cap. XXI. nec aliter ex ſcriptis Pius Baptiſta. vel etiam, *Pronecton* ex Stephano Byzantio.

Verſ. 35. *Et te jam medio flaventem Rhindace ponto*] Carrionis liber *Et coeam*, unde Gronovius *Et te etiam.* malim *Teque etiam.* In primo Vaticano *Ecce jam.* pro *Rhindace* noſtri codices cum Carrionis libro *Rundace.* hoc eſt *Rhundace.* Graecis Ῥύνδακος eſt.

Verſ. 36. *fracta Scylacaeon ab unda*] lege *ſcyllaceon* ſine diphthongo. σκυλακεῖον Graecis. poſſis etiam *fracta ſcylaceion unda.* idque verius opinor: nam

nam in Carrionis libro *fracta Scyllaceon unda.*

Verſ. 41. *reſolutaque puppis*] ſcribendum *revolutaque.* ut ad Ovid. Metam. x. v. 63. notavimus. Apollonius quoque in hac deſcriptione, ἀλλὰ θύελλαι Ἀντίαι ἁρπάγδην ὀπίσω φέρον. Si quis tamen cum Carrionis libro & primo Vaticano maluerit, *ſolutaque puppis,* nil repugno. quam lectionem erudite, ut omnia, Gronovius illuſtravit Obſervat, libro IV. cap. XXI. idem, *demittique oculi* ibidem reponit, pro *dimittique oculos.* ſed vera ſcriptura eſt,

---- cadere inſcia clavo
Dextera, demittique oculos.

eleganti Graeciſmo, Tiphys oculos demittitur. nam in priſcis editis *demittitque.* libro VIII. noſter pari Graeciſmo,

---- an lumina ſommo
Vergitur, & domitum potius tibi tradimus anguem?

ubi *mergitur* peſſime nunc circumfertur. plura illic ad rem. infra paullo poſt, *miſerae declinant lumina Thebae.* monet praeterea Pius non deeſſe, qui legant *inſita clavo Dextera,* invitis membranis. mox male Politianus *aethere longe.*

Verſ. 48. *quem lucis ad horas Antra tenent*] *lucis ad ortum* Carrionis liber. *ab ortu* opinor, vel, *ab horis. ad oris* primus & quartus Vaticanus cum Oxonienſi. *ab oris* Politianus agnoſcit in Miſcellaneis.

Verſ. 50. *torvae coma ſibila frontis*] intelligere videtur pineam comam: pineam enim coronam Panis capiti impoſitam fuiſſe quis neſcit? de qua Maro & Silius Italicus lib. XIII. niſi *coma pinea* legendum. ſed vulgata ſcriptura non eſt movenda. Naſo I. Met. 699.

Pan vidit hanc, pinuque caput praecinctus acuta.

Faſt. I. de Pane.

Pars tibi qui pinu tempora nexa geris.

Lucretius libro IV.

---- cum

Digitized by Google

---- *cum Pan*
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans.
ubi pro *velamina*, mallem *vallamina.* ita paſſim Poëtae etiam alii. arbores *ſibilare* dictae. Catullus in Phaſelo.

Ubi iſte poſt phaſelus antea fuit
Comata ſilva: nam Cytorio in jugo
Loquente ſaepe ſibilum edidit coma.

Verſ. 54. *non triſtis ab aethere Gorgon*] nihil Gorgoni cum aethere. Si genium Valerii noſtri capio, ſcripſerat ille, *ab aegide.* Gorgonis caput Palladi pro aegide. infra

Stat manus, aegiſono quam nec fera pectore virgo
Diſpulerit.

Lucanus lib. VII.

Pallas Gorgonios diffudit in aegida crines:

de aegide Gorgonea Palladis res notior, quam ut pluribus debeat adſtrui. vide quae notamus ad Ovid. Metam. V. 195. ubi & docuimus pro *tantis*, legendum *tacitis umbris.*

Verſ. 61. *paſſuque movens orichalca ſonoro*] *flatuque* Aldus.

Verſ. 68. *Aſtra ruit*] *Antra* corrigebat Pomponius Laetus, teſte Baptiſta Pio.

Verſ. 70. *nec pone moratur.*] an *ponte?*

Verſ. 71. *quae prima furenti Advolat*] *parenti* liber Carrionis, pro *paventi.*

Verſ. 76. *Hoſtis & exciti*] Nihil cauſae erat, cur hunc verſum, qui in Carrionis codice extabat, non admitteremus.

Verſ. 78. *movitque ratem*] *monuitque* Codices noſtri & Carrionis liber, etiam quos conſuluit Bapt. Pius. probe, ſi conjungis cum τῷ *rapere arma.* Aldus *cur pervigil armet* praecedenti verſu. quod & Pius Baptiſta in nonnullis libris invenit.

Verſ. 84. *non ſegnius ille*] *non ſecius* videri ſcribendum monui ad Ovidium lib. II. Metam. v. 809.

Verſ.

Verſ. 88. *& denſis thoracibus horrens Stat manus*] perperam Carrion ex ſuo codice, *thoracibus horrent. Stat manus.* monet & Pius nonnullos legere *haerens*, ſed contra ſcriptos.

Verſ. 90. *umbonibus haerent*] *urguent* in ſcriptis.

Verſ. 91. *Caeruleo veluti cum Juppiter agmine nubem Conſtituit*] *Conſtipat* opinor.

Verſ. 96. *Saxa faceſque atras*] *paceſque* pri. Vatic. quartus *piceſque.* male. haec illuſtravi ad Maronis librum primum Aeneidos v. 150.

Verſ. 97. *iraſque retentat*] *retentant* ex ſcriptis. mox *Eurytos*, non *Eurytus* in Regio.

Verſ. 101. *ſubitum ceu paſtor ad amnem*] malo: *praeceps ſubitis ceu paſtor ad amnem Spumantem nimbis.*

Verſ. 105. *ſubit ilia cuſpis Ochenii*] *Olenii* Carrionis liber. recte. quamquam ipſi Carrioni non intellectum. *Olenius* a patria Tydeus dicitur. quomodo & Statio Theb. primo. monui libro VIII. Metamorphoſeon Naſonis. v. 281. ſic apud Apollonium

Σὺν δὲ Παλαιμόνιος Λέρνου παῖς Ὠλενίοιο.

male Alardus pro nomine illud ſumit, cum ſit Patronymicum. *Olenius* viri nomen lib. II. 163. occurrit. paulo ante pro *Experiar*, recte Carrionis codex *Opperiar.* noſtrae membranae aſſentiuntur. paulo ante *Et Tydeus* recte ſcripti, & priſcae editiones.

Verſ. 106. *purpuream ſingultibus expulit haſtam*] *expuit auram* reponi maluit Zinzerlingiis ex Aldino codice. qui videndus. eam caſtigationem ſibi poſtea vindicavit Alardus. an *purpureum amnem*, vel *purpuream undam expuit?* ut apud Maronem, *Sanguinis ille vomens rivos cadit.* ſed & *aura* pro *ſpiritu.* Seneca Phaeniſſis. v. 44.

Tandem ſpiritum inimicum exſpue

Digitized by Google

ubi plura ad rem accuratiſſimus Gronovius. tale & illud Thyeſtae.

Ferro peremptus ſpiritum inimicum exſpuat.

ita enim utroque loco optime membranae. & Hercule Oetaeo eaedem,

Ictus ſagittis qui tuis vitam exſpuit.

de Iracundia idem Seneca, *jam ipſum ſpiritum exſpuimus, interea dum trahimus. purpurea aura*, ut apud Maronem

Purpuream vomit ille animam.

πορφύρεος θάνατος Homero Iliad. E. ubi Hypſenor ab Eurypylo occiſus deſcribitur.

———— τὸ δὲ κατ' ὄσσε

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

Verſ. 114. *Geniſo*] *Genyſo* ex ſcriptis. ſic & *Cotys* & *Tyrno* paulo ante, non *Cotis* & *Pirno*.

Verſ. 118. *chlamys inbelli circumdedit oſtro Torta manum*] *circumvenit* cum Carrionis libro, primo Vaticano & Regio. libro primo noſter,

---- *vacua nam lapſus ab arbore parvum*
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis.

Plura ad Maronem dixi libro VI. Aeneidos v. 132. ubi ex auctoritate membranarum veterum corrigendum quoque,

Cocytuſque ſinu labens circumvenit atro.

Verſ. 119. *nec vina dapeſque remota, Statque loco torus in quo omnes manſere miniſtri*] *remotae* ex ſcriptis. & *in quo omen manſere.* locus mendo haud dubie inquinatus. Forte *inque domo manſere miniſtri. maſere miniſtri* primus Vaticanus. an omen in eo, quod torus loco reſtabat. nam & mortui in toro componebantur. Tacitus de Britannici morte & Agrippinae Neronis, *Agrippina convivali lecto cremata.* Annal. XIV. cap. IX. poſſet & ſcribi, *idque omen ſenſere miniſtri.*

Verſ. 120. *Inde vagi, nec tela modis, nec caſibus iiſdem Conſeruere manus: longe & jacuere perempti*] ſcripti noſtri potiores *Conſeruere manu, & longe,* quo-

quomodo & Carrionis liber. Sed ſi manſerunt domi Medontis famuli, quomodo hic manum conſerunt, & occumbunt hic in praelio? Aut excidit aliquid, aut videtur ſcribendum,

Inde jaci nec tela modus, nec caſibus iſdem
Conſeruere manum, & longe jacuere perempti:

jaci modus tela, pro modus telis jaciendis. niſi *adigi* legere malis. ſic & alibi, *adigere tela. caſibus idem*, non *iſdem* in ſcriptis noſtris omnibus.

Verſ. 127. *Thamyrum*] malo *Thamyram* vel *Thamyrim*. quae nomina ſunt Graeca.

Verſ. 131. *quem Jupiter alte Crine tenet*] *alto Crine* Bulaeus. ſed nil neceſſe. adeantur, quae notamus ad Naſonem Epicedio Druſi. v. 3.

Verſ. 133. *Tollitur hinc totuſque ruit Tirynthius arcu, Pectore certa regens adverſa ſpicula flamma.*] Putabam, *totuſque ruit Tirynthius hirto Pectore* vel *acri Pectore*, ut intra, *haud acres ultra Tirynthius arcus Exercet*. ſed cum *pectus* mox ſequatur, τὸ *Pectore* hic minus ferri poſſe cenſeo. Forte

Tollitur huc, notuſque ruit Tirynthius arcum
Flectere, certa regens adverſae ſpicula flammae
Per piceos accenſa globos.

quamquam nec τὸ *accenſa* ſatisfacit. forte *denſata. ruit arcum flectere*, ut *ruit animare taxos Megaera* apud Claudianum libro tertio Raptus Proſerpinae. v. 387. ubi pluribus hunc loquendi modum aſſeruimus.

Verſ. 138. *Athelum*] *Ethelum* ſcripti, praeter Regium in quo *Echelon. Ethelum* Carrionis liber.

Verſ. 139. *dejectaque ora ſecuri Disjecit cervice tenus*] *delicataque ora ſecuri* ſcripti, omnes noſtri cum codice Carrionis. mendoſe haud dubie. ſed unde vera ſcriptura indaganda? de mendo conſentit Voſſius Grammaticae artis libro II. capite XIX. Gronovius *deductaque* Obſervationum libro I. cap. XIII. & *diſſecuit*. ego *adducta* maluerim.

Digitized by Google

rim. nec obſtat praecedens ſyllaba brevis: plura enim ſi attendis, ejuſcemodi exempla occurrunt apud Valerium. Naſo Faſtorum primo,

Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri
Victima purpureo ſanguine tinget humum.

& ibidem,

——— *adductaque clava trinodis*
Ter quater adverſi ſedit in ora viri.

poſſis & *duplicataque ora ſecuri.* ut *duplicata ſecuris* ſit, quam *ancipitem* alii appellant, hoc eſt *bipennem.* quomodo apud Naſonem I. Am. El. IX. *duplicata nimbis Flumina.* vel duplicato ſive repetito ictu ſecuris, ut libro VI. 379. *ſecurim congeminat.* Alardus *delectaque ſecuri.* Baptiſta Pius in nonnullis codicibus ait exſtare, *declivaque ora ſecuri. Disjecit* minime mutandum in *Diſcuſſit* aut *Diſſecuit*, quod viris doctiſſimis videbatur, atque inter hos Sabellico. Naſo libro XII. Metam.

Non tamen arbor iners cecidit. nam Crantoris alti
Abſcidit jugulo pectuſque humerumque ſiniſtrum.
Hunc procul ut faedo disjectum vulnere Peleus
Vidit.

& libro III. de Pentheo:

Trunca ſed oſtendens disjectis corpora membris.

Noſter infra,

---- *ſocia ſed disjicit agmina clava.*

ubi perperam Sabellicus *dejicit.*

Verſ. 142. *Has precor exuvias & opima cadavera noſtro Linquite, ait, feretro*] Varie tentarunt hunc locum homines eruditi. τὸ *&* abeſt a primo Vaticano, etiam a Carrionis libro in quo *& prima.* pro *feretro* praeterea *ferro* ſcripti omnes. pro *noſtro* codex Aldinus *Neſtor.* unde concinne & feliciter Gronovius Obſerv. lib. IV. cap. XII.

Has precor, exuvias & prima cadavera, Neſtor,
Linquite, ait: ferro potius mihi dextera, ferro
Navet opus.

quem illic vide.

Verſ. 147.

Verſ. 147. *gravis invenit Ochum Thlias*] ſcribendum *irruit Ochum.* uti jam monui, & pluribus exemplis confirmavi id verbum cum quarto etiam caſu frequenter conjungi, curis ſecundis ad Claudianum Conſulatu Manlii Theodori. v. 194. noſter libro VI.

——— irruit ultro
Turbatumque Lacon & adhuc invadit inermem.

mox

Irruit, & patrias coeptis ferus advocat umbras.

ſic & alibi non ſemel Frontin. Stratag. lib. I. cap. V. *Qui deinde cum proximos irruerent agros.* pro *Thlias* ſcribendum *Thleïas.* ut ſit triſyllabon. ſic *Plias* & *Pleïas.* Carrionis codex *Pelias*, & ex noſtris nonnulli.

Verſ. 149. *taboque labantia terga*] *labantia*, pro lubrica. forte tamen *natantia*, vel *fluentia.* nam in ſcriptis nonnullis *labentia.* Lege *tabo liquentia.*

Verſ. 152. *Zelen*] forte *Zeten.*

Verſ. 155. *Ille manu*] *manus* malim. non enim credibile eſt, illum injeciſſe manum telo Jaſonis. ſic apud Ovidium XII. Metam. 386.

Oppoſuit dextram paſſurae vulnera fronti.

aliud eſt apud Maronem.

Ille manu meriens telum trahit.

Verſ. 158. *Prothin & inſignem*] Hujus loci reſtitutio Carrionis codici debetur. *Protinus* ante legebatur. *Trothis* quoque Naſoni a me reſtitutus lib. III. Metam. 615. ubi plura.

Verſ. 162. *disjicit agmina clava*] *diſſicit* ex ſuo codice Carrion. quod in noſtris quoque inveni. ſed fruſtra. Solebant veteres librarii, quoties duplex jota occurreret, unum ponere, ſed elatius aliis literis. ſic *GraIs* pro *Grajis*, *InIcit* & *InnIcit* pro *Injicit.* *DiſIcit* & *DiſſIcit* pro *Disjicit*, atque ejuſmodi paſſim etiam in antiquis marmoribus occur-

currunt. de quibus plura ad Maronem ſumus dicturi.

Verſ. 166. *ſubſederat Idmon*] Vir eruditus neſcio quis in ora codicis Veneti *Agmon*. Regius codex *Ichino*. Aldinus *Ichnon*. bene. utramque ſcripturam ex ſuis etiam libris Baptiſta Pius profert. *Idmon* ferri hoc loco non poteſt, cum is paullo poſt ſequatur.

Verſ. 167. *clavaque ſuperne Intonat*] *clavamque* Carrionis liber. uti etiam tertius & quartus Vaticani. parum refert.

Verſ. 168. *occumbens i nunc ait*] ſic Carrion ex ſuo codice. Noſtri omnes cum vulgatis *occumbens & nunc*. Puto,

--- *occumbens fer nunc, ait, Herculis armis*
Donum ingens:

vel *fers nunc*. pro *mirabile donum* mox Bulaeus *memorabile*.

Verſ. 174. *& laribus ſacraſſe diem*] proxime praecedentem. forte *ſociaſſe*. ſed puto *ſacraſſe fidem*. hoſpitii fidem innuit. monui ad Naſonem Faſt. v. verſ. 682. libro IV.

Inde omnem innumeri reges per litoris oram,
Hoſpitii quis nulla fides.

Silius libro XVII. 682.

Inmemor is dextraeque datae junctique per aras
Foederis, & menſas teſtes atque hoſpita jura,
Faſque fidemque ſimul pravo mutatus amore
Ruperat, atque toros regni mercede pararat.

poſſis etiam *ſanxiſſe fidem* vel *ſanciſſe*, pro *ſancivisſe*.

Verſ. 182. *At diverſa Sagen*] haec quoque Carrionis codici debentur. praecedenti verſu *Deſere nunc nemus*, forte *Deſeris heu*. quarto Vaticano *Deſine*. de quo loquendi modo copioſe a nobis actum curis ſecundis ad Naſonem, ſub finem libri ſecundi Artis Amatoriae.

Verſ. 196. *& extrema ſonuit cita cuſpide caſſis*]
Aut

Digitized by Google

Aut legendum, *cita caſſide cuſpis:* quod Carrionis liber agnoſcit. aut, *extrema ſonat incita cuſpide caſſis.* ſic lib. I.

---- pariterque leves puer incitat artus.

Verſ. 199. *Per clipei cedentis opus partemque trilicem*] *artemque* pri. Vaticanus, tres alii, *arcemque.* Vir eruditus in ora Venetae editionis *fortemque. Loricam trilicem* habes apud Maronem. verius eſt *cratemque trilicem.* ſic & ſupra ad *loricam* refer. Statius Theb. v.

Omnibus aeratae propugnant pectora crates.

de clipeo Lucanus lib. II.

---- nuda jam crate fluentes
Invadunt clipeos.

Silius lib. v. 522.

Occupat eventum telo tentare priorem,
Ceu medio leviter clipeo ſtetit aeris in ora
Cuſpis, & oppoſitas vetita eſt tranſmittere crates.

Verſ. 207. *Ingentes donat ſonitus*] ita Carrion ex ſuo codice, cum in caeteris ſcriptis editiſque *donec* legatur. *donat* etiam jam ante Bapt. Pius. Aldus *duplicat ſonitus.* Gronovius Obſervat. libro I. cap. XV. *denſet.* vere, ut opinor. Livius lib. IX. cap. 24. *Nox omnia ex incerto majora territis facit.* de verbo *denſere* Giphanius in indice Lucretiano. nos ad Naſonem & Maronem plura. Horatius Ode XXVIII. libri primi,

Mixta ſenum ac juvenum denſentur funera.

quae illic vera eſt ſcriptura. noſter lib. VII. 629.

—— ſic undique denſent
Terrigenae jam ſigna duces.

quomodo illic ſcribendum. poſſet & legi, *ingentes reſonat ſonitus,* vel *reboat.*

Verſ. 212. *mecum ſimul omnia noctis*] in ſcriptis codicibus, quotquot conſului, *ſemel.* & placet. niſi mavis, *ſcelera omnia.* vel *molimina.* ſed v. ſup. II. 582.

M Verſ.

Verſ. 214. *graviorque locos jam luce propinqua Umbra premit*] *graviorque oculos* ſcribendum monui jam ad Ovid. I. Art. Am. 395.

Verſ. 215. *Et rabiem magis ora calent*] *magis ira calet*, ſi quid video. Statius Theb. VI. 230.

--- *nondum ira calet nec ſanguine ferrum*
Irrubuit,

vel *Et rabie majore calent*. ſic *majore metu*. inf. v. 576.

Verſ. 218. *vatique pateſcat*] *pateſcant* Oxonienſis. idem mox cum duobus Vaticanis, *trepidi agri*, non *tepidi*. *trepidi*, trementes. egi de ea voce fuſius ad Naſonem.

Verſ. 224. *tales aditus, ea gaudia fingit Ira Deum*] an *Ira Deae?* ut Cybelen innuat. ſic paullo poſt,

——— *jam dudum numine Divae*
Deficit.

pro *aditus* in ſcriptis eſt *auditus*. videtur aliud quid latere. forte *habitus*.

Verſ. 226. *Saturnum Tityumque vocat*] *Tityonque* Regius; & ſane Graeca fere ſemper enunciatione in optimis veterum Poëtarum membranis ea vox occurrit.

Verſ. 230. *dolor virtute ſubibit*] forte, *virtuſque*. deinde, *votis ſacris* priſcae editiones. aliter ſcripti.

Verſ. 234. *modo tela ſacerdos Suggerat, & juſſa ſanguis exuberet urna*] *juſſa ulna* opinor. ut *ulnam* pro brachio aut cubito ponat. Prudent. hymno Laurentii,

Eſt cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.

juſta exuberat unda Giphan. ind. Lucret. p. 422. ſupra habuimus,

Dindyma ſanguineis comitum bacchata lacertis.

brachia quippe ſauciaſſe tam Cybeles, quam Bellonae Sacerdotes in comperto eſt, qui *Bellonarii* in vetuſtis gloſſis dicuntur. *Bellonarii*, οἱ θεοφορούμενοι. quomodo & Scholiaſtes Juvenalis ad Satyram VI.

V. 105.

Digitized by Google

v. 105. ubi & de *ſectis lacertis* habes. notum illud Lucani,

---- ut quos ſectis Bellona lacertis
Saeva movet.

Lampridius in Commodo, *Bellonae ſervientes vere exſecare brachium praecepit.* Lactantius libro primo de falſa religione. *humeris ſectis efferantur Bellonae ſacerdotes.* de Gallis Martialis libro XI. Epig. 85.

Alba minus ſaevis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.

quo loco cur *alba brachia* dicantur vellem me docuiſſent interpretes. in Vaticano & Puteaneo codicibus veterrimis a me inſpectis *orba*, non *alba*, exaratum vidi. lege *Glabra brachia.* notum Plautinum illud *Tu iſtum Gallum, ſi ſapis, glabriorem reddes mihi, quam vulſus ludius.* apud eundem Martialem lib. III. Ep. 64.

Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat,
Qui movet in varios brachia vulſa modos.

Apollo coma intonſus & corpore glabellus, apud Apulejum in Floridis. Martialis ipſe libro XII. ep. 38.

Ore tener, latus pectore, crure glaber.

apud Lactantium libro primo de falſa religione cap. XXI. de Iſide, *Jam primo ſacerdotes ejus deglabrato corpore ſua pectora tundunt, lamentantur, ſicut ipſa, cum perdidit, fecerat.* ſed ad Gallos revertamur. ab hac brachiorum ſectione *galli ſanguinei* Lucano & Claudiano dicti,

---- ſanguineis ululantia Dindyma Gallis.

apud Tertullianum: *Marco Aurelio apud Sirmium reipublicae exemplo Archigallus ille ſanctiſſimus ſanguinem inpurum, lacertos quoque caſtrando, libabat pro ſalute Imperatoris.* poſſis etiam *juſſa ira; juſſa* ab Archigallo. ſic libro VII. 636.

Digitized by Google

Qualis ubi attonitos moeſtae Phrygas annua Matris
Ira, vel exſectos lacerat Bellona comatos.

Tacitus Annal. XII. c. IV. *ſed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non judicium, non odium erat, niſi indita & juſſa.* Statius Achil. II. 184.

Ut leo materno cum raptus ab ubere mores
Accepit, pectique jubas hominemque vereri
Edidicit, nullaſque rapi niſi juſſus in iras.

ſic lege ex ſcripto. non *nullaſque ruit*, Senec. Herc. Oetae: verſ. 243.

Aut juſſa Thyrſum quatere conceptum ferens
Maenas Lyaeum.

ira pro furore Silius lib. I. verſ. 100. Audi Senecam hujus loci interpretem Ep. 107. *Nec aliter concitantur Phrygii tibicinis ſono ſemiviri, & ex imperio furentes, adficiuntur illi, & ſunt quales jubentur.* vide illic & Luciani locum apud Lipſium.

Verſ. 237. *Corda pavent.*] *pavens* puto, ut ſit Graeciſmus.

Verſ. 242. *nulloſque datos venatibus annos*] *nulliſque* ſcribendum. atque ita Aldinus codex. *nulloſque dari*, legi a nonnullis Pius monet.

Verſ. 244. *ſonituſque pedum ſuſpectaque motu Explorant*] *ſonituſque* Carrionis liber. & recte: nam *motus* proprie manuum.

Verſ. 246. *Quod ſi tanta Jovis ſeros duraſſet in ortus*] ita Carrionis liber & noſtri omnes. Sabellicus, *Quod ſi Titanis.* Aldus *tanta ſolis.* ſcribe indubitata conjectura,

Quod ſi tanta lues ſeros duraſſet in ortus.

habes eam vocem etiam inf. v. 373.

Quaenam, ait, iſta lues.

& libro IV. v. 426. de Phineo,

Dira Deum ſummoque lues urguebat in aevo.

& mox eodem libro 432.

---- *quod pellere ſaevam*
Quondam fata luem dederant Aquilone creatis.

libro

libro VI. de clade ſimiliter,

---- pavor occupat ingens
Excuſſis in terga viris, diramque retorquet
In ſocios non ſponte luem.

Silius libro XII.

Donec ad exſertos enſes fidiſſima tela
Perventum. dira inde lues, caeduntque caduntque.

ita locus ille ſcribendus. *ad expertos enſes*, & *dura inde lues ceduntque* in vulgatis. *tanta lues* eidem Silio libro V.

Siccine nos, inquit, Bojorum in bella ruentes
Spectaſtis, cum tanta lues vulguſque tremendum
Ingrueret.

excidiſſe eam vocem libro primo Metamorphoſeos Apulejanae arbitror, loco vexatiſſimo, qui ſic legitur in vulgatis exemplaribus. *Et ſtatim miſer, ut cum illa adquievi, ab unico congreſſu annoſam ac peſtilentem contraho.* cum ſcribendum ſit, *ab unico congreſſu luem ſanioſam ac peſtilentem contraho.* Pius monet in vetuſtis codicibus legi, *Quod ſi tanta heu vis*, vel, *Quod ſi dextra Jovis*, vel etiam, *Quod ſi tanta Jovis.* unde ille, *Quod ſi Titanis.*

Verſ 253. *tunc porta trucis coit infera belli*] *effera* a nonnullis legi ait Bapt. Pius, ut Jani templum intelligatur.

Verſ. 257. *Ecce levi primo jam ſpargere lumine portus*] repone, *primos portus.*

Verſ. 264. *Ceu pavet ad crines & triſtia Pentheos ora*] cur vero *ad crines?* Puto *ad crimen.* ſimiles caeſurae paſſim apud noſtrum occurrunt; ſupra habuimus, *juſſa ſanguis exuberet ulna.*

Verſ. 269. *dextram tendens proclamat Jaſon*] *dextram intendens* malo, ut libro IV. 648.

Hortatur ſupplexque manus intendit Jaſon.

& ibidem 146. ille *manum intendens*,

Jamque manus Colchis lumenque intenderat aſtris.

pari modo peccatur apud Silium Italicum libro XV.

Digitized by Google

Sidonius ductor tergo ſublimis ab alto
Quadrupedantis equi intendens vocemque manuſque.

Cicero Arateis,

Hic dextram ad ſedes intendens Caſſiopeae.

Naſo Met. XIII.

Intendenſque manus, agimus, pro Jupiter, inquit,
Ante rates cauſam.

Statius Thebaidos IV 597.

-- falſo clamore levatas
Intendunt ſine pace manus.

Verſ. 271. *Deus haec*] *Deus hac* forte. Deus hac inplicuit ſtrage, quod praeceſſit. ſic *inplicari morbo* & ſimilia. noſter infra,

Quiſque ſuos fontes inimicaque pectora poenis
Inplicat.

&,

Tempora tum vittis & ſupplice caſſus oliva
Inplicat.

Verſ. 295. *taliſve reliqui*] *taliſne.* pro eo, *quod ſi jam bella manebant*, puto, *quod ſi me bella manebant.* Pius ait nonnullos legere, *quod ſi impia bella manebant.*

Verſ. 297. *nonne haec mea juſtius eſſent Funera*] putabam aliquando, *nonne hic mea juſtius iſſent Funera*, ut apud Propertium,

Iſsent Phlegraeo melius tibi funera campo.

ſed Carrionis liber, *eſſent vulnera.* vere. quare nil praeterea mutandum.

Verſ. 301. *tantumque nefas*] *tantumne* maluerim.

Verſ. 305. *quae non primis prohibebit arenis*] Maronianum illud reſpexit, *hoſpitio prohibemur arenae.* peſſime igitur Carrion ex ſuo codice invexit, *cohibebit arenis.*

Verſ. 308. *neve tuos irem tunc ultor in hoſtes*] τὸ *irem* non placet, quia proxime praeceſſerat, *adirem.* Lege, *ruerem tunc ultor in hoſtes.* vel, *ferrer.*

Verſ. 315. *miſera in planctum vocat agmina matrum*]

Digitized by Google

trum] *in planctus* cum ſcriptis exemplaribus.

Verſ. 320. *Mygdonis arma patrem*] Lege, *Mygdonia*, vel *Mygdonis ora*. atque ita pro diverſa lectione notatum in ora codicis Regii. vulgatum nec Graecum eſt, nec Latinum. mox inepte denuo Carrion ex ſuis membranis, *Fatales rapuere domos*, pro *Natales*.

Verſ. 325. *totamque Deus ſimul inpulit urbem*] Opinor a Valerii manu eſſe, *totaque Deus ſimul inpulit ira*. me, nimirum. ſic apud Statium Thebaid. IX.

---- ni fallor & ipſe
Invidit pater, & tota Mars inpulit haſta.

apud noſtrum libro V.

Sontibus inpulſus Furiis Jaſon.

& libro VI.

——— *Illum dea Marte ſecundo*
Inpulit.

atque ita paſſim.

Verſ. 335. *venatrix nec turba canum*] *turma* pri. Vaticanus.

Verſ. 340. *ardentes murice veſtes*] *ardenti* Regius.

Verſ. 341. *Quas rapuit telis feſtina*] ita bene Carrionis liber. vulgati *formoſa*. ſcripti noſtri *fortuna*. Pii editio *formoſa*. ipſe *functura* in nonnullis codicibus ait exſtare, vel *fortuna*. ad Naſonis Epiſt. XIX. v. 74. monui praeterea videri ſcribendum, *telas feſtina*. nam in Regio,

Quas rapuit telas fortuna.

apud Statium Epicedio patris. *laudum feſtinus & audax Ingenii*. *Feſtinus voti pater* Theb. VI. & *genetrix feſtina voti* apud Claudianum IV. Conſulatu Honorii Auguſti. *rapuit veſtes*, raptim feſtinavit. ſic *rapere viam*, *fugam*, & ſimilia. libro IV.

Jam ſocii laetis rapuerunt vincula votis.

Verſ. 343. *Hypſipyle galeam dilectaque cingula re-*

M 4 gni

gni Injicit] in Regio, *delectaque cingula regni.* ſcribe, *& galeam dilectaque cingula regi Injicit.* ſic apud Silium Italicum libro primo,

> *Quem poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit*
> *Deformem lethi, famulus clam corripit enſem*
> *Dilectum domino.*

ita illi verſus ex optimis membranis ſcribendi. *regi* & *regni* Pius agnoſcit: deinde *vultum converſus.* nam *vultus converſus* aſperum & durum ſonat. lege *vultum*, quod eſt mollius, vel *vultu*, quod volebat Johannes Columbus.

Verſ. 346. *inſigne paterni*] *parentiſque* codex vetuſtus Pii. *parentis* ejus editio.

Verſ. 351. *rerum labor omnis in auras*] *regum* Gronovius Obſervat. libro 1. cap. xv. Argonautas & alibi *reges* appellat. mihi aliquando videbatur legi debere, *operum labor.* ut rogum intelligat ab Argonautis conſtructum. deinde τὸ *Tum clamore* non debuit mutari a Carrione in *Cum.*

Verſ. 359. *Diſſona pervigili planctu vada*] *vaga* editio Aldina & Juntarum. *juga* reponendum. & ſic a neſcio quibus caſtigari teſtis eſt Pius, qui vulgatum ex ſcriptis tuetur. pro *qualiter agros Ad patrios*, *arcos patrias* pri. & quartus Vaticani cum Oxonienſi & editione Pii. tertius *artos.* Regius, *Arctos ad patrias.* quomodo Aldinus codex & vetus editio Bononienſis, & Pius quoque Baptiſta adgnoſcunt, optime. vulgati, *arces ad patrias. agros patrios* Carrionis libro debemus.

Verſ. 363. *neque magnis aſpera curis*] ſic denuo Carrion. vulgati, *neque jam magis*, ſcripti noſtri, *neque magis.* Puto, *neque inanibus aſpera curis*: pro *at non inde dies*, malim, *at non inde quies.*

Verſ. 365. *aegro aſſidue mens carpitur aeſtu*] cenſeo Valerium dediſſe, *aegra aſſiduo.*

Verſ. 367. *patria ex oculis*] *patriae* praeſtiterit. videlicet *pulſus amor.*

Verſ.

Verſ. 374. *an tibi nectunt Corda moras*] *an ſibi nectunt* arbitror. & ſic Pius conjecerat.

Verſ. 378. *ſortituſque breves*] *brevis*, & *perpetitur*, caſtigat Pius. non ſequor.

Verſ. 390. *formidine pulſant*] *pulſat* legitur a Pio.

Verſ. 391. *Si ſors ſaeva tulit miſeros, ſed proxima culpa*] Haec valde mendoſa ſunt. nec juvant libri veteres. niſi quod in iis *ſors*. corrigatur meo periculo,

Si ſors laeva tulit miſeros, & proxima culpae.

v. ad Ovid. I. Art. Am. 395. Phaedrus lib. I. Fab. 10.

Negabat illa ſe eſſe culpae proximam.

ubi vide Scheffer. Emenda Tacitum Hiſt. I. c. 67. *Caecina belli avidus proximum quemque culpae, antequam poeniteret, ultum ibat.* ſic lege. nunc circumfertur, *proximam quamque culpam.* Apulejus Apologia: *cujus magnitudo vel minimam reprehenſionem proximam crimini aſpernatur.* ibidem. *res neque culpae neque crimini confinis.*

Verſ. 396. *quos ecce vides*] *qualem ecce vides*, puto.

Verſ. 397. *memori jampridem cognita vite*] ſcribendum utique *memori vittae.* hoc eſt augurio & praeſagio noſtro. ſimilem locum caſtigavi libro IV. verſ. 437. uti vide. poſſis etiam *memori fato.*

Verſ. 401. *ſidereos nec mittit Juppiter annos*] *ſidereos ignes* reponi debere cenſeo. Pius *axes* corrigi a nonnullis adſeverat.

Verſ. 403. *inmotaque ſilva comanti Horret verna jugo*] Forte *Horret Averna*: ut apud Maronem lib. III. 442. *Averna ſonantia ſilvis.* ubi videatur Servius: & noſter lib. VI. 158. *Gaudet averna palus.*

Verſ. 407. *Inſontes errore luit*] *errore levat* caſtigandum. ſimile mendum ſuſtulimus libro ſuperiori, verſ. 570.

Verſ. 410. *terraſque retexit*] doctiſſimus & mihi amiciſſimus Gronovius *tenebraſque*, Obſervat. lib. IV. cap. XXI. ſed vulgata lectio defendi poteſt ex illo Naſonis, quod Metam. V. verſ. 357. occurrit,

Ne pateat latoque ſolum retegatur hiatu.

Verſ. 411. *Tu ſocios adhibeto ſacris*] *adhibere* primus, tertius & quartus Vaticanus cum Oxonienſi, pro *adhibe*, recte. idem in ſuis quoque codicibus exſtare teſtatur Pius Baptiſta.

Verſ. 412. *Armentaque magnis Bina Deis*] *Bima* editiones Gryphii & Colinaei. quod & Pius Baptiſta agnoſcit.

Verſ. 416. *placitis ſileant age litora coeptis*] Forte, *ſe dent age litora coeptis.* mox pro *mediis horis*, legi a nonnullis monet Pius, *madidis alis.*

Verſ. 433. *occurrit ramoque novat*] ſic Carrionis codex & editiones nonnullae. caeteri, *ramoque vocat.* utramque lectionem Pius etiam agnoſcit. forte *ramoque rigat*, vel, *ramo irrorans, atque ipſe recenti Stat tumulo.*

Verſ. 436. *glaucaque comas praetexere fronde*] *glaucaſque comis praetexere frondes* ſcripti noſtri & Carrionis liber.

Verſ. 444. *Quin etiam truncas nemorum effigieſque virorum*] *nemorumque effigieſque* pri. Vaticanus. *veterum virorum* tertius. Locus corruptus.

Verſ. 446. *iramque ſeveri Sanguinis*] *Agminis* libens reſcripſerim, ſed ſequitur paullo poſt. apud Maronem Georg. III. 37. *amnemque ſeverum Cocyti adſpicies* & libro VI. Aeneid. 374. *amnis ſeverus Eumenidum.* Propertio IV. Eleg. ult.

Eumenidum intento turba ſevera choro.

Verſ. 449. *Ac memores abolete animas*] *minas* maluerim; niſi quod hoc paullo ante praeceſſit. *animos* corrigit Pius.

Verſ.

Verſ. 454. *Nullae ideo peſtes*] ſcribe *adeo.* paullo ante, *& procul eſſe mari* in ſcriptis. non *ite*, quod & Pius Baptiſta de ſuis monuit.

Verſ. 460. *nec viſum vertere terrae*] *advertere* caſtigetur. libro IV.

Jam Mariandynis advertit puppis arenis.

Plura congeſſimus ad Naſonem Metam. XI. verſ. 54. mox malo,

Exciderint quo geſta manu, ceu debita fatis.

niſi praeſers, quod libro V. verſ. 84. videbatur,

Exciderint qua geſta manu, qua debita fatis.

ubi multa ad rem. *qua qua* etiam Pius conjiciebat, ſed alio ſignificatu.

Verſ. 463. *Inſternunt tabulata toris*] *foris* omnino reponendum. quod miror a Carrione damnari.

Verſ. 478. *Talaum*] *Talaon* Regius.

Verſ. 481. *arces Vicerat*] *Vincerat* primus Vaticanus. *Strinxerat* forte.

Verſ. 482. *Tardior hinc ceſſante viro*] repone *Euro*, & ſic editio Maſeriana. vel, *aura.*

Verſ. 490. *fallere prima Molitur*] *primam* praeſtiterit.

Verſ. 492. *repetit quo crimine Perſes*] *repetito crimine* Aldus, ſic infra v. 718.

Hic vero ingenti repetuntur pectora luctu.

Johannes Columbus *repetit diſcrimina.* videtur verſus unus atque alter excidiſſe.

Verſ. 499. *viden Arctoo de carcere quanta*] forte *Arctoo de cardine*; quomodo apud Claudianum, *Eoo de cardine crimina ſurgunt.*

Verſ. 502. *faciemque admoverit urbi*] *aciemque* ſcribatur, atque ita editio veterrima Bononienſis. v. ad Ovid. Metam. IV. 463.

Verſ. 503. *paulumque nefas*] an *cautumque nefas?*

Verſ. 506. *quamquam inſidias aſtuſque novercae*

Sentiat] *aeſtuſque* in ſcriptis. recte. ne bis idem dicat.

Verſ. 511. *Quam Nemeam tot feſſa minis, quae bellua Lernae Experiar*] *Nemeen* ex ſcriptis. deinde, *quae praelia Lernae* cum Aldino codice. uti Zinzerlingo quoque placuit, & Gronovio Obſervat. lib. 1. cap. xv. poſſis &, *quaeve avia. quae bellave* Joh. Columbus.

Verſ. 512. *pulchro reſerantem Pergama ponto*] aut *pulſo ponto* corrigendum, id eſt fugato, aut *Teucro ponto.* ſic *campi Teucri* apud Statium. & apud Horatium, *Teucro pulvere. victo*, vel, *pulſo* Joh. Columbus.

Verſ. 515. *juſſaeque dolorum Primitiae*] *juſtaeque* opinor. juſtas doloris ſui primitias argute Juno ſerpentes vocat a ſe inmiſſos, & ab Hercule in cunis ſuperatos. videtur etiam debere ſcribi, *ut tenero ſuperati*, pro *&*. jam tum indecores & juſtae dolorum mihi primitiae, ut angues ab illo in cunis ſunt ſuperati. τὸ *&* poteſt tolli, ut ſit adpoſitio, quales multae apud Valerium, quod & Columbo placebat. Pius legebat, *caſſaeque dolorum Primitiae. miſſaeque* Columbus. pro *ullus honor*, tres ſcripti *Nullus.* gentis honos, Argolicae, ubi Juno colebatur, & unde maternum genus Herculi. forte *en mihi gentis Qualis honos.*

Verſ. 519. *actumque per omnem*] *aſtumque* corrigendum. per omnes dolos. ſic ſupra,

At virgo quamquam inſidias aſtuſque novercae
Sentiat.

mox cum priſcis editionibus primus Vaticanus, *Ditemque ciebo.* Forte,

---- *noctem & Furias Ditemque moveto.*

Verſ. 524. *& ſtricta myrtus avena*] *habena* corribat Rutgerſius in Venuſinis lectionibus, quae penes me exſtant ineditae, & ſcuticam intelligit. Pollux libro VI, cap. III.

Σκεύη

Σκεύη δὲ κυνηγέτȣ, χηλὸν δύςαλης, καὶ σκυτάλη: & libro x. cap. xxxi. Τὰ δὲ κυνηγέτȣ σκεῦη λίνα, δίκτυα, ἐσπαλα, σκυτάλαι, ξύλαι. *habenam* autem pro ſcutica Horatius poſuit,

---- metuens pendentis habenae.

habenae etiam priſcae editiones ante Carrionem. noſtri codices ſcripti *harena. habenam* Pius amentum interpretatur, & *avena* negat in ſcriptis codicibus exſtare. habes & *paſtoralem myrtum* apud Maronem, ſub finem Aeneid. vii.

---- Lyciam ut gerat ipſa pharetram
Et paſtoralem praefixa cuſpide myrtum.

in ſcriptis pleriſque, *ſtricta harena.*

Verſ. 525. *innatat unda*] *umbra* Gronovius cum priſcis editionibus Obſervat. iv. xviii. quod Carrion non debuit mutaſſe: nam & *umbra* in ſcriptis noſtris.

Verſ. 526. *ad obſcurae decurrens cingula mammae*] *obſutae* legendum videtur. aut *exſertae*, ut apud Maronem,

Aurea ſubnectens exſertae cingula mammae.

& alibi,

Haſta per exſertam donec perlata papillam?

Sidonius Panegyrico Anthenii,

Pectus & exſertam tetigerunt cornua mammam.

Idem Sidonius,

Sederat exſerto bellatrix pectore Roma.

Corrippus Africanus,

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exſerto & nudam geſtantem pectore mammam.

poſſis etiam *exſectae mammae.*

Verſ. 530. *proceſſerat ultra*] perperam *ultro* Carrion. Propertius de Hyla,

At comes invicti juvenis proceſſerat ultra
Puram ſepoſiti quaerere fontis aquam.

Verſ. 533. *adclivis*] *adclinis*. vide libro ii. v. 92.

Verſ. 540. *ſacra moventem Hunc tibi*] perperam haec vulgo diſtinguebantur. *Eoi pocula regni* Carrionis liber, at ille Latine dici non putat, *ducere pocula.* ſed non vidit vir bonus de triumpho Bacchi agi. Locus hic eruditos interpretes plurimum exercuit. In primo Vaticano, *percula.* in aliis tribus *pericula. fercula* in vulgatis: *Eoi germina regni*, cogitabam aliquando, ut aromata ſubintelligat. ſed *fercula* bene ſe habent. in Regio *praedia.* Aldus *praelia.* Maſerii editio *ſpicula.* Pii *Eoi pericula regni.* vel, *per loca.* Ipſe ex veſtigiis veterrimi Vaticani, quo videtur uſus, *peculia*, ut ſit proceleuſmaticus, vel, *fercula.* *Nunc tibi* etiam Regius idem. ſed male. Pius praeterea corrigebat, *ſacra moveret.* aliter ſcripti.

Verſ. 555. *Hoc pueri ſpes fuſa modo eſt*] *ſpes luſa*, ut bene Aldus. Colinaeus & Gryphius, *puero ſpes luſa.* etiam editio Pii, qui *pueri ſpes luſa.*

Verſ. 557. *Stagna vaga ſic luce micant*] *ceu micant* maluerim. comparationem mutuatus eſt ab Horatio libro II. ode V.

Verſ. 564. *adjutae prono nam pondere vires*] nymphae attrahentis vires intellige.

Verſ. 569. *captaque dapes auxiſſe ferina*] *hauſiſſe* Carrion ex membranis ſuis in poſteriori editione: perperam.

Verſ. 573. *Nube mali percuſſus amor*] *percuſus* Aldi codex. an *perfuſus*? nil tamen mutandum temere. paullo ante inepte Bulaeus, *Uranimum Hylam*, pro *Unanimo* reponit.

Verſ. 577. *Cum piceo ſudore rigor*] cave *ſpiſſo* reponas, ut olim ad Ovid. X. Metam. 508. videbatur. Virgilius libro IX. ſub finem,

——— tum toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit.

Verſ. 579. *Cum coit umbra minax*] corrigo, *imbre minax.*

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 586. *tantaque quid adparet ira*] perperam Carrion *adſetat*. libro IV, 55.

Incertus, quid Juno ferat, quas adparet iras.

Verſ. 596. *Rurſus Hylan & rurſus Hylan*] *rurſus Hyla & rurſus Hyla* Rutgerſius legit in variis Lectionibus lib. III. cap. VIII. ex illo Virgiliano,

---- *ut litus Hyla Hyla omne ſonaret.*

quem vide. paullo ante *dejectaque ſaxis Flumina*, non *Fragmina* praeter Carrionis librum codex Regius.

Verſ. 599. *nec parvus Hylas*] Haec mendoſa ſunt. pro *pendent* Maſerius *pendet*. quod a Pio damnatur. diſtingue poſt *rudimenta*. *nec parvus Hylas*, ſcilicet fidem morae cauſatur. *pendere metu* apud Ovidium. noſter infra libro IV. 669.

---- *magnis pendet favor ortus ab auſis.*

Claudianus. Conſul. Olybrii,

His neque per dubium pendet fortuna favorem.

Idem Pius monet a nonnullis legi, *nec partus Hylas*. Forte,

At ſociis inmota fides auſtriſque ſecundis
Certa morae, praereptus Hylas. namque omnibus aeque
Grata rudimenta Herculeo ſub nomine pendit.

in Aldino codice, *Cauſa morae non raptus Hylas.*

Verſ. 605. *oblatis*] ut mox v. 614. *oblato curru*. Columbus legebat *ablatis*. ſed melius forte, *optatis ventis*.

Verſ. 606. *magnoque viri cunctatur amore*] *cunctatus* lego, ut haec cum ſequentibus conſtruantur. neque aliter tertius Vaticanus.

Verſ. 610. *dirae novercae*] rectius in ſcriptis *durae*. ut & Zinzerlingo videbatur, & Bapt. Pio.

Verſ. 623. *& dubiis variant quis pectora curis*] *variant qui* ſcripti plerique cum priſcis editionibus. *variant quae* Regius. lege, *variant quia*. in Carrionis

rionis libro, *quibus anxia pectora curis.* ſed male. infra 686.

Nunc quoque dum vario nutat ſententia motu.

Verſ. 626. *Seu plures tolerare moras*] *Seu plus ſtat tolerare morae*, vel, *Seu prius eſt tolerare moras* opinor. vel, *ſeu placitum eſt tolerare moras.* poſſis etiam, *Sive lubet tolerare moras.* prima conjectura verior videtur.

Verſ. 627. *pretium haud leve temporis acti*] *aeque* Regius. forte, *ecce.*

Verſ. 629. *Abſore caetu*] *Afore* primus Vaticanus cum Carrionis libro. & in Virgilianis codicibus non ſemel exaratum offendi.

Verſ. 630. *dextraeque potentes*] lege,

Nec minus in ſeſe generis dextraeque potentis.

Verſ. 638. *Cum fremitu*] *Tum fremitu* corrigendum. *fluctuat ira Tum fremitu.* Aldus & cum illo Zinzerlingus,

--- *ſaeviſque ferens fera jurgia dictis.*

furens in jurgia cum Carrionis libro videtur praeſtare, quia *ferae gentes* paullo poſt ſequuntur. *ferens in jurgia* codices Bapt. Pii. *ferens jurgia dictis* primus Vaticanus omiſſa voce media.

Verſ. 640. *Idem orans prenſatque viros*] peſſimo exemplo Carrion ex membranis ſuis *Dememorans.* ait Telamonem primo Deos, deinde & ſocios multa prece obteſtatum eſſe.

Verſ. 645. *rurſum inſtimulat*] *curſum* Maſerius.

Verſ. 660. *quid deſide terra Haeremus?*) an *deſide cura.*

Verſ. 664. *Non ea fax odiis*) omnino *pax* ſcribendum, quidquid obnituntur veteres libri. ſed & *oblitave* in ſcriptis.

Verſ. 670. *qua tegmina ferro Plura metam*) Puto

--- *quaque agmina ferro*
Plura metas.

ut apud Silium libro XV.

-- *metit*

---- *metit agmina tectus*
Coeleſti clipeo.
libro XIII.
---- *ruit obvia in arma*
Scipio, & oblatum metit inſatiabilis agmen.
pro *Aſt egomet* pri. Vatic. *Et ego &.* alii, *ego &.* forte, *En egomet.*

Verſ. 671. *tibi quidquid in ipſo Sanguine erit*) *in iſto ſanguine* praeſtiterit. libro VII. 71.
---- *ac, ſi quid in iſto eſt*
Robore, praedicti venies in jura laboris.
in ipſo Sanguine enim pri. Vatic.

Verſ. 675. *ibunt aequo nempe ordine remi*) *ibant* in codicibus noſtris.

Verſ. 689. *quem ſortibus aevi Crede*) maluerim utique, *quem ſorte vel aevi.*

Verſ. 694. *cunctantia corda Fert dolor*) *Eſt dolor* opinor. ut apud Maronem libro XII.
Nec te tantus edat tacitam dolor.
Statius Thebaid. II,
---- *exedêre animum dolor iraque demens.*
Horatius libro I. Epiſt II.
Quae laedunt oculum, feſtinas demere: ſi quid
Eſt animum, differs curandi tempus in annum.

Verſ. 703. *atque inclyta vulgi*) *vultu* Vaticani noſtri. forte, *multum.* Pius legi a nonnullis monet *vulgo.*

Verſ. 709. *Ut ſemel eſt avulſa jugis*) *evülſa* ſcripti noſtri. niſi quod primus & quartus Vaticani, *aevulſa.* Carrionis liber *excuſſa.* Puto, *exciſa.*

Verſ. 713. *Herculeas jam ſerus opes*) *Herculeae opis*, vel *opem Herculeam* puto. niſi per *Herculeas opes* Herculis arma denotavit, atque ita nihil ſit mutandum.

Verſ. 715. *terroribus urguens*] *ſermonibus* Carrion ex ſuis membranis. vulgata ſcriptura praeſtat.

Verſ. 726. *toto pater aequore ſignum*] *moto aequore* libens reſcripſerim.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 731. *ſidera ſuſtulit aſtris*] ita Carrionis liber. prius *aris* legebatur, quod ad aras ſeu columnas Herculis Pius referebat. Regius *alu*. corrige, *ſidera ſuſtulit axis*.

Verſ. 732. *jacet ſine flatibus aequor*] Hic denuo Carrionis librum audimus. vulgati, *cum flatibus*. ſcribe, *ſine fluctibus*: nam *Flamina conticuere* praeceſſit. quae duae voces in eodem verſu non poſſunt ferri.

Verſ. 734. *Nec quo tentet iter*] *tendat iter* maluerim. quomodo optimae Latinitatis auctores paſſim loquuntur. ſupra I. 717.

Verſ. 737. *Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtae Terga dedit*] Haec valde corrupta ſunt. lego nihilominus minima mutatione.

Non aliter gemitum quondam lea prolis ademtae
Aegra dedit.

aegra prolis ademtae, aegra ob prolem ademtam. Aruſianus Meſſius Elocutionum libello nondum edito, *aeger illius. Saluſtius* IV. *Hiſtoriarum. Conſilii aeger*, *aeger illo. idem bello Catilin. pedibus aeger. Aegre mihi eſt. Terentius Hecyr. nequid aegre eſſet mihi. Aeger, maeſtus, anxius*, Feſto. Regit autem ea vox frequenter caſum ſecundum. Lucanus de Caeſare libro ſeptimo,

Aeger quippe morae flagranſque cupidine mundi
Coeperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas.

Statio Thebaid. XI.

Aeger conſilii curiſque noviſſima volvens.

Silius Italicus libro III,

---- *jamque aegra timoris*
Roma tuos numeret lacrimandos matribus annos.

libro VIII.

Reſpiciens aegerque animi tua regna reliqui.

ſic *aeger animi* Livio non ſemel reſtituit Gronovius ad librum VI, cap. X. libro XIII, idem Silius verſ. 51.

Sed

Digitized by Google

Sed poſtquam Oenotris fundavit finibus urbem
Aeger delicti.

libro xv. verſ. 134.

Sed quamquam inſtinctis tacitus, tamen aegra pericli
Pectora ſubrepit terror.

ſic partim ex vetuſtis membranis, partim ex conjectura reſcribimus. *inſtinctis periciis* libri veteres exhibebant. Florus lib. III. cap. XVII, *Druſus aeger rerum temere motarum.* olim legebam, *gemitu Teſqua revlet.*

Verſ. 738. *ſedet inde viis*) alii *ſedet in deviis.* Forte *ceduntque viis.* vel, *ceſſere viis in biviis* alii. lege, *ſedet in biviis. indeviivis* vetus ſcriptura. τὸ *de* temere repetitum ex ſuperioribus, ubi bis occurrit in *ſedet* & *dedit.* poſſet & legi, *ſedet in teſquis.*

Verſ. 739. *dolor adtrahit orbes*) lege, *dolor atterit orbam. attrahit urbes* editiones priſcae. lege & *dolor atterit orbus.* ſic *viduus dolor.* pro *mana: luctu,* maluerim *fletu.* deinde pro *luctu*, malim *fluctu* ut VII. 572.

---- *atque atro volvens incendia fluctu.*

Digitized by Google

NICOLAI HEINSII ANIMADVERSIONES IN LIBRUM IV. ARGONAUTICON C. VALERII FLACCI.

Verſ. 5. Haeret *inops*] *moeret* rectius videtur, quod & Maſerius in ſuis codicibus invenerat. niſi mavis *Errat inops*. ut apud Naſonem Ep. VI.

Erret inops, exſpes, caede cruenta ſua.

verſ. 4. lege *ſe pectore gaudia tollunt.*

Verſ. 7. *ſic Juno ducem fovet anxia curis*] *his curis* opinor. deinde,

---- *ſic arma viro ſocioſque miniſtrat.*

nam vulgata ſcriptura *viros ſocioſque*, minus concinna eſt, cum non videam, quid inter *viros* & *ſocios* interſit.

Verſ. 9. *Jam quibus incertam bellis*) *inſertam* omnino, quod & Maſerio venerat in mentem. apud Naſonem Met. III.

---- *ne te civilibus inſere bellis.*

Verſ. 17. *arcano redolentem nectare rorem Detulit*) opinor *Depluit*. de quo verbo copioſe egi ad Naſonis Metamorphoſeos librum primum. v. 572.

Verſ. 27. *ſaevae monitu Junonis in amnes*) τὸ *in amnes*

amnes ſuppoſititia ſunt , & frivola prorſus. Nec multo melius liber Carrionis *inanes.* quomodo & vir doctus caſtigarat in ora Venetae editionis. Forte, *ſaevae monitu Junonis & arte.* vel, *& aſtu.* Superiori libro verſ. 518. Juno,

--- *aſtumque per omnem*
Tende pudor.

pro eo, quod praeceſſit proxime,

Hoc nemus, haec fatis mihi jam domus,

videtur corrigendum eſſe,

Hoc nemus, hi fontis mihi jam domus.

Verſ. 28. *& jam mihi lumina coeli Conciliat*] *limina* bene Zinzerlingus. nec aliter ante illum Maſerius. Pius praetendens auctoritatem ſcriptorum exemplarium in contraria abit inmeritus. Forte,

Quin Jovis acceſſus etiam, & mihi limina coeli
Conciliat.

adi notata ad VI. Aeneid. Maronis v. 255. vel quia praeceſſit *mihi jam domus*, hic mallem, *& amici limina coeli.* ſic contra inf. verſ. 152. *Superum iniqua altaria.*

Verſ. 31. *Jam ſocii laetis rapuerunt vincula ventis*] τὸ *rapere* conatum feſtinantium egregie exprimit. quare perperam Zinzerlingus *ruperunt.* an *laetis votis? laeti venti*, ſecundi ; ſed *oblatis ventis* praeſtat. ut inf. 403.

---- *oblato donec paullum cunctata profundo*
Incidit.

& v. 540.

Nec decus oblati dimiſeris advena belli.

Verſ. 34. *ſaevaeque aderunt tua numina matri*] puto *ſua numina*, dirae ultrices : *tua* enim *numina* ſunt *faventia tibi.* ſed & *aderunt* ſuſpectum. nam ſequitur *coelo mox aderis.*

Verſ. 45. *Halcyonis*] *Halcyones.*

Verſ. 48. *Icta fatiſcit aquis*] de hoc loco nonnihil diximus ad Triſtia Naſonis libro primo Eleg. IX. *victa* maluerim tamen. *Laeta* in Oxonienſi.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 62. *in quae jam tempora*] *in quaenam* ſcribe.

Verſ. 64. *te cuncta precatur Gens hominum*] *precantur* Carrionis liber. recte. uti pluribus jam adſerui ad Naſonem Met. IX. v. 426.

Verſ. 68. *Exit ubi è ſcopulis*] ſic Carrionis liber. vulgati *Dixit ubi*. Regius, *Dixit &c.* Locus mendoſus. legendum videtur,

Fixus ubi è ſcopulis, media inter pabula diri
Vulturis, ipſum etiam gemitu maeſtaque fatigat
Voce Jovem, ſaevis relevans ambuſta pruinis
Lumina; congeminant amnes. &c.

ſecundo verſu perperam vulgo circumfertur, *ipſe etiam*. *figi ſcopulis* elegans. de quo ad Naſonis Ibin. noſter infra libro V. de hoc ipſo Prometheo

---- *& grave Titan*
Vociferans, fixos ſcopulis dum vellitur artus.

niſi praeſtat, *excitus e ſcopulis*. VI. 8. *excita tela*. Julius Obſequens. c. 64. *in fulmine praetorii conſedit aquila, inde circumvolantibus minoribus avibus, excita de conſpectu abiit*, Vellej. Paterc. II. c. 108. *Gens Marcomannorum excita ſedibus ſuis.*

Verſ. 78. *Phrygas Alciden & Trojae differat arma*] Lege *Troïa arma*, ut apud Maronem Aeneidos primo, *armaque fixit Troïa*. libro XI.

——— *ut templis praefigeret arma*
Troïa.

Silius libro XIII.

Armaque Laurentis figebat Troïa Luco.

ſed & pro *I Phrygas* praeſtiterit, *Dic Phrygas*.

Verſ. 79. *Nunc, ait, eripiat*] ſcribo,

Hunc, ait, eripiat dirae Titana volucri.

lib. II. 424.

---- *per hunc, utero quem linquis Jāſona noſtro.*

& VI. 735.

---- *quoque hunc videam virtute ſuperbum*
Aeſoniden.

Verſ. 87. *ſecurum numeris agit*] ita ſcripti omnes. non *Minyis*. quomodo de Muſaeo Maro,

Nec

Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Arnobius lib. III. *In coelo enim cantatur & pſallitur, ut intervalla & numeros vocum novem conſerant ſcitulae, ac modulentur ſorores.*

Verſ. 88. *Quo ſimul aſſumpta pulſus fide*] ſcripti,

Quod ſimul aſſumpta pulſum fide.

recte. idque ex codicibus à ſe conſultis laudavit Pius. niſi quod praeſtiterit fortaſſe, *Quo pulſo.* de quo loquendi modo ad librum I. Faſtorum Naſonis. *Quo facto ſimul.* Phaedrus lib. v. fab. 9. ſed & *medicabile flamen* pro *carmen* videtur ſcribendum.

Verſ. 92. *Sol auricomis ingentibus horis*] ita Carrion ex ſuo codice. vulgati, *auricomus urguentibus horis. auricomis urguentibus oris* pri. Vatic. & tres alii. *ſol aurivomus* in Fulgentii Mythologicis male legitur. quo magis miror adſeverare Baptiſtam Pium, in priſcis exemplaribus exſtare,

---- *Sol auricomus urguentibus horis.*

Regius,

---- *Sol auricomus vigentibus horis.*

Jungentibus Joh. Columbus. Lege,

---- *Sol auricomus cingentibus Horis.*

Horae enim Solis comites & coeli Janitrices. Hinc φοιβαΐδες & δμωΐδες Ηελίȣ, & φυλάκτορες αἴθερ☉ Nonno in Dionyſiacis dictae. video & veram lectionem Barthio ſuboluiſſe lib. xxv. Adv. c. III.

Verſ. 96. *& Eoi cornua montis*] *concava* duo Vaticani. Forte, *Eoi caerula ponti.*

Verſ. 97. *& Minyas.*] lege, *at.*

Verſ. 102. *regis fatis & numine freti*] *regis factis & nomine* maluerim.

Verſ. 105. *rapidi Cyclopes*] *rabidi* bene legebatur ante Carrionem. nec mutari debuit.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 109. *ea Neptuno trux ipſa parenti*] an *dux ipſe?* ſic infra v. 233. ſcripti,

Illum Amycus nec fronte ducem.

pro *trucem*.

Verſ. 124. *aut det fiducia noſtri, Nate, animos*] ſcripti *audet*, mendoſe, quod tamen ſecutus eſt Carrion in poſteriori editione.

Verſ. 128. *Atque ideo neque ego hanc tumidis avertere ventis*] *motis ventis* Carrionis liber. dictum jam lib. I. v. 593. ſcribe praeterea, *Atque adeo*. Maroniana imitatio,

---- atque adeo neque ego hanc abſcondere furto
Speravi (ne crede) fugam.

Verſ. 130. *reges doliture ſecundos*] ſic Carrionis liber. vulgati, *reges preme dure ſecundos*. forte, *res haud doliture ſecundas*. vel lege, *fremiture*.

Verſ. 139. *patris de more galero*] *patriae de more* Gisbertus Cuperus Obſerv. lib. III. verſ. 268.

Verſ. 146. *non hac ullos reverentia ritus*] ſcribe,

——— non hac ullos reverentia ritus
Pectora, mors habitat ſaevaeque hoc litore pugnae.

Verſ. 153. *tandem ut miſero lavet arma cerebro*] τὸ *tandem* non placet. forte, *ſanie ac miſero ut lavet arma cerebro*, vel *ſaxis ut miſeri lavet arma cerebri*. τὸ *quiſnam audeat*, quod ſequitur, Carrion in *quiſquam* mutare non debuerat, etſi veteres membranas habet adſentientes. pro *& quaenam talem vidiſſe voluptas*, praeſtiterit *aut quaenam*.

Verſ. 159. *Hoſtis an externis*] lege,

Hoſpes, an externis fato delatus ab oris?

Verſ. 161. *Nomen ait, praedulce mihi nomenque ſecutus Otreos*] quis ferat hanc repetitionem τὸ *nomen*. ita tamen ſcripti. in vulgatis *numenque ſecutus*. aut fallor, aut reliquerat nobis Valerius, *ductumque ſecutus*. Lucanus libro IX. de Catone,

Auſpiciis captus patriae ductuque Senatus.

ductu

Digitized by Google

ductu Divi Auguſti, *ductu Pompeji* ſaepe apud Plinium naturali Hiſtoria. Appulejus. Metam. VI. *memor obſequii, quo ductu Cupidinis Jovi pocillatorem Phrygium abſtulerat. τὸ dulce mihi* abſtulerat τὸ *ductum*. cauſſa erroris cognatio literarum in utraque voce.

Verſ. 166. *vix dum ora levantis*] *levanti* malo.

Verſ. 170. *Spes tamen his fando ſi nuncius extitit oris*] Putabam,

Spes tamen infandis ſi nuncius exiit oris.

ſic *infanda foedera* II. 173. *praelia* III. 15. & ſimilia paſſim.

Verſ. 173. *Ora nec a vanis*] *Oro nec vanis* ex ſcriptis Pius. primus Vatic. *Ora nec vanis.* duo alii, *Ora nec a vanis.*

Verſ. 174. *Haec ubi nonnulla*] *non ulla* repone. quod ante Carrionem legebatur.

Verſ. 175. *dolor & duras inſurgere mentes*] ex ſuis membranis Carrion. Vulgati,

——— *dolet & dura ſic pergere mente.*

locus corruptus. forte,

——— *dolor atque irae conſurgere mente.*

ut libro II, verſ. 165.

——— *dolor iraque ſurgit.*

Verſ. 178. *& dorſo contecta minanti*] opinor *comanti.*

Verſ. 181. *Et varii*] *At varii* puto. *Ut varii* in ſcriptis editiſque ante Carrionem. *Hic* Aldinus codex. mox pro *capitum* lege, *& capitum.* &, *trunca rotatis Brachia rapta humeris*, pro *rapta viris.* vel *toris* ut infra 245.

---- *horrendoſque toris informibus artus.*

& lib. VII. 595.

---- *cogitque trementes*
Sub juga ahena toros.

rotare toros ut *rotare manus* Statio. *Tori* autem pro toroſis humeris.

Verſ. 186. *media ipſius arma Sacra metu*] ſcri-

bendum, *medio ipſius arma Sacra ſpecu. metus* paullo ante praeceſſerat.

Verſ. 187. *Hoſpitis hic primum monitus redière Timantis*] *monitis* ſcripti. ſed nil mutandum. *redière*, ſcilicet in animum Minyis. lib. VIII. 160.

——— *redeunt nam ſingula menti.*

lib. II. 610.

——— *ut patrii redière dolores.*

Verſ. 189. *Cuncti inter ſe tenuère*] forte, *in ſe cuncti*. Ovidius Amor. II. IV. II.

Sive aliqua eſt oculos in ſe dejecta modeſtos.

ita MSS.

Verſ. 195. *ſpumantem funditus amnem*] ita ſcripti. & mox *pandit iter*: non *finibus*, & *Pan intrat*. ſed locum conclamatum priſtinae integritati Carrion reſtituït, addito verſu ex membranis ſuis, qui vulgo deſiderabatur, niſi quod pro *funditus*, caſtigo *concitus*. ut lib. I. verſ. 291. pro *qui primus init*, corrigo, *ubi primus init*. & pro, *ſpernitque* lego, *ſpernique tumentem*: ſic ſupra *tumet ire*.

Qualiter ignotis ſpumantem concitus amnem
Taurus aquis ubi primus init, ſpernique tumentem:
Pandit iter: mox omne pecus formidine pulſa
Pone ſubit.

concitus, ut libro I, 576.

Continuo Aeoliam Tyrrhenaque tendit in antra
Concitus.

Aldus ab interpolatoris manu,

Qualiter ingreſſus ſpumantem taurus in amnem.

Similem habes comparationem apud Statium Theb. VII,

Ac velut ignotum ſi quando armenta per amnem
Paſtor agit: ſtat triſte pecus. procul altera tellus
Omnibus, & late medius timor. aſt ubi ductor
Taurus init, fecitque viam. tunc mollior unda,
Tunc faciles ſaltus viſaeque accedere ripae.

ubi ultimo verſu malim *faciles ſaltu.*

Verſ. 198. *procedit ab undis*] imo *praecedit*. quod ante

Digitized by Google

ante Carrionem legebatur. idque Zinzerlingus jam vidit. mox etiam bene priſcae editiones, *nec ſua turba*. pro *tanti ſecura metus*, male denuo idem, *taciti metus*. quamquam id ipſum qnoque primus Vaticanus aliique codices nonnulli agnoſcunt. noſter appoſite libro tertio,

Heu talem tantique metus ſecura recepi!

Verſ. 204. *Devolat inde furens*] malim, *Evolat*, vel *Advolat*. pro *qua via* Carrion, *quo via*, & ſcripti noſtri. apud Maronem

Quo te, Maeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

mox *praetonat*, pro *protonat* Regius.

Verſ. 224. *Nelideſque Idaſque prior*] *Nelidaeque* puto. ut tam Neſtor, quam Periclymenus intelligantur, uterque fortiſſimi. ſi *Nelides* retinetur, refer potius ad Periclymenum. v. lib. 1. 388.

Verſ. 227. *Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis*] *videt ire* utique maluerim: nondum enim erit inchoata pugna.

Verſ. 228. *aut juga nota Taygeti*] *notae* Carrionis liber. recte. Stephanus, Ταΰγετον ὄρος τῆς Λακωνικῆς. λέγεται καὶ ἀρσενικῶς, καὶ θηλυκῶς, καὶ οὐδετέρως.

Verſ. 229. *lavitur patrios ubi victor ad amnes*] *labitur* in ſcriptis. *capitur* liber Carrionis. Vir eruditus in ora Venetae editionis *graditur*. ſed nil mutandum.

Verſ. 237. *Aſtra ferens*] *terens*, ſi quid video.

Verſ. 250. *Adſpice & haec crudis durata volumina tauris*] ſcribendum videtur,

Accipe & haec crudi durata volumina tauri.

taurea terga dixerat libro primo. Apollonius ῥινὺς βοῶν. ut forte legendum ſit,

Aſpicis e crudis durata volumina tauris?

Ne pete ſortis opem.

apud Apollonium Amycus dat optionem Polluci caeſtuum utros malit.

Τῶν δ' ἔτι ὃν καὶ ἐθέλησθα πάλου ἄτερ ἐγγυαλίξω
Αὐτὸς ἑκὼν, ἵνα μή μοι ἀτέμβηαι μετόπισθεν.

ſed noſter elegantius, ut doceat Amyci iniquitatem.

Verſ. 253. *extremum hoc*] Puto

---- fati
Neſcius, extremum hinc armis innectere palmas.
Dat famulis.

vel *extremas palmas.* ut lib. VI. 674.

---- extremus roſeo pudor errat in ore.

Verſ. 258. *Et pater*] *At pater* praeſtiterit.

Verſ. 267. *ſemper & in digitis*] nihil mutandum eſſe monuit Diatribe Statiana Gronovius. pag. 411. Alardus *in digitos.* pro *projectuſque*, Joh. Columbus *porrectuſque.*

Verſ. 269. *Pliade capta ratis*] an *quaſſa*? an *rapta?* forte *adacta.*

Verſ. 273. *erigit arte*] *eripit* revocandum, quod ante Carrionem legebatur. quod & Zinzerlingo jam obſervatum video. qui adeundus hic loci. κάρτα παρακλίνας Apollonio. *Oebalio* etiam *aſtu* Regius. quod in ſuis quoque exemplaribus exſtare monuit Maſerius. & ſic Carrion. negat in ſuis codicibus id inveniri Pius.

Verſ. 274. *paulatim inſurgere ferro Incitat*] *Incipit* Aldus. Lege *feſſo Integer.* nam in Carrionis libro, *ferro Integer. ferro Integet* primus Vaticanus. vera ſcriptura in Gryphii & Colinaei comparet editionibus, quam primus ex ſcriptis exemplaribus Pius Baptiſta revocavit. ſed & paullo ante pro *Ut deinde urgentes*, opinor, *Ut videt urguentes.*

Ut videt urguentes effundi in nubibus iras
Ardoremque viri; paulatim inſurgere feſſo
Integer.

poſſis etiam *offundi nubibus.* mox pro *Inſtimulat*, Regius & Oxonienſis *Inſtimulant.* Johannes Columbus,

Ut dein turgentes effugit motibus iras.

Verſ.

Verſ. 287. *Artificum notat ipſe manus*] ſic Carrion. vulgati, *Artificumque rotata manus*. in primo Vaticano, *Artificum notata & manus*. forte *Artificum movet Aetna manus*. ſed nec τὸ *Artificum* ſatis placet. forte *Fabriles movet Aetna manus*. ut apud Martialem libro XI. Ep. 85.

Fractaque fabrili dedolat oſſa manu.

In Aetna fulmen à Cyclopibus parari antiquitas credebat: hinc paſſim apud Poëtas *Aetneum fulmen*. Statius Theb. V.

Ipſe etiam e ſumma jam tela popoſcerat Aetna
Juppiter.

ubi *aethra* non eſt neceſſe reponi. Statius Silvar. III. Hercule Surrentino,

Non tam grande ſonat motis incudibus Aetna,
Cum Brontes Steropeſque ferit.

Verſ. 289. *dextramque minatur*] *dextraque* legit Pius.

Verſ. 290. *redit huc oculis & pondere Bebryx Sic ratus*] ſcribe, *Irritus*. apud Maronem, ubi ſimilis pugna Entelli & Daretis deſcribitur,

——— *omnemqae pererrat*
Arte locum, & variis adſultibus irritus urguet.

Verſ. 298. *caeſtu velatus utroque Inruit*] caſtigandum, *caeſtuque elatus utroque*, vel *caeſtu elatus*. ut hiatus relinquatur, quorum plenus eſt Virgilius. ſic & libro VIII. apud noſtrum correximus v. 29.

Qualis adhuc ſparſis comitum per luſtra catervis
Latmius aeſtiva reſidet venator in umbra,
Dignus amore Deae: elatis cornibus & jam
Luna venit.

ubi *velatis cornibus* frigide omninò legebatur. ſimile mendum libro etiam II. v. 270. ſuſtulimus. *elata dextra*. lib. III. v. 138. Pius monet à nonnullis legi *vallatus*. v. notas ad Ovid. I. Art. am. 395. ſed quod ibi monui legendum mox eſſe, *aviduſque irae* nunc ſecus videtur. vid. inf. lib. VI. 266.

Digitized by Google

Verſ. 300. *nec ſpes effoeta*) ita Carrionis liber & codex Regius. *vires effoetas* legi apud Maronem. *effoetum corpus*, *effoetum agrum* apud alios paſſim. de *ſpe effoeta* non memini. forte *nec ſpes defecta*. nam ſcripti editique ante Carrionem *ſpes effecta*. *affecta* Oxonienſis. etiam vetuſta exemplaria Pii, qui *effoeta* ex conjectura revocavit. niſi malis *decepta*.

Verſ. 304. *Dat genibus junctis latus*) *Dans* praeſtiterit; ſed nihil mendi ſubeſt. Apolloniana illa videtur aemulatus, γόνυ γνὸς ἀμείϐων.

Verſ. 306. *Ancipitem crebros & liber congerit ictus*] τὸ *liber* non placet. Neſcio an divinus ſim hoc loco; ſed hariolor tamen ſcribi debere,

Ancipitem, crebros & tergo congerit ictus,
Deſuper averſo.

ita quippe diſtinguendum cum Carrionis libro. qui etiam *averſo* recte, uti & primus Vaticanus. *terco* ſcriptum fuerat. hinc natus error pro *tergo*, poſteriori ſyllaba abſorpta ob repetitionem proxime ſequentis.

Verſ. 308. *Inclinis ceditque malis*] ſic Carrionis liber. *ceciditque malis* vulgati: Regius *cecidit malis*. ſed refingendum, ni fallor, *Inclineſque ſedent malae*. vel etiam, ut veſtigiis Regii codicis inſiſtamus, *Inclines cedunt malae*. vel *Inclineſque crepant malae*. quomodo apud Silium libro IX.

---- incuſſo crepuerunt vulnere malae.

ſed longius hoc abit a priſca ſcriptura. Certe malis a caeſtu praeſentiſſimum periculum. hinc Amycus apud Apollonium II. 57.

Ἀλλα βάλλου περὶ χειρί. δαεὶς δὲ κεν ἄλλα ἐνίσποις
Ὅσσον, ἐγὼ ῥινȣς τε βοῶν περὶ τ' εἰμὶ ταμέσθαι
Ἀζαλέας, ἀνδρῶν τε παρήϊδας αἵματι φύρσαι.

ubi Pollucem adloquitur. tum in ipſo conflictu,

— ὡς

---- ὡς τοῖσι παρήϊα τ' ἀμφοτέρωθεν
Καὶ γίνυες κτύπεον. βρυχὴ δ' ὑπετέλλετ' ὀδόντων
Ἄσπετος.

ſedere genae apud Claudianum v. 21. belli Gildonici ex membranis: de homine macilento. ubi plura diximus. legendum ergo, *Inclineſque ſedent malae*, vel *Inclines caedi malae.* Pius ait legere nonnullos, *Inclines caedit malas. Inclines* certe agnoſcit Pius. mox pro *primo artu*, puto *arcu.* ut ſpinas dorſi innuat. ſic apud Claudianum reſtitui.

Quis magis enodes laterum detorqueat arcus.

in Regio codice, *primo arctu*, cum gloſſa, *nodo, unde incipit collum.* vel lege, *primos artus*, ut ſit Graeciſmus, quomodo ſolet Valerius.

Verſ. 313. *& Jove natus, ait*] malim, *en Jove natus.* ut ſub finem hujuſce libri, *hic tibi Pollux En ait.*

Verſ. 317. *arguit auſis*] *auſi* omnino recte Aldinus codex. poſſit & refingi, *arcuit auſis.*

Verſ. 320. *Tenditur ille ingens hominum pavor*] imo *in humum pavor.* libro VII. 717.

Venit hyems nigraque evulſam tendit arena.

ita enim codex Carrionis. non *extendit.* quomodo & Virgilius non ſemel. v. ad Ovid. XIII. Metam. 460.

Verſ. 324. *& manus omnis*] *at manus.* cum libro Carrionis. pri. Vaticanus *ad.*

Verſ. 326. *Armaque ferre juvat, feſſaſque attollere palmas*] forte,

Arma auferre juvat feſſaſque exſolvere palmas.

vel,

Carmine ferre juvat feſtaſque attollere palmas.

ut *ferre* pro *efferre* ponatur. & tum *urguens* praeſtiterit verſu proxime praecedenti: quomodo Maſerii editio. Silius libro VIII, 414.

---- *pars laudes ore ferebat*
Sabe tuas.

Verſ. 328. *o magna nimis memoranda palaeſtris*]

magnanimis palaeſtris & ſic Pii editio. mox *dicta ſerunt.* ut 11. 243. *Orſa ſeram.* quamquam & *ferunt* poteſt ferri.

Verſ. 341. *Traeripiunt*] *praecipiunt* Carrion ex ſuo codice. etiam primus Vaticanus & Regius. *praecipiunt* monet etiam in vetuſtis exemplaribus legi Pius. & interpretatur, *antecapiunt pro Polluce victore.* ſic & mox iidem,

---- ditem volat aethere Memphin
Praecipere.

infra verſ. 751. ex veterrimo Vaticano,

Nec vero praecepta mihi ſuprema Tyranni
Fata queror.

praecipere Memphin, quomodo *praecipere iter* Lucano libro VI.

Hoc iter aequoreo praecepit limite magnus.

mons a Luſitanis praeceptus Saluſtio in hiſtoriis apud Nonium & Gellium. plura de hoc verbo ſub finem hujus libri dicentur. hinc *praeceptio* pro *praeoccupatione*, apud Plinium in Epiſtolis,& Juriſconſultos veteres. hinc & *praeceptor* apud D. Paulinum epiſtola tertia ad Sulpicium Severum: *Liberalium plenus affectuum, ſed ſervilium praeceptor operum, vix ut me aquam miniſtrare manibus ſuis ſineret.* ubi vir doctiſſimus Heribertus Roſweydus fruſtra reponi velit *praereptor*, vel *praecerptor.* apud Maronem *Littora praecipere.* hoc eſt praeoccupare. ita enim Aeneidos x. caſtigandum ex membranis. & *ſpe praecipere hoſtes.* & *ſi lac praeceperit aeſtas.* &

Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.

praecepta gaudia apud Naſonem epiſtola Helenes, v. 107. quomodo illic quoque caſtigavimus. ubi plura ad rem. & apud Maronem Aeneidos x. 278.

Verſ. 346 *Illos, Nile, tuos*] *tuis* ante Carrionem libri plerique. & recte. ut & *Boſporos* paullo ante. ſed *tuos* cum ſcriptis tuetur Pius.

Verſ. 350. *Inachidoſque vias*] *fugas* maluerim.

Verſ. 352. *Saepe Jovem terras*] *in terras* lege.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 358. *plauſu ſovet hanc & pectora mulcet*] puto, *ſovet huic.*

Verſ. 360. *Mox ita adorta Jovem*] *Mox & adorta* opinor. quod minus ingratum ſonat. Regius, *mox it adorta.*

Verſ. 365. *aut quos inventos timuiſſet Juppiter aſtus*] *inventus* in primo Vaticano. Puto,

Aut quonam inventam renuiſſet Juppiter aſtu?

codex tamen Carrionis *aeſtus.*

Verſ. 368. *Lumina non aliter lucent cui vertice*] *toto cui vertice* liber Carrionis & pri. Vatic. *vigilant cui vertice* Regius.

Verſ. 371. *heu multa moventem Conantemque preces*] *multa morantem* iidem codices cum Regio. quapropter & ſcribendum, *cunctantemque preces.* adi notas libro I. v. 156. poſſet & ſcribi, *multa parantem.*

Verſ. 375. *revocans Hyperia lacertis*] *reboans* Rutgerſius in variis Lectionibus. fruſtra. Noſter ipſe libro primo, 136.

Proſequitur nudis pariter Galatea lacertis,
Antra petens. Siculo revocat de litore Cyclops.

Verſ. 376. *tremerent*] forte *premerent*, quo verbo ſaepe noſter delectatur. inf. v. 474. V. 73. 521. VIII. 466.

Verſ. 380. *verbere candentes quoties exhorruit armos*] Rectius, ſi quid video, corrigatur,

Verbera candenti quoties exhorruit armo.

Verſ. 382. *audentemque mori*] forte, *ardentemque.*

Verſ 384. *Cum ſubito*] *ſubita* praeſtiterit. ut vitetur κακοφωνία.

Verſ. 387. *Quoque, ait, hinc diverſus abis? heu reſpice cantus*] Carmen nonnihil ſuſpectum. pro *languentia ſomno Lumina* Carrionis codex *cantu.* at ego retinuerim vulgatum, & mox legam, *dulceſque ſequentia cantus*, non *ſomnos.* pro *inſectans Ar-*

Digitized by Google

gum etiam fortaſſis praeſtiterit *inlectans*. v. ad Ovid. IV. Faſt. 433.

Verſ. 396. *nec quo ſe vertice ſiſtat*] *quo ſeſe vertice* Carrionis editio. perperam.

Verſ. 402. *raptatur*] malim *rapta agitur*.

Verſ. 426. *Dura deûm ſummoque lues urguebat in aevo*] Hic verſus proxime ſequenti eſt ſubjungendus. Legatur etiam *Dira lues*. quod male Carrion mutavit. cum reliqua ex ejus membranis optime caſtigata ſint. *dira* etiam legi a nonnullis adfirmat Pius. Naſo Met. VIII.

Dira lues, ira populis Junonis iniquae,
Incidit exoſa dictas a pellice terras.

urgebat Olympo Aldinus codex. poſſis & *Dira reum urguebat*.

Verſ. 428. *Inſuper harpyiae Typhoïdes*] Haec quoque Carrion ex ſuo codice reſtituit feliciter, niſi quod *Typhonides* retinendum a Typhone. in *Typhoïdes* prima ſyllaba corripitur, infra de iiſdem harpyiis,

Inplorant clamore patrem Typhona nefando.

Verſ. 432. *dederant Aquilone creatis*] *dederunt* Colinaei & Gryphii editiones, & Baptiſte Pii.

Verſ. 437. *noſtriſque ait agnita votis*] imo *vittis*, hoc eſt praeſagiis. vide quae notamus libro III. v. 397. Phineus apud Apollonium libro II. 209.

Κλῦτε πανελλήνων προφερέστατοι, εἰ ἐτεὸν δὴ
Οἵδ' ὑμεῖς, οὓς δὴ κρυερῇ βασιλῆος ἐφετμῇ
Ἀργῴης ἐπὶ νηὸς ἄγει μετὰ κῶας Ἰήσων,
Ὑμεῖς ἀτρεκέως. ἔτι μοὶ νόος οἶδεν ἕκαστα.
Ἧισι θεοπροπίησι.

v. ad Ovid. I. Art. Am. 395.

Verſ. 439. *via juſſos quae ferat*) *Quo ferat* praetulerim, vel *qua*. quo iter inſtituatis vel unde. deinde, *rebar ſic tempora curſus* videtur mutandum in, *rebar prope tempora curſus*. niſi *proxima* cum *tempora* conſtruendum.

Verſ.

Verſ. 443. *animam ſolamine mulcens*) *animum* ſcribe. *propius* etiam pro *propior.*

Verſ. 449. *Conſuetis rerum eſt*) *ſerum eſt* jampridem ſcribi debere obſervaram, cum deprehendi id ipſum quoque ſagaciſſimo Gronovio animadverſum eſſe Obſervat. libro I. cap. XV. Naſo in Triſtibus,

Jam mihi fata liquet coeptos ſervantia curſus,
Per ſibi conſuetas ſemper itura vias.

mox, *Fallere quos nuſquam miſero locus*, in *nunquam* a Carrione non debuit mutari.

Verſ. 454. *Diripiunt verruntque dapes*) in editionibus nonnullis *vertuntque*. ſed opinor *velluntque*. vide tamen Indicem Lucretianum Giphanii in *verrere.*

Verſ. 455. *flagrat odor*) id eſt *fragrat*. ſed *ſaevit* Carrion ex ſuo codice, quod *fragrat* mox denuo ſubſequitur. nec aliter primus Vaticanus cum Regio, & ex ſuis exemplaribus ſcriptis Pius. atque ita vir eruditus ex veteri libro in ora codicis Veneti adnotarat. ſic apud Silium libro XIII. 600. in optimis membranis, *ſaevit ſtridoribus arbor.* non *nutat.* plura illic dicemus. & libro IV. *hinnitus ſaevit equorum.* noſter infra, *ſaevit utrimque fames.* Auctor tamen Queroli, *Clauſtrum illud plumbeum denſa per foramina diris fragrat odoribus.* ita & illic corrigendum.

Verſ. 456. *ſprevere quod omnes Pollueruntque manu*) *manus* in Carrionis libro. ſcribe,

——— *ſprevere quod omnis*
Pollueruntque manus.

ſic ſupra, 324.

——— *at manus omnis*
Heroum denſis certatim amplexibus urguent.

infra tamen,

---- *unum omnes inceſſere planctibus, unum*
Infeſtare manus.

Verſ. 460. *ſed vos obſervate precor*) *ſed vos ô ſervate precor.* ne dubita.

Verſ. 469. *O ubi nunc regni*) maluerim *Heu ubi.*

Verſ. 471. *namque eſt tibi noſtra voluntas*) *namque & tibi* corrigo. vel *en tibi.*

Verſ. 472. *ſi non ira Deum, vel ſi placabilis urguet*) ad librum Naſonis Met. x. v. 399. ſcribendum monui,

Si non ira Deum coelo inplacabilis urguet.

ubi plura ad rem.

Verſ. 475. *Ante precor*) Pius Baptiſta conjectabat, *Ante precor noſtrae finem.* Ego, *Jam precor o noſtrae.* vel,

Parce; precor, noſtrae tandem jam parce ſenectae

v. ad Ovid. xv. Met. 489. ſuperiori verſu nil neceſſe, quod Carrion invexit, *quae me premis.* cum *nunc* ſit in noſtris omnibus.

Verſ. 476. *nam veſtra voluntas Quod juvenes ſine pace Deum*) ita ſcripti noſtri cum Carrionis libro. *Quo* reſtituit Gronovius Obſervat. libro IV. cap. XXI. ſed cum τὸ *Quo* hac ſignificatione cum quarto caſu fere ſemper jungatur apud optimos quoſque meliorum temporum ſcriptores, non minus apposite refingamus *Quid juvenes.* Pius Baptiſta, *Haud juvenes.*

Verſ. 482. *effuſae media inter dicta tenebrae*) *offuſae.* ſed & idem jam occupavit idem ille Gronovius ibidem loci, multiſque exemplis Livii ſui adſeruit: *offuſae ob oculos tenebrae* Appulejo initio Floridorum. noſter libro v. verſ. 466.

——— *nova lux offuſa Citaeis,*

eodem corrigente Gronovio. & Phaedrus ab eadem manu Fab. xxxv.

Terrore offuſo & perturbatis ſenſibus.

ſed illic rectius, ni fallor, caſtiges,

Terrore offuſo perturbatis ſenſibus.

nam cum tertio caſu eleganter jungitur. ſic Tullio

Digitized by Google

IV. Tuſculan. Quaeſt. *Hic error & indoctorum animis offuſa caligo eſt.* IV. Acad. Quaeſt. *Ergo ut illis aqua, ſic aër craſſus nobis offunditur.* de Natura Deorum, *Philoſophia, quae lucem eriperet, & quaſi noctem quandam rebus offunderet.* in Salluſt. *Tu tuis majoribus, vitae, quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras.* pro Roſcio Amerino, *Tamquam ſi offuſa Reipublicae ſempiterna nox eſſet.* Statius Thebaid. v. ut & illic corrigendum cenſeo,

Sic erecta genas aciemque offuſa trementi
Sanguine.

quomodo idem Thebaidos I.

Pallentes erecta genas ſuffuſaque tabo
Lumina.

Marcianus Capella libro VIII. *Sed quia diverſa varietas mortalibus caligines offundit.* Ciceroni quoque in deliciis id verbum, uti jam ex parte vidimus. tertio Tuſcul. Quaeſt. *Si quid tenebrarum offudit exilium.* pro domo ſua, *tenebris offuſis demerſo populo.* de Univerſitate, *Cum ignis oculorum cum eo igni, qui eſt ob os offuſus, ſe confundit.* Lactantio quoque libro II. Divinar. Inſtitut. cap. primo, *offundere tenebras & hominum caecare mentes.* ſic *offulgendi* verbum bis Maroni ex optimis membranis reſtitui, ſemel Silio. Adi quae ad ipſum Maronem ea de re annotamus Aeneid. IX. v. 110.

Verſ. 483. *nec caſus, ab alto Ipſe*] ſic diſtingue.

Verſ. 485. *fatis ita jam cedentibus*] *jam jam cedentibus*, ſi quid video. mox *dirae poenae* maluerim, quam *durae.*

Verſ. 497. *inluſis ſtramina menſis*] *inliſis* repone. quod Maſeriana etiam editio bene expreſſit. Eſt id verbum Flacco noſtro perquam familiare. Appulejus Metam. IX. *Nec pauca rerum apparatus cibarii, menſas etiam, & id genus impetu meo conliſo atque di-*

diſturbo. ita optimae membranae a vulgatis τὰ *&* *id genus* abſunt.

Verſ. 509. *Eoas einis induit urbes*] ſic Carrion. ante legebatur *Aeeas urbes.* putavi aliquando *Aegaeas urbes.* in notis ad Ovid. v. Metam. 195. ſed *Eoae urbes* bene ſe habent. etſi a Baptiſta Pio damnatum. Audi Silium libro xvii, 598.

Sic ubi vi caeca tandem devictus ad aſtra
Evomuit paſtos per ſaecula Vesbius ignes,
Et pelago & terris fuſa eſt Vulcania peſtis:
Videre Eoi (monſtrum admirabile) Seres
Lanigeros cinere Auſonio caneſcere lucos.

Procopius libro ii. Gothicae hiſtoriae Vesbii cineres & Conſtantinopolitanae & Tripolitanae urbi aliquando incidiſſe teſtis eſt. Cteſias apud Photium Aetnaeos cineres in Indiam nonnumquam delatos eſſe adſeverat. eleganter autem *Induit.* quomodo *induit aeſtus arenas* apud Statium, in veterrimis membranis. ſed forte hic legi commode poſſet *inpluit urbes.* de quo verbo vide ad Naſon. i. Metam. 572.

Verſ. 513. *vocat magni Strophadas nunc incola ponti*] *vocant incola* primus Vaticanus & Regius. eleganter. de quo loquendi modo complura ad Naſonis Remedia Amoris v. 164. & ad ſextum Aeneidos Maronianae v. 209.

Verſ. 520. *Fulmina quamquam Aegidaque ille gerat*] *ille gerens* primus Vaticanus Regiuſque.

Verſ. 524. *cum premit Argos Lethiſer*] *cum premit arcus Lethiſer*, ex tripode prolata perſpicaciſſimi Gronovii reſtitutio, Obſervat. i. cap. xv. quam confirmat Regius quoque liber. neque aliter vir eruditus in Veneta editione anni mccccc, quae in Vaticana exſtat, caſtigaverat. atque ita caſtigari a nonnullis monuerat Pius Baptiſta, quibus aurem non praebuit, ſecutus auctoritatem ſcriptorum exemplarium. Zetes & Calais ab Hercule in inſula Teno interfecti. quae ſequuntur poſt τὸ *Lethiſer*

thiſer verſu uno alteroque mihi penitus videntur frigere, ac proinde admodum ſuſpecta ſunt. Carrion ex ſuo codice perperam, *comprimet Argos Lethiſera.*

Verſ. 528. *ſociae victor petit agmina puppis*] imo *pubis*. ſolemnis hic in Valerio error. ſic & infra ſcribendum libro v. 620.

---- *promiſſaque vellera pubi*
Theſſalicae.

& libro vi. initio,

---- *Grajamque abſumite pubem.*

libro v. 220.

---- *horrenda trepidam ſub imagine pubem.*

v. ad Ovid. vii. Met. 56.

Verſ. 540. *nec numine vano*) non damno quidem hanc ſcripturam, opinabar tamen fore concinnius, *numine laevo.* ut apud Maronem i. Georg. *ſi quem Numina laeva ſinunt.* & lib. ii.

Si fata Deûm, ſi mens non laeva fuiſſet.

Silius libro xiv. *Seu laevi traxere Dei.* & libro xv.

Invideat laevus nobis Deus.

atque ita frequenter Poëtae. ſic contra *numine dextro* apud Statium Epithalamio Stellae, atque alibi.

Verſ. 546. *nec vates ſat*) *nec vatis ſat* putabam.

Verſ. 554. *arte benigna Pallados*) *benignae* praeſtat.

Verſ. 563. *ſua comminus actae Saxa premunt cauteſque ſuas*) ne bis idem dicat, malo *cauteſque cavas.* nam Apollonio κοῖλαι σπήλυγγες dicuntur. mox & puto, *ceu vincula mundi Ima labent*, pro, *cum labant.*

Verſ. 569. *juvare Auſa quibus poſſim*) *juvabo Auſa quibus poſſum* legi a nonnullis teſtis Pius, ſed id contra auctoritatem veterum exemplarium. mox *ſieret mora* pri. Vatic. & Regius.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 580. *vox haec ſimul exciit aures*] ſic Carrionis liber cum editis nonnullis. ut Pius Baptiſta conjecerat, interpretatus; *commovit*, *impulit*. ipſe *attigit*. *excidit* primus Vaticanus cum Aldino & potioribus editis. neque aliter Regius pro diverſa lectione, in cujus contextu *impulit*. Maſerius *incidit*. omnino aſſentior Giphanio reponenti *accidit*. dictum jam ſupra libro II. verſ. 452. ubi plura ad rem. *exiit auris* volebat Columbus. ut terrificum magis & divini horroris. *auris* pro aëre. ut Virgil.

---- vox audita per auras.

Verſ. 586. *aut mea jam ſaevae*] *ſuetae dirae* magis hic arrideant v. lib. VI. 336. proximo verſu *dabitur ſi currere*, non *ſic* pri. Vatic. & Regius. forte, *dabitur tibi*, vel, *dabitur*, *ſcio*, *currere cautes*. pro *certe* verſu proximo forte *fer te*. niſi totus locus ita ſit conſtituendus,

Verum inter medias (dabitur ſic currere) cautes
Fer te digna manus.

Verſ. 592. *Perculerit vicina lues*] forte, *nec opina lues*. ſed & *vicina* ferri poteſt. jam vicina.

Verſ. 593. *animos accinge futuris*] *futuros* ſcripti noſtri. pro *futuro*.

Verſ. 595. *Ater aquas Acheron*] ſic ex ſuo codice Carrion. neſcio an recte. vulgati, *Alter*: cum ſcriptis noſtris. de quo nos in obſervatis. ſic paullo ante,

Jamque alio clamore ruunt.

Verſ. 596. *ſaeva ſequitur caligine campos*] *campus* Carrion & editiones nonnullae. ſed nulla opus mutatione. *campos* primus Vaticanus quoque. Forte &, *furva caligine*. vel *picea*. pro *fumeus* etiam malim *ſpumeus* v. ad lib. II. 233.

Verſ. 601. *Proxima Thermodoon*] *Thermodon* bene pri. Vaticanus. niſi legendum, *ſecet arva memento*; quamquam illud *memento* ſuſpectum valde. forte,

Proxi-

Digitized by Google

Proxima Thermodon his jam ſecat arva fluento.
ut verſ. 208.

---- veneranda fluentis.

Effigies te, Phaſi, manet.

Poſtea cum Regio, *Gens ubi*, non *ibi*. mox *ſed qualis. ſed quanta* non fuit mutandum a Carrione in *& quanta*.

Verſ. 606. *Ne tibi nunc*] *tunc* praeſtiterit.

Verſ. 612. *Et tonat adflicta ſemper domus ignea maſſa*] *a flicta maſſa* fortaſſe. adi notata ad Maronem lib. IX. Aeneid. v. 667.

Verſ. 617. *Caſtra ibi*] *ubi* Regius.

Verſ. 630. *poſſem perſolvere grates*] *poſſim* praeſtiterit.

Verſ. 634. *nec metuam*] *ne metuam* legendum.

Verſ. 635. *Deſinite amplexus*] Miror tantillum mendum fugiſſe tot interpretes. lege,

Dem ſinite amplexus.

quidquid vetuſti codices obnituntur. lib. I. 333.

Da, precor, amplexus.

Verſ. 641. *Cum procul auditus ſonitus*] *auditur* Carrionis liber. *auditis* primus Vaticanus. Aldus cum Maſerii editione, *auditi*. lege omnino, *audiri*. quod & Maſerius in ſcriptis codicibus videtur reperiſſe. libro v.

Tum gemitu propiore chalybs denſuſque revulſis
Rupibus audiri montis labor.

Verſ. 645. *maria ipſa repente Difficere*] ſcripti omnes tam noſtri quam Carrionis & Pii, *Diffugere*. ſed *ferre fugam* verſu proximo praeceſſerat. nil auſim inmutare.

Verſ. 645. *deſcendere montes*] *diſcedere* indubitata conjectura caſtigabat Johannes Georgius Graevius, amicus meus, quod verbum etiam ſupra libro I. 285. feliciter reſtituerat. nos de eo nonnihil ad Faſtos Naſonianos. ſed & Pius Baptiſta *diſcedere* a nonnullis corrigi hoc loco monet. *averſos diſcedere*

Sabel-

Digitized by Google

Sabellicus. ſed *τὸ adverſus* non eſt mutandum. *deſcendere* Maſerius perperam tuetur.

Verſ. 647. *Omnibus & gelida rapti formidine remi*] *è gelida formidine* puto. deinde *lapſi remi* idem Graevius.

Verſ. 651. *Idem Amyci certe viſo timor omnibus antro Perculerat*] ſic ex ſuis membranis Carrion & Pius. quomodo primus quoque Vaticanus, Regiuſque & primae editiones. cum in caeteris vulgatis, *Idem animos*. doctiſſimus Graevius vere,

Idem animos Amyci viſo timor omnibus antro
Perculerat.

nihil certius; niſi mavis,

Idem Amyci mentes viſo timor omnibus antro
Perculerat.

Verſ. 654. *abjecti Phaleri*] nimis abjecte profecto Phalerum hic excipit noſter Jaſon. *abjecti* Pius interpretatur *excluſi* & *abire coacti*. *abjectum* Graevius; remum videlicet. *Actaei Phaleri* putabam. ut libro VI.

---- *Actaei ſed cum prior haſta Phaleri*
Dejicit.

ſic Actaeus Triptolemus Stat. lib. IV. Sylv. Epulo Domiti. ubi *Aetherius* male legitur.

Verſ. 657. *aequore toto*] an *torto?* ſic apud Silium VII. 412. legendnm.

Ac tortus multo ſpumabat remige pontus.

Verſ. 675. *vel fallar, ait*] recte Carrionis liber *fallor*. & ſic conjecerat Sabellicus. idque in nonnullis legi teſtis eſt Pius. noſtri ſcripti, *fallit*. niſi quod in Regio *fallis* pro diverſa lectione.

Verſ. 677. *Coeperat intendens abductis montibus unda*] peſſime Carrion *incedens*. vide quae notamus lib. VI. verſ. 114. primus Vaticanus, *incendens*. forte, *Hinc cedens*. deinde idem, *adductis montibus* pro contractis, quae vox ſaepe corrupta eſt in optimis ſcriptoribus. paullo ante bene Carrionis liber, *fumo atro*. pri. Vatic. *fuſo atro*. vulgati, *fuſo*

Digitized by Google

fuſo antro. unde *fuſco antro* legebam aliquando.

Verſ. 680. *Vela, nec eniti remis pote*] *remis quoque* Carrion infeliciſſime. Propertius,

Qua pote quiſque, in ea conterat arte diem.

uſi ea voce Terentius, Lucretius alii.

Verſ. 683. *ſcopulos hinc nata coercet*] primus Vatic.

Inſiliunt pariter ſcopulos: hunc nata coercet,
Hunc conjunx Jovis.

eleganter. de qua ſcriptura curis ſecundis ad Claudianum conſulatu Manlii Theodori agemus, *ſcopulos* tamen nonnihil ſuſpecta eſt, cum ea vox jam praeceſſerit.

Verſ. 685. *detorquet in ilia cornu*] Haec mendoſa ſunt: nam *ilia* quem hic locum habeant, haud video. fortaſſe, *invito detorquet in avia cornu.* vel lege *herilia.* ſcriptum fuerat, *detorquet ilia.* Statins Achilleid. I. 247.

Exierantque jugo feſſi delphines herili.

Claudian.

---- *deductum vindice morem*
Lex celebrat, famuluſque jugo laxatur herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu.

noſter ſup. 383.

---- *& arbitrio durus ſervabit herili.*

& lib. VI.

Inſequitur Drancaea phalanx, clauſtriſque profuſi
Caſpiadae: quis turba canum non ſegnius acres
Exilit ad lituos, pugnaſque capeſſit heriles.

mox ibidem:

---- *notuſque refutat*
Arcus, & incoeptus jam lancea temnit heriles.

& deinde,

Hinc bijuges, illinc artus tenduntur heriles,
Quos radii, quos frena ſecant.

denique,

---- *ſubitos ex ore cruores*
Saucia tigris agit, vitamque effundit herilem.

& lib. VIII.

Digitized by Google

Sic aſſueta toris & menſae dulcis herili
Aegra nova jam peſte canis.

Deſcriptio Jaſonis ſub juga tauros cogentis videatur lib. VII. 589. & ſeqq. & Apollon. lib III. Pius Baptiſta monet à nonnullis legi, *in illada*, Graeco vocabulo, nam ἰλλὰς eſt vinculum. pro *verſet aquas* male Carrion *verſat aquas*. pro, *mixtis arenis* ſcribo,

Inde velut mixtas Vulcanius ardor ahenis
Verſet aquas, ſic ima fremunt.

ima, utrique ſcopulo incluſa. De ſimili comparatione aquae bullientis loca Maronis & Lucani à me caſtigata ſunt obſervationibus ad Naſonis librum XII. Metam. verſ. 279. de *aheno* hic Sabellicus quoque erat ſubodoratus. pro *ima fremunt*, vir eruditus in ora Venetae editionis *unda fremit.* quomodo & Aldinus codex. Maſerius notat in nonnullis codicibus exſtare, *una fremunt.*

Verſ. 688. *effluit*] malo *effugit.*

Verſ. 690. *Pergere iter*] male *porgere* Sabellicus. infra libro V. 174. *Pergere iter ſocii. tanto diſcrimine.* non, *tenui diſcrimine* Regius.

Verſ. 692. *jam caetera coelo Debita, conclamant Minyae*] ſcribe.

——— *nam caetera coelo*
Debita. conclamant,

confirmat primus Vaticanus & Regius.

Verſ. 694. *fugit ipſe noviſſimus ictus*] *ictum* concinnius.

Verſ. 702. *vix primis amplexi liminis oris*] *primas oras* Aldus, & codex Regius pro diverſa lectione. alii aliter. ſed fruſtra. *amplexi*, ſubintellige, ſeſe. vide notata ad Naſonis Phaedram, verſ. 139.

Verſ. 709. *& fati (certa nam lege manebant)*] ſcribe,

-- *aeter-*

——— *aeternumque revinctos*
Neſcius. id fati certa nam lege manebat:
Si qua, &c.

manebat certe ante Carrionem legebatur. peſſime etiam haec vulgatae editiones diſtinguunt.

Verſ. 715. *Tyrrhenus & Aegon*] *Aegan* Salmaſius ad Solinum. monui ſupra libro 1. 629. Locus corruptus, nec cohaerent haec cum ſuperioribus. Joh. Columbus, *nec parvas quamvis*, & *nec deſint*. nil muta priore verſu: ſed mox ſcribe, *ut deſint*.

Verſ. 719. *Lyces Hypaniſque Melaſque*] *Lycus*, non *Lyces* aliis dicitur hic Fluvius. primus Vatic. *fluuſque Lyces*. forte, pro *refluuſque*, niſi *flavuſque Cales*. uti monui ad Pontica Naſonis libro IV. El. x. 47. Maſerius *Tyres* invenit in codice ſuo, pro *Tyras*. pro *Melaſque* ſcripti noſtri, *Nomaſque*. niſi quod in primo Vaticano *Novaſque*. quod Pio Baptiſtae arridebat ex illo libri VI.

Hiberni qui terga Novae, gelidumque ſecuri
Eruit, & tota non audit Alazona ripa.

Verſ. 722. *glacialibus auris*] ſcripti & vetuſtae editiones, *glaciantibus*. bene.

Verſ. 724. *invenit amnes*] ſic corrigit Pius ex mirandae vetuſtatis libro. *inveniat* pri. Vatic. Regius & Veneta editio cum caeteris pleriſque, *invehat*. forte *innovat*, vel, *induit*. ut ſupra v. 509. ſed lege *incubat*. poſtea *verſa vadis* Regius codex cum Carrionis libro, & editis nonnullis. pro *ſic unda per omnem*. vir doctus *nix cruda*. ſed nil mutandum.

Verſ. 727. *anfractibus angit*] *auget* Carrion ex ſuo codice. *anguet* pri. Vatic. Puto *urguet*, quo verbo plurimum delectatur Valerius v. ad lib. VI. 522, Johannes Columbus hos duos verſus collocabat poſt illum

Pontus & exorta.

Verſ.

Verſ. 729. *Illic umbroſae ſemper ſtant aequore nubes*] malim *umbroſo*, ut apud Statium,

Iſter, & umbroſo circumflua conjuge Peuce.

Verſ. 732. *ſed redit extremo*] Hunc quoque verſum agnoſcit primus Vaticanus & Regius. proximo verſu malim *advertit* pro *advertitur*.

Verſ. 734. *atque celer terras regemque exquirit Echion*] putabam,

At celer in terras ad regem excurrit Echion.

Verſ. 735. *lectos fama eſt ſi nominis umquam Haemoniae ſubiiſſe viros*] *Haemonii* editiones ante Carrionem. bene. ſcribatur,

---- lectos fama eſt ſi nominis undam
Haemonii ſubiiſſe viros.

undam ſubiiſſe, pro mare aut aequor ſubiiſſe. libro II. 586.

---- Phrixea ſubibant
Aequora, & anguſtas quondam ſine nomine fauces.

libro v. magis ad rem,

Si juvenem, qui juſſa ſui tam dura tiranni
Inpavidus, maria & nondum qui nota ſubibat,
Juvimus.

libro VIII.

Ex quo Theſſalici ſubierunt aequora remi.

Verſ. 741. *Haud temere eſt: fato*] corrigunt.

Haud temere & fato,

fruſtra. diſtingue poſt τὸ *eſt.*

Haud temere eſt.

vide adnotata ad Virgilii Aeneid. IX. 375.

Verſ. 347. *illic aderam*] *illuc* primus Vaticanus cum Regio. utique concinnius. ſic, *Huc ades.*

Verſ. 751. *Haec vero praerepta mihi*] *praecepta* pri. Vaticanus. bene. de quo ſupra, v. 341. & ad Ovid. Epiſt. XVII. 107. Lucanus lib. II.

Non ſenis extremum piguit vergentibus annis
Praecepiſſe diem.

ita

ita illic membranae complures, quas evolvi, non *praecipitaſſe. praevertere* dixit Silius lib. III.

Mirus amor populo, cum pigra incanuit aetas,
Inbelles jamdudum annos praevertere Saxo.

noſter libro VI. 492. uti forte ſcribendum,

Lilia per vernos lucent ſic alba colores,
Praecipitur quis vita brevis,

hoc eſt ante diem intercipitur. poſſis &, *praecipitat.* in vulgatis *Praecipue* nunc legitur. eodem libro verſ. 571.

Inmoritur primaevus Helix, nec reddita caro
Nutrimenta patri, brevibus praecepta ſub annis.

quomodo & illic oportere ſcribi contendo. Florus libro III. cap. IX. de Ptolomaeo, *Et ille quidem ad rei famam veneno fata praecepit.* lib. IV. cap. XII. *Poſtquam extrema barbari vident, certatim igne, ferro inter epulas, venenoque praecepêre mortem.* apud Silium Italicum libro IV. ex veteri codice,

---- *merſa profundo*
Punica regna forent, olim ſi forte cruenta
Eſſet tanta mei virtus praecepta mariti.

hoc eſt intercepta. & libro XV. 659. *praecipe laudem* ex veteri codice. libro XVI. v. 338. de ludo Circenſi,

Conclamant plauſuque fremunt: votique peractam
Majorem credunt praecepto limite partem.

ubi tamen *praerepto limite* in ſcriptis. Livius libro XXII. cap. XLI. *Dum ipſe longius ſpatium fuga praeciperet.* ita codices ſcriptos illic exhibere Gronovius teſtatur. nec aliter capiendum illud in Macrobio Saturnalium lib. VII. cap. III. *Inſtituenda eſt enim adoleſcentia tua, quae ita docilis eſt, ut diſcenda praecipiat.* quae ita docilis eſt, ut diſcenda diſcat, antequam doceantur.

Verſ. 758. *inviſo ſolvit cui pectore poenas*] *inliſo* vel *eliſo* Joh. Columbus.

NICO-

Digitized by Google

Nicolai Heinſii,

ANIMADVERSIONES

IN

LIBRUM V.

ARGONAUTICON

C. Valerii Flacci.

Verſ. 3. *Extremi ſibi tum non inſcius aevi*] a Valeriana manu opinor eſſe,

Extremi ſibi non tamen inſcius aevi.

Verſ. 17. *arcipotens*] *arquipotens* pri. Vatic.

Verſ. 26. *Ante alios ſupereſſe volunt*] an *vovent*?

Verſ. 39. *Bina (nefas) toto pariter mihi funera ſurgunt Litore*] ſic cum Carrionis libro primus Vaticanus. ſed perperam. *tuto litore* rectius ante legebatur in Colinaei & Gryphii editionibus ex conjectura Pii, nec mutari a Carrione debuit. noſter ipſe libro 11.

---- *ſuperabat ovanti*
Litora tuta gradu.

v. lib. 1. v. 306. in Catalectis Pithaei pag. 35.

Haec quiſquis calcare poteſt, in litore tuto
Ludat: & hoc ſolum judicet eſſe mare.

ubi in pervetuſto codice Voſſiano pari modo ſcriptum offendi, *litore toto.* antiqua inſcriptio Praeneſtina

Digitized by Google

---- *ire per illos*
Conſuetus portus, cura ſtudioque laboris,
Litora qui praeſtant feſſis tutiſſima nautis.
tutum litus dicitur reſpectu maris. Hinc apud Naſonem.
Ne mihi ſit terra tutior unda tua.
& apud Claudianum praefatione libri II. in Eutrop.
Crede mihi terra tutius aequor erat.
ſequentia per interrogationis notam legenda ſunt.

Verſ. 41. *aut ipſe relinquo*] peſſime *relinquor* Carrion; Herculem a ſe relictum innuit. vidit Zinzerlingus quoque veram lectionem.

Verſ. 46. *Pleïadumque globos*] non damno quidem hanc lectionem: nam & *globus* pro militum manu ſtipata ſumitur. maluerim tamen,
---- *Pleïadumque choros.*
chori enim proprie de aſtris dicuntur, uti notis ad Claudianum conſulatu Manlii Theodori diximus. χόρ☉ ἀςρῶν, paſſim apud Poëtas Graecos. apud Propertium libro III. El. IV.
Pleïadum ſpiſſo cur coit igne chorus?
Horatius lib. IV. Od. XIV.
---- *Pleïadum choro*
Scindente nubes.
ſidereum chorum pro aſtris dixit idem Propertius. lib. III. El. XIX. loco vexatiſſimo,
Haec Amor ipſe ſuo conſtringit pignora ſigno:
Teſtis ſiderei tota corona chori.
ita ſcribendum eſſe cenſeo. τὸ *corona* abſorpſerat ſequentem vocem *chori* ob cognatas ſyllabas, feſtinantis librarii culpa. unde enatum poſtea,
Teſtis ſidereae torta corona deae.
quod nunc legitur. cum tamen quid ſibi velit Propertius per *ſidereae deae coronam* nemo interpretum nos doceat, aut aſſequatur. Tempus nocturnum & aſtra teſtes invocat horarum adloquiis amatoriis a ſe datarum. ejuſcemodi naevos complures in eodem Pro-

Digitized by Google

pertio aliiſque ſcriptoribus ad Naſonem caſtigavimus. *ſidereus chorus* quomodo apud Statium Achilleïde,

---- riſit.

Siderei regina chori.

Verſ. 48. *Carpere ſecuras quis jam jubet Aeſona noctes?*) in Carrionis libro & editionibus quibusdam, *qui jam jubet.* opinor, *quid jam juvet?*

Verſ. 50. *& attonitis nimium mens anxia Colchis*] *amotis Colchis* Aldus. unde feliciter Gronovius Obſervat. IV. cap. XXI. *admotis*, hoc eſt appropinquantibus. Laurentius Balbus *attentis curis.* fruſtra. libro primo ſimilia habes de Argo,

Jam magis atque magis variis ſtupet Aea deorum
Prodigiis, quatiuntque truces oracula Colchos.

& libro IV. 544.

---- volat illa mari: quantumque propinquat
Phaſis, & ille operum ſummus labor; hoc magis angunt
Proxima.

mox *Aea receſſit* pro *Aeta* ſcribendum quoque, ut & in loco libri I. paullo ante adducto,

---- variis ſtupet Aea deorum
Prodigiis.

quod ad Naſonis epiſtolam VI. jam monuimus, & ad Livium Gronovius idem libro XXVII. cap. XLVII. *Aeta* enim non dicitur, ſed *Aeeta.* certe codex Regius hoc loco manifeſte *aea*, addito gloſſemate, *regio colchorum.* pro *profuit* peſſime *profugit* Maſerius. *Aea* etiam a nonnullis legi monet Pius Baptiſta; ſed, deceptus depravatis Ovidii exemplaribus, vulgatae ſcripturae perperam adhaeret.

Verſ. 55. *flammis vidit labentibus oſſa*] *lambentibus* perperam ex ſuo codice Carrion, & ante illum Maſerius caſtigarunt. agitur de collapſa pyra.

Verſ. 61. *tum vivo frondes & ceſpite tellus*] ſcribe, *frondens e ceſpite*, ut libro III. 455.

Dixe-

Digitized by Google

Dixerat, & ſummas frondentibus intulit aris
Libavitque dapes.

in Regio codice *frondes e ceſpite.*

Verſ. 72. *placidas dimiſe, at ancora terras*] *placitas* & hic videtur corrigendum. uti jam monitum libro I. v. 265. Maſerius adgnoſcit, *triſtes terras*; in Regio *moeſtas.* a primo Vaticano vox haec erat omiſſa; *triſtes diviſerat* Carrionis liber. paullo ante Regius,

---- *primos laeto ſic tempore rector*
Ingreditur curſus.

bene.

Verſ. 75. *Calichoron*] *Calliroën* Regius. primus Vaticanus *Callirrhoän. Callirrhoën* codex Carrionis. ſed male. alius enim Καλλίχορος, alia καλλιῤῥόη. καλλίχορον eſt Orpheo. In Aldino codice *Callichorus.*

Verſ. 83. *Interea & magnis natorum laudibus implet*] *fatorum* Carrion ex ſuis membranis, omiſſo verſu proximo, qui etiam in noſtris codicibus tam editis quam ſcriptis deſideratur. niſi quod Regius margini adſcriptum exhibet, in contextu Gryphius & Colinaeus,

---. *venturam coelo fatis melioribus Argo.*

Carrion utrumque expungendum cenſet, me non abnuente.

Verſ. 85. *Addita jamque fretis repetens freta jamque furentes Cyaneas*] *frequentes* repoſuit Carrion ex ſuo codice. τὸ *furentes* ex his defendi poteſt, quae libro IV. occurrunt apud noſtrum de iiſdem Cyaneis,

---- *furor his medio concurrere ponto.*

ferentes tamen Aldinus quoque codex, & liber Regius cum Maſerio, & Pii editione. quomodo *venti ferentes.* pri. Vaticanus, *pharentes.* vir eruditus in ora editionis Venetae correxerat, *patentes.* pro *Addita jamque fretis*, idem Vaticanus, *Additamque fretis.* Regius, *Addictamque fretis.* Carrionis liber,

Digitized by Google

Addictaſque fretis repetens freta quaque ſerentes.
ſcribe omiſſis duobus verſibus.

Fama per extremas quin jam volat inproba manes,
Addita quaque fretis repetens freta, quaque ferentes,
Cyaneas.

Elegans eſt uſus τῦ *qua* repetiti, ſed ut plurimum corrupti apud optimos ſcriptores. Ita & magnus Scaliger apud Propertium caſtigabat,

Qua tibi terra velim, qua tibi fiat aqua.

noſter ſuperiori libro. neque aliter libro III. v. 461. apud hunc noſtrum ſcribi oportere exiſtimo,

Continuo puppim petere & conſidere tranſtris
Imperat Ampycides, nec viſum advertere terrae;
Exciderint qua geſta manu, qua debita fatis.

quamquam necdum id ſatis pro comperto eſt: nam aliam illic loci caſtigationem exhibuimus, fortaſſe veriorem. Feſtus Avienus ora maritima,

---- *namque praeter ceſpitis*
Fecunditatem, qua pecus, qua palmitem,
Qua dona flavae Cereris educat ſolum.

Statius Soterio Rutilii Gallici,

---- *largos potius mihi gurges in hauſtus*
Qui rapitur de fonte tuo; ſeu plana ſolutis
Qua ſtruis orſa modis, ſeu qua tibi dulcis in artem
Frangitur, & noſtras curat facundia leges.

ita vetus editio Parmenſis, venuſte. Auſonius praefatione Epigrammatum,

Come ſerenatam duplici diademate frontem
Serta ferens, qua dona togae, qua praemia pugnae.

ubi perperam nunc legitur,

---- *quae dona togae, quae praemia pugnae.*

Plinius Nepos libro VI. Epiſt. XXIX. ex optimo codice Mediceo, quo Florentiae ſum uſus, *ſed quam-*

Digitized by Google

quamquam abſens totus huc migraſti, tantum mihi copiarum, qua urbanarum qua ruſticarum nomine tuo oblatum eſt, quas omnes inprobe accepi tamen. vulgo, *tam urbanarum, quam ruſticarum.* Idem ejuſdem libri Epiſt. XXXIII. *Ad hoc ſtipatum tribunal, atque etiam ex ſuperiore baſilicae parte, qua foeminae, qua viri, & audiendi, quod difficile, &, quod facile, viſendi ſtudio inminebant.* Idem Plinius libro IX. Ep. II ex eodem codice Mediceo, *Neque enim eadem conditio noſtra, quae M. Tullii, ad cujus exemplum nos vocas. Illi enim & copioſiſſimum ingenium, qua varietas rerum, qua magnitudo largiſſime ſuppetebat.* codex noſter membraneus, *ad cujus exemplum vocas. Illi enim & copioſiſſimum ingenium, & ingenio quae varietas, rerum quae magnitudo largiſſime ſuppetebat.* Aldina editio, *Illi enim & copioſiſſimum ingenium, & par ingenio materia, quanta varietas rerum, quam magnitudo largiſſime ſuppetebat.* Scribo, *Illi enim & copioſiſſimum ingenium, & par ingenio qua varietas rerum, qua magnitudo largiſſime ſuppetebat.* Apulejus lib. IX. Metam. *Simulans ad conmovendam miſerationem, genua ejus velle contingere, ſubmiſſus atque incurvatus, arreptis ejus pedibus utriſque ſublimem elatum* (malo *utrimque ſublime elatum*) *terrae graviter adplodit, & ſtatim qua pugnis, qua cubitis, qua morſibus, etiam de via lapide correpto totam faciem manuſque ejus & latera converberat.* Plura exempla congeſſerunt ex Plauto, Cicerone, Spartiano, Plinii, Pacati & Mamertini panegyricis Rittershuſius ad Guntheri Ligurinum pag. 80. ex Juriſconſultis Antonius Auguſtinus Emend. libro II. cap. II. & Franciſcus Modius Novantiquis Lectionibus Epiſt. XCII. qui Plinii locum lib. IX. Ep. II. etiam tentavit. ſed male.

Verſ. 90. *It Stenelus*] Puto, *Is Sthenelus.* Certe in primo Vaticano Regioque *ſthenelus* legebatur.

Digitized by Google

neque aliter Apollonio eſt dictus hic comes Herculis,

Ἔνθεν δὲ Σθενέλου τάφον ἔδρακον Ἀκτορίδαο.

mox pro, *condidit armis.* liber Carrionis, *concidit.* aliud verbum videtur latere. nam *conditus* paullo ante praeceſſerat. Apollonius de Sthenelo,

Βλήμενος ἰῷ κεῖθεν ἐπ' αἰγιαλοῦ θάνεν ἀκτῆς.

quod & τὸ *concidit* videtur adſtruere. forte,

Cumque ſuis comes Alcidae ceu concidit armis.

Verſ. 94. *atque ea vixdum Viſa viris, atram nox protinus adtulit umbram*] Ita Carrion ex ſuis membranis haec interpolavit. perverſe. *abſtulit* antea legebatur in editis. primus Vaticanus,

---- *atra nox protinus abſtulit umbram.*

ſcribe indubitata conjectura,

---- *atque ea vixdum*

Viſa viris atra nox protinus abſtulit umbra.

v. ſup. ad lib. I. v. 12.

Verſ. 96. *omina Mopſus Dum ſtupet*] ſic bene Aldus & Carrionis liber, cujus tamen editio poſterior *omnia.* praeterea in Regio, *Mopſos*, & mox, *acte*, pro, *acta*, Graecorum more. Maroni tamen *acta* paſſim, non *acte. acta* pro *Attica* Alardus. ſed nos ab Attica nunc longe abſumus.

Verſ. 100. *Odryſius dux rite movet*] perperam Carrio,

Othryſius dum rite movet.

pro *percutit* mox primus Vaticanus *percliit.* an *perculit*? ita certe diſertim liber Regius adgnoſcit.

Verſ. 101. *Altius in ventos recipit ratis*] cave ſollicites hunc locum, quem egregie illuſtravit ad Paterculi. lib. II. cap. LXXI. Gerardus Voſſius, adoleſcens praeclare indolis, & dignus omnino, cui vita contigiſſet diuturnior. codex Regius, *Altius hinc ventos*, quomodo conjecerat Pius Baptiſta. *cecidit* Sabellicus; Maſerius *recidit.*

Verſ. 102. *Crobiali latus*] primus Vaticanus & Regius, *Cobilli latus. Cobylli* Carrionis codex. ſed

Apol-

Digitized by Google

Apollonio Κρωϐίαλος eſt. apud Livium *Cobulatus* dicitur, ſi ſani ſunt codices, lib. XXXVIII. c. 15. *Inde ad Lyci fluminis fontem, poſtero die ad Cobulatum amnem progreſſi.* ſed & illic *Crobialum* ſcribo. vel *Cobialum*. nam in Strabonis codicibus Κωϐίαλος libro XII. ubi hunc Homeri verſum,

Κρώμναν τ' Αἰγιαλόντε καὶ ὑψηλὰς Ἐρυθίνας.

a nonnullis legi affirmat, Κρώμναν Κωϐιαλόντε. ſed Apollonii Scholiaſtes Κρωϐίαλον in Strabone adgnoſcit. quomodo id nomen in Stephano Byzantio, & Euſtathio ad illum Homeri locum etiam ſcribitur. ſed illis Κρωϐίαλος πολίχνιον eſt τῆς Παφλαγονίας. niſi & Fluvium oppidulo cognominem contendimus.

Verſ. 106. *mox etiam Cromnam atque jugo pallente Cytorum*] Carrionis liber, & ſcripti noſtri conſtanter,

Mox etiam Cromanae juga pallentemque Cytoron.

recte. niſi quod *Cromnae juga* ſcribendum. hoc eſt *juga Cromnae*, vico ſeu oppidulo, vicina. Cromna eſt Homero, Apollonio, Straboni, Plinio, Stephano Byzantio, quem vide. recte autem *pallentem Cytoron*, propter buxos; Apollonii illa expreſſit,

Κρωϐίαλον Κρώμναντε καὶ ὑλήεντα Κύτωρον.

pro *Erythine*, quod ſequitur ex conjectura Pii Baptiſtae, in ſcriptis omnibus eſt *Erythia*. & ſane Ἐρυθῖνοι ſunt Homero & Apollonio, caeteriſque Geographis; ut λόφοι ſubintelligatur. Stephanus Byzantius Ἐρυθῖνοι, πόλις Παφλαγονίας. neque aliter Heſychius. ſed & Ἐρυθείαν in Helleſponto ponit Orpheus.

Verſ. 118. *Puppimque Pelaſgam*] *Pelaſgûm* primus Vaticanus & Regius.

Verſ. 137. *vulnere prenſa ſagittae*] perperam Sabellicus, tam hic, quam infra v. 160. *preſſa*.

Vincula preſſa manu.

Digitized by Google

Verſ. 140. *Qui furor*] perperam haec Carrion diſtinguit.

Verſ. 148. *Inde Genetaei rupem Jovis, hinc Tibarenum Dant virides poſt terga lacus*] optime, & feliciſſime haec in epiſtolis reſtituit vir ſummus Angelus Politianus. ex Apollonio quippe deſumta ſunt,

Τὺς δὲ μέτ' αὐτίκ' ἔπειτα Γενηταίου Διὸς ἄκρην
Γνάμψαντες, σώοντο πάρεξ Τιβαρηνίδα γαῖαν.

ſequentia etiam de foetis mulieribus apud utrumque id confirmant. & adſtruit narrationem ex Nymphodoro Scholiaſtes. ſi quid mutandum ſit, refingam,

--- *Tibarenos*
Dant Minyae poſt terga lacus.

nam pro *Tibarenos* primus Vaticanus, *tibi Mavors.* uti & Regius, cum vetuſtis editionibus: quod Pius probabat. *hinc tymanus* Carrionis liber. & *rupes*, perperam. unde ille, *Inde Tymavos.* nullo auctore. & tamen ſic exprimendum curavit. pro *Inde Genetaei*, uti optime Politianus, in primo Vaticano legitur,

Indigena etae rupem Jovis..

ut adpareat virum ſummum hic ſibi parum permiſiſſe.

Verſ. 152. *Moſſynici*] *Mooßonychi* pri. Vaticanus. Regius *Moſynechi. Moſſonychi* Carrionis liber. Μοσσυνοίκοι ſunt Apollonio. Dionyſio Periegetae Μοσυνοίκοι. ſic Xenophonti etiam & Diodoro Siculo dicuntur & Straboni. Μόσυνοι Orpheo, ubi de Tibarenis,

Καὶ Χάλυβες, Τιβαρηνῶν τ' ἔθνη, λαοί τ' ἐπίχειροι
Μίγδην ἐν Μοσσύνοισι πέδον περιναιετάουσι.

Plinius libro VI. cap. IV. *Oppidum Cotyorum, gentes Tibareni, Moßyni notis ſignantes corpora.* atque ita apud Valerium reponi debere cenſeo. nam *Moſſynaecos* metrum non admittit. *Moſſynici* ex conjectura Pii eſt.

Digitized by Google

Verſ. 157. *ille*] etiam forte *illo.*

Verſ. 160. *Saxis abduxerat imis*] *adduxerat* caſtigavimus ad Naſonem Pont. libro 11. El. ix. nam *abducta flumina* paulo poſt ſequuntur. *adducere* attrahere. mox,

It laevo gravior pede

Pius.

Verſ. 172. *in illis montibus*] cave Carrionem audias reponentem, *in ullis montibus.*

Verſ. 181. *cuncti pariter loca debita poſcunt*] *noſcunt* Carrion repoſuit, neque aliter noſtri codices.

Verſ. 188. *parvo de marmore juxta Stat ſoror.*] *parvo* pri. Vaticanus. ſcribe, *Pario de marmore.* & ſic Maſerii editio. Appulejus lib. 11. miles: *Ecce lapis Parius in Dianam fractus.* ex Pario enim lapide ſtatuae ut plurimum. noſter libro 11.

Exanimum veluti multa tamen arte coactum
Moeret ebur, Pariuſve notas & nomina ſumit
Cum lapis.

Verſ. 195. *Pergimus, atque pares*] ſcribe omnino,

Per genus, atque pares tecum mihi Phryxe labores.

confirmat primus Vaticanus, in Regio *par genus.* ſed Phrixum obteſtatur per jura cognationis. vidit & Carrion veram lectionem, neque aliter editio Maſerii.

Verſ. 196. *Tot freta, tot dure properantia ſidera paſſis Phrixe fave, & patrias placidus reminiſcere terras*] haec longe inquinatiſſima ſunt, quibus tamen medelam adferre conabimur, Carrionis codicem ſecuti,

---- properanti ſidera paſſum.

primus Vaticanus & Aldus. vulgati caeteri cum Regio,

---- properantia ſidera paſſum.

ſi τὸ *paſſum* retineamus, verſu proximo *fove* pro *fave* erit reponendum. quod Sabellico videbatur. ex *dure* facio *dudum te. dudu te.* librarius unam ſyllabam geminare neglexerat. ex *properanti*, *propter* concinno,

Tot freta, tot dudum, te propter, ſidera paſſis
Phrixe fave.

niſi rectius fore opinamur,

Tot freta, totque adeo, te propter, ſidera paſſis.

quod magis adridet. pro *properanti* vir doctus in ora editionis Venetae, *properatim*. *freta* & *ſidera* conjunxit Maronis exemplo, apud quem Aeneidos v.

Cum freta, cum terras omnes, tot inhoſpita ſaxa,
Sideraque emenſae tulimus.

forte,

Tot freta, tot terras, tot inhoſpita ſidera paſſis.

qui veriora poterit elicere multum me demerebitur.

Verſ. 203. *vos Colchidis hoſpitis orae*] ita ſcripti. non *ora*. fortaſſis, *oram*. v. ad Ovid. Faſt. I. 512.

Verſ. 208. *veneranda fluentis*] *verenda* primus Vaticanus. puto, *reverenda*.

Verſ. 210. *aurato quantus jacet Inachus antro*] *arquato* vel *arcano antro* legendum aliquando videbatur. nunc nihil muto.

Verſ. 216. *caſus qui firmet in omnes*] puto, ut haec cum ſuperioribus cohaereant,

---- *caſuſque ut firmet in omnes*
Rapta Ceres.

puppi paulo ante ex vetuſto codice Pius. aliter pri. Vatic. idem Pius paulo poſt denuo, *puppim*, ex priſcis codicibus.

Verſ. 221. *horrenda trepidam ſub virgine puppim*] *ſub imagine* Carrionis liber. ſcribo,

---- *horrenda trepidam ſub imagine pubem.*

v. ad

v. ad lib. IV. 528. vulgata tamen ſcriptura ex Maronianis illis defendi poſſet,

Turnus ad haec oculos horrenda in virgine fixus.

Verſ. 225. *Inde canens*] *Inde canes* puto; ut Muſam pergat adloqui. ita lib. VI. 33. *Hinc age Muſa mone*, & 516. *Dic age Muſa.* deinde malit Pius Baptiſta, *Scythici ſolis in orbe.*

Verſ. 240. *Fert caſtos Medea choros*] imo *toros.* innuptam deſignat. pro, *quemcumque*, perperam *quaecumque* Carrion. ſcribe,

---- *quemcumque procorum*
Tacta petat, maneat terris neu virgo paternis.

Verſ. 247. *Haec tibi fatorum*] *Heu mihi* Aldus. locus corruptus. putarem, *Eia age*, niſi longius abiret a vulgata ſcriptura. forte, *Haec bibe* ſcilicet auribus. ſimilem locum libro v. Sylvarum Statii Propemptico Criſpini reſtituimus. vel lege, *Huc age.*

Verſ. 252. *Excubias Gradive tene*] *tenere excubias*, an ſatis Latinum ſit, dubitari fas eſt. Exiſtimo a Valerio eſſe,

Exuvias Gradive tene.

hoc eſt, ſerva & cuſtodi tibi creditum vellus. infra hoc ipſo libro,

Hic ſibi me auratae pecudis quiſcumque periclis
Exuvias perferre jubet.

libro VI.

Se primum Aemoniis hortatum ea vellera terris
Reddere, & exuvias pecudis dimittere ſacrae.

libro VIII. Medea, de hoc ipſo vellere,

Dic, age nunc, utrum vigilanti hoſtemque videnti
Exuvias auferre velis.

ſic *exuviae leonis*, *exuviae bovis*, *exuviae tigridis* apud Poëtas paſſim.

Verſ. 261. *& data ſeri ſigna mali*] ita recte ante Car-

Digitized by Google

Carrionem legebatur, qui *ſaevi mali* repoſuit, praeter ordinem. lege *rata*. adeantur Obſervationes doctiſſimi Gronovii libro 2. cap. xv. male etiam paulo poſt pro, *infauſtum vellus*, Carrion *vellus infeſtum* invexit ultima editione. *infaſtum* pri. Vaticanus.

Verſ. 270. *ſpem ſerentem*] ita Sabellicus. antea legebatur *ſerentem*. quod cur ejiciamus, nihil omnino cauſae eſt. ſic, *crimina in ſenatum ſerere* Livio. *lites*, *ſermones*, *conloquia*, *bella*, *certamina*, *praelia*, *curas ſerere*, & ſimilia aliis. paullo ante codices noſtri cum priſcis editionibus,

---- *ipſum qui talibus auſis.*

forte, *ipſum quin*. Carrionis tamen liber, *ipſum quoque*. quomodo Sabellicus conjecerat.

Verſ. 274. *Jamque aderat magnis regum cum millibus urbi*] *regnum* primus Vaticanus. in Regio, *regnum urguens*. antea *regni* legebatur. *regnum urguens*, premens, ad regnum adſpirans, locutio Valeriana.

Verſ. 307. *canis ubi tollitur omnis Campus aquis*] *qui tollitur* praeſtiterit. ſed ſequentia aut valde mendoſa ſunt, aut aliquid iis deeſt.

Verſ. 309. *aut altos duris fatorum gentibus ortus*] *aut atros*, Aldus. in ora codicis Regii, *Attollunt duris. ortos* in Regio. forte *fatorum legibus*. haec peſſime adfecta ſunt. pro *altos*, *alios* Columbus.

Verſ. 310. *diverſis hinc atque hinc molibus anceps*] *motibus* ſcribatur. apud Claudianum libro 1. in Rufin:

Anceps motus erat vulgi.

Verſ. 314. *quod primum ingentibus auſis*] *primi* maluerim. *pridem* vir doctus in ora editionis Venetae.

Verſ. 320. *ignoti mens experienda Tyrannis*] *exploranda* malim.

Verſ. 323. *jam tunc animos firmate repulſae*] *jam*

Digitized by Google

jam nunc recte legebatur ante Carrionem. mox,

Quaque via patriis,

omiſſo verbo ſubſtantivo; primus Vaticanus & Regius. ſubſequens *Stet potius*, quomodo codices Baptiſtae Pii & noſtri: vel, quod in priore Carrionis editione,

Stet procul &c.,

mendoſum videtur. forte, totus is verſus pro adulterino tollendus. mox, pro *Sorte petit*; quia *petunt* paulo poſt repetitur, forſitan ſcribendum, *Sorte legit*. Naſo Metam. lib. XIV. 251.

Sorte ſumus lecti.

Verſ. 333. *luſtrantia flumina noctes*] male liber Carrionis, *lumina*.

Verſ. 337. *ingenti circum ſtupefacta profundo*] adſentior Sabellico *circumſtipata* reponenti. ſimilis naevus a nobis ſublatus lib. VI. verſ. 228.

Verſ. 340. *ſeque trementem Spargere caede manus*] *trementum caede* opinor. atque ita primus Vaticanus; uti ſero deprehendi.

Verſ. 349. *Talis & in vittis*] ita bene Carrionis liber. cum primo Vaticano, & Regio. quod & Baptiſta Pius eſt conplexus. niſi quod malim, *at in vittis*. noſter libro I.

Seu venit in vittis, caſtaque in veſte ſacerdos.

verſus proximus, cujus initium, *Colchis erat*, ſuſpectus nonnihil, & fortaſſe tollendus. tum legam hoc loco,

Talis it in vittis.

forte etiam,

---- *geminaeque in lumine tedae.*

ſic infra hoc libro,

---- *levi Cytiſonis in haſta.*

libro IV.

---- *fixaque ſilet Gradivus in haſta.*

libro VIII.

---- *rapta victor conſiſtit in haſta.*

libro II.

Digitized by Google

--- *ignotis juvenum mirantur inarmis.*

&,

---- *Argoa manus variis inſignis in armis.*

poſt,

Campeſus hic ſpoliis in tigridis.

Verſ. 354. *certo ceu me petit agmine mater*] Ita optime cum Carrionis libro primus Vaticanus & Regius. *nutrices* enim appellabant alumnae *matres.* uti pluribus demonſtravi ad Naſonem libro x. Met. Pius producit exemplum Virgilii,

Ludere pendentes pueros, & lambere matrem.

Plautus Menaechmis. *Nonius* Marcellus in *mater.* pro *quae manus haec*, malim *hic.*

Verſ. 361. *externo jam flammea murice cerno*] *nam* tam hic, quam proximo verſu maluerim. pro *Nec metus* pri. Vatic. *Nec te metus.* forte, *Flecte metum.* vel, *mitte.* mox pro *ſic cuncta*, Aldus *ſunt cuncta*: nam *ſic* ſequitur.

Verſ. 365. *magnique dedere labores*] ita Carrion. antea legebatur, *ſedere. edêre* diu eſt, quod corrigendum vidi. idque jam monere occupavit accuratiſſimus Gronovius Obſervat. libro i. xxi. ſic ſupra lib. ii. noſter,

Eurynomen curis exeſam

inducit. & libro iv. *quam te exedit labor.* perperam haeſit in hoc loco Barthius Adverſar. lib. ii. cap. xii. v. notas ad Ovid. xiv. Met. 208.

Verſ. 369. *nox accenditur auro*] *aſtro* Zinzerlingus. ſed poſtea mutavit ſententiam.

Verſ. 372. *calidis jam fontibus amnes*] *foribus* pri. Vatic. forte *roribus.*

Verſ. 376. *Inſolito ſtupuit*] lege,

In ſolo ſtupuit duce.

lib. i. 262. *ſtupet in ducibus.*

Verſ. 384. *olimque beatior ille*] puto,

--- *votique beatior ille,*

vel,

---- *thalamoque beatior ille*

Qui tulerit.

aut

aut etiam *thalamique*, ut *fortunata thori*. *olim* tamen de futuro intelligi poteſt.

Verſ. 386. *nos hoſpita pubes*] *non* in Carrionis libro, & primo Vaticano. ſcribe, *non hoſpita plebes*. *plebes* pro *plebs* paſſim occurrit apud Statium, Lucanum, Silium, Claudianum, Auſonium, alios. quomodo & Saluſtius, Tacitus, Livius frequenter. malim etiam, *Grajum en proceres*. mox pro, *Aut tu prima doce*, primus Vaticanus, *Aſtu prima*. id eſt, *Aſt tu prima doce*.

Verſ. 392. *Dixit &*] puto,

Dixit ut opperiens trepidam, ſtetit illa parumper.

Verſ. 395. *ſi veros poſſis diſcernere calles*] *vivos calles*. Carrionis liber. neque aliter primus Vaticanus & Regius. ſcribendum, *bivios calles*. uti pluribus adſtruxi ad Epiſtolam XVII. Heroidum Naſonianarum v. 178. *tutos calles* vetus editio Veneta. mox pro, *obſidet hoſtis*. inſcite Carrion *obſedit*, contra legem metricam. deinde pro *inpius* malim *invius*.

Verſ. 407. *Adloquiis facilis praeſens pater admovet aequis*] *admonet aequi* Carrionis liber & primus Vaticanus & Regius. omnino ſcribendum,

Adloquii facilis (praeſens pater admonet) aequi.

Verſ. 410. *ſtat ferreus Atlas Oceano*] ſtatuae ex aere, non ferro, cum ſolerent fieri, *aheneus* potius, quam *ferreus* Atlas ſic exhiberi debuit. olim corrigebam, *coelifer atlas*, perpetuo ejus apud Poëtas epitheto. v. ad Naſon. V. Faſt. 83. nunc placet, *pervius Atlas Oceano*. ſequentia id confirmant. nam *Oceano* non *Oceani* eſt in ſcriptis. forte,

---- terminus Atlas
Oceano.

Silius lib. I.

---. ultra obſidet aequor
Nec patitur nomen proferri longius Atlas.

Verſ. 414. *curvoque diem ſubtexit Olympo*] *fulvoque*

voque videtur, aut *furvoque* caſtigandum. v. ad Ovid. III. Met. 274.

Verſ. 416. *rorantes crinibus ignes*] ſcribatur me auctore,

---- *& madidis rorant e crinibus ignes.*

v. nos ad Ovid. X. Met. 508.

Verſ. 417. *nec minus hic varia*] *Nec minus &*, vel, *Nec minus hinc*, malim.

Verſ. 423. *Arſinoën illi trepidaeque requirunt Otia laeta Phari*] atqui illo tempore nulla aut regio aut civitas in Aegypto Arſinoes nomine inſignita. an Anachroniſmum dicemus; qualis ille apud Maronem, *portuſque require Velinos*, cum illa tempeſtate nulla eſſet Velia? *Arſinoes* tamen nomen vix in uſu Poëtis de Aegypto agentibus. quid ſi ſcribamus,

——— *aſt Meroen illi trepidaeque requirunt Otia laeta Phari.*

nam *trepidaeque* Carrionis commentum plus aequo deferentis ſuo codici. idque Zinzerlingus & Gronovius Diatribes Statianae cap. XXVI. jam viderunt. illud vero recte Carrion, quod *pinguem annum*, pro *pingui amne* ſubſtituit. neque aliter primus Vaticanus. caeterum *requirant* & *permutent* etiam videtur ſcribendum, ut cum ſuperioribus haec connectantur. *tepida Pharos*, quomodo *Nilus tepidus* Claudiano, ubi agit de gruibus,

---- *tepido permutant Strymona Nilo.*

Lucanus lib. III.

Deſeritur Strymon tepido committere Nilo
Biſtonias conſuetus aves.

Propertius,

Atque utinam pereat, Nilo quae ſacra tepente
Miſit matronis Inachis Auſoniis.

Seneca Oedipo,

Nec

Digitized by Google

Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hyemes ales, & coelum ſecans
Tepente Nilo penſat Arctoas nives.

Verſ. 426. *Aeam*] *Aean* primus Vaticanus cum Regio.

Verſ. 429. *ac volucri*] *at volucri* praeſtiterit.

Verſ. 431. *Eridani trepidum in amnem*] male omnino Maſerius *tepidum amnem* reponit. ſic & *unda trepida* pro bulliente aqua. qua de voce multis egimus jam ad Naſonem lib. XII. Metamorph. v. 279. quae adeantur.

442. *Ludus ubi & cantus*]. *Ludus ubi exſtabat.* editio Veneta, cum Aldo, & Maſerii editione. Florentinus liber & editio Pii *extantum. extantur* pri. Vaticanus. *eſt tantus* Carrionis liber. prima editio Carrionis, *Ludus ubi eſt multus. Ludus ubi & cantus.* ex ſcriptis codicibus Pius. forſitan,

Ludus ubi & thiaſus.

ſed nil temere mutandum. paulo ante,

Urbs erat hinc contra.

in primo Vaticano. pro,

——— *taedaeque in nocte jugales,*

forte,

——— *& cantus taeda pernocte jugales.*

Verſ. 450. *quo patrias pellex ornatur ad aras*] *ornetur* maluerim, mutata diſtinctione, quod codex Regius confirmat.

Verſ. 453. *nondum noſcentibus illa*] ſcribe,

—— *nondum adgnoſcentibus ille*
Quis labor.

vel *non dignoſcentibus. naſcentibus* in Regio.

Verſ. 457. *quin idem Minyas operum defixerat error*] male *deflexerat* Carrion ſecunda editione. praeſtiterit,

Quin idem & Minyas.
mox. pro,

——— *patriis penetralibus infert,*

ante Carrionem edit legebatur. forte/ *addit. infert* tamen & pri. Vatic. pro,

Diſtulerant ſed bella toros.

malit ex ſcriptis Pius *torum.* ſed *toros* pri. Vatic. Pius olim caſtigabat,

Diſtulerant ſed bella Cytoria.

quod ipſe poſtmodum damnavit.

Verſ. 462. *quos praecipuos Titania tellus Legit honore patres*] *Titaniam tellurem* Scythiam dici non concoquo. opinabar,

---- *quos praecipuo Titanius alto*
Legit honore patres.

vel *Titanius aulae. praecipuo* in *praecipuos* male Carrion mutavit. v. ad Ovid. Met. XIII. 460.

Verſ. 465. *motique ad praelia regis*] *reges* cum Carrionis libro.

Verſ. 466. *nebulaque erumpit Jaſon*] *nebulamque* rectius utique legebatur ante Carrionem, & ſcripti codices confirmant. apud Maronem Aeneidos I.

---- *& fortis Achates*
Et pater Aeneas jamdudum erumpere nubem
Ardebant.

erumpit terra liquores. apud Tibullum libro IV. verſ. 86. ſic *evadere*, & *excedere*, & *exire* nunc quarto caſui, nunc ſexto junguntur. pro *admonet*, malim quoque *amovet.*

Verſ. 468. *Sideris ora ferens: nova lux effuſa Cytoris*] primo ſcribendum, *ſiderea ora.* uti libro IV. de Polluce,

---- *tenues tamen ire cruores*
Siderea de fronte vident.

& ibidem,

Donec ſidereo Pollux interritus ore.

de

de Jaſone lib. VII.

Tum quoque ſiderea clarus procul ora juventa.

Silius libro VIII,

Inde amens, nunc ſideream fulgentis Juli
Effigiem fovet amplexu.

pro *lux effuſa* etiam corrigendum *obſuſa*. atque ita in Obſervationibus Gronovius libro IV. cap. XXI. diximus ſupra IV. 482.

469. *rogitantque viros rogitantque quid auſi*] Forte, *urguentque quid auſi*. certe repetitio τῦ *rogitant* hoc loco eſt inconcinna. *urguendi* verbum Valerio perquam familiare.

Verſ. 474. *ſi quando huc aliquam*] *ſi fando* jam pridem correximus, & multis inluſtravimus ad Naſonem Met. XV. verſ. 494.

Verſ. 480. *Me neque nunc enſes*] Rectius in Regio, *Meque nec huc enſes*. in eodem *iraeque*, pro, *araeque*. ſed perperam. ſed illud *Meque nec huc* ait adverſari membranis antiquis Pius. forte, *Huc neque me meſſes*, vel *Huc neque ſementes*.

Verſ. 484. *ſceptra tui toto Pelias ſub nomine Phaebi Maxima ab hoſte tenens, totque illacrimantia Divos Oppida*] haec ſunt corruptiſſima. putabam aliquando,

Sceptra tui Haemoniae Pelias ſub numine Phaebi.

vel, *ſub lumine*. quomodo & Pius a nonnullis legi jam monuit. ita lib. I.

Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis.

deinde,

Maxima forte tenens.

recte Gerardus Voſſius ad Paterculum, & Gronovius Obſervationum lib. IV. cap. XXI. ſed & ingenioſe idem Gronovius ibidem,

---- totque illa creantia Divos
Oppida.

ſic ſupra de Chalybum gente,

-- *illa*

---- *illa creatrix*
Bellorum manus.

Apud Senecam Hercule Furenti de Thebis,
Ferax Deorum terra, quem dominum tremis?
in primo Vaticano, verum proxime,
Maxima oſte tenens, totque illa cremantia Divos
Oppida.
illa cremantia etiam in Regio. & codicibus Bapt. Pii. quod ille interpretatur *thure colere.* perperam.

Verſ. 485. *tot vigili pulcherrima flumina cornu*] opinor, *jugi cornu.* ſic, *jugis aquae fons* apud Horatium. plura de hac voce diſſeruimus ad Claudianum Epithalamio Honorii Auguſti. *exhauſtam aquam de jugi puteo* habes apud Ciceronem de Divinatione. poſſis & *viridi cornu.* ut ſupra libro v. 186. *virentia flumina.* ſic libro VIII. 293. veterrimus liber Vaticanus.

---- *oſtia donec*
Danuvii, viridemque vident ante oſtia Peucen.
ſupra hoc libro 149.
Dant virides poſt terga lacus.
& mox,
Rapta Ceres, virideſque premunt longo ordine ripas.
libro VI. 49.
---- *Schyticis quem Jupiter oris*
Progenuit viridem Maracen Tibiſenaque juxta
Oſtia.

Verſ. 489. *Stheleno ipſo ſatus*] *Sthenelo.* & ſic primus Vaticanus. videtur diſtinguendum,
---- *Stheleno ipſe ſatus tamen.*

Verſ. 492. *tibi gratia noſtri Sit precor haec meritique locus*] ſcribe,
---- *tibi gratia noſtri*
Sit precor ô, meritique loco quod juſſa recepi.
ſic *laudum loco* eſt apud Silium lib. xv.
Adglomerant ſeſe, atque acres ſociare labores
Expoſcunt, laudumque loco eſt hiſdem eſſe ſub armis.

Verſ.

Verſ. 497. *quotque ante ſecuti*] *quique* legit ex vetuſto exemplari Pius. ſcripti noſtri cum priſcis editionibus, *quodque.* locus mendoſus. forte, *quin ante ſecuti.* ait Bacchum audacem & Perſeum, cum reges non eſſent, magno comitatu ex Graecia in expeditionem Indicam, Aethiopicamque profectos.

Verſ. 500. *ac medii ſociatrix gratia Phrixi*] *medius Phrixus*, pro conciliatore. recte vulgatam ſcripturam jam defendit Zinzerlingus. de qua & nos multis ad Claudianum libro II. in Rufinum, v. 309.

Verſ. 503. *ſeu fraude petivi Seu quis honore meo*] *meos* in vulgatis ante Carrionem. argute & eleganter, ut ſolet, Gronovius Obſervat. lib. 2. cap. XVIII.

---- ſeu fraude petiti
Seu quis honos, merito ſua reddita dona.

in vulgata lectione merum frigus adgnoſco, & meram balbutiem. priſcae tamen editiones cum ſcriptis noſtris non male,

---- ſeu fraude petivit
Seu quis honore meos.

Verſ. 510. *Si quis & in precibus vero locus*] puto, *Si quis in his precibus vero locus.*

Verſ. 514. *accinctum gemmis fulgentibus enſem*] magis probarem, *incinctum.* & paulo poſt, *materni texta laboris.* quamquam & *labores* ferri poſſunt.

Verſ. 520. *Talibus orantem vultu gravis ille minaci Jamdudum fremit*] imo *premit.* quidquid libri veteres diſſentiunt. *fremit* paulo poſt ſequitur. male etiam, *furiis apertis* Carrion. noſtri codices pro vulgata ſtant lectione, & merito. quam & ſequens comparatio abunde tuetur. ſcribendum nempe,

Jamdudum premit & furiis inceſſit opertis.

ita apud Senec. Herc. Oetae. 887.

Qui-

Digitized by Google

Quicumque fata inceſſit, & parcit ſibi
Errare metuit.

male vulgo, *fato ignoſcit.* v. ſtatim. v. 551.

Verſ. 522. *concipit auſtros*] *concipit aeſtus*, ni fallor.

Verſ. 535. *cuperem haud tali vos tempore*] *alio tempore* Carrionis liber. quod & editiones nonnullas occupavit. nil muto. *tali tempore* abunde adſerit locus Virgilianus mox producendus. *ali* in pri. Vaticano. mox bene idem Carrionis codex,

--- *quo me gravis adſidet hoſtis*,

non *obſidet*. confirmat & pri. Vaticanus & Regius. Virgilius libro XI.

Ante equidem ſumma de re ſtatuiſſe, Latini
Et vellem, & fuerat melius. non tempore tali
Cogere concilium, quo muros adſidet hoſtis.

ita veterrimae membranae. apud Silium quoque lib. IX. optimus codex,

--- *ut qui caſtella per altos*
Oppugnat munita locos, atque adſidet arces.

libro XII. idem venerandus codex,

Adſeſſos Capuae muros, clauſtra ipſa revelli
Portarum.

Tacitus Annalium tertio, *Caeterorum neſcii egere, cum propinquo rure, aut litore, & ſaepe moenia urbis adſidens extremam ſenectam conpleverit.* de Tiberio. libro ſexto, *Adſidendo caſtellum, in quod pecuniam & pellices Artabanes contulerat, dedit ſpatium exuendi pacta.* A Gellius lib. VII. cap. I. ubi agit de P. Scipione Africano, *Adſidebat, oppugnabatque oppidum in Hiſpania ſitu, moenibus, defenſoribus validum & munitum, re etiam cibaria copioſum.* Appulejus lib. I. Metamorph. *Adſidebat pedes ejus uxor.* neque aliter Hiſtorici paſſim. ſic & *inſidere* cum quarto caſu jungebant, noſter libro I.

---- *ſtrictoſque inſedimus amnes.*

Silius libro XII. ex iiſdem optimis membranis,

---- *arduus ipſe*
Tiſata inſidit, propior qua moenibus inſtat
Collis.

vulgati, *Tiſata invadit.* apud Statium Sylvarum libro V. Protreptico ad Criſpinum. qui locus foediſſime contaminatus,

Hic ſuetus dare jura parens; hoc ceſpite turmas
Adfari. viden', has ſpeculas? caſtellaque longe
Adſpicis? inſedit, cinxitque haec moenia foſſa
Belligeris haec dona deis, haec tela dicavit.
Cernis adhuc titulos. hunc ipſe vocantibus armis
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.

verſu ſecundo, pro, *nitidas ſpeculas*, vetuſta editio Parmenſis, *vides ſpeculas.* unde elicui, *viden' has ſpeculas?* verſu tertio, pro, *ille dedit*, quod eſt nihili, repoſuimus *inſedit.* verſu quinto, *vocantibus armis* reſcripſi, ni fallor, bene, pro, *armis vacantibus. adjacere* cum quarto caſu jungit Feſtus Avienus deſcriptione orbis,

---- *arctaque vergit*
In Borean tellus & Grajos adjacet agros.

mox idem,

---- *adjacet Haemum*
Partibus ab Zephyri Dodonae vatis alumnus.

deinde,

Nec procul Aegyptum Rhodus adjacet, adjacet oram
Suniada, at qua ſe praetendit litus Abantum.

ſic ſcribe. ſic & alibi paſſim idem. *adſtare* eidem cum quarto caſu ora maritima, de monte Sello,

Adſtabat illum civitas Lebedontia.

ſed jam nimii ſumus.

Verſ. 541. *Jamque virum trahit ipſe Chalybs*] inmerito Carrion de mendo haec ſuſpecta habet, quae noſter convertit ex Homero, apud quem habes, Odyſſea Π & Τ,

-- *αὐτὸς*

——— ἀυτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σιδήρος.
cujus parodia eſt apud Juvenalem Sat. IX.

——— ἀυτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.
Tertullianus libro de Pallio cap. IV. *ipſum ferrum, inquit, verum attrahit.* male ante Carrionem legebatur, *Cumque virum trahit ipſe Chalybs.* *Cumque trahit* primus Vaticanus. in Regio,

Namque virum trahit ipſe Chalybs.

quod τῷ γὰρ Homerico videtur reſpondere. nec aliter editio Baptiſtae Pii, qui conjecerat male,

Cumque virum trahet.

cum Perſen captivum trahent catenae ferratae. *Chalybs* autem pro ferro, ut lib. VI. 342.

Verſ. 545. *additus iſte dies*] *additur*, praeſtet.

Verſ. 549. *mora ſaeva trahebat*] *trahere* paulo ante praeceſſit, puto *terebat.*

Verſ. 551. *Crebrior incuſſit mentem pavor*] *inceſſit*, opinor. ſic *metus*, *terror*, *timor*, *dolor animum inceſſit.* quae paſſim obvia apud Livium, & alios caſtigatae Latinitatis auctores, noſter libro IV.

---- *unum omnes inceſſere planctibus.*

ſed & *inceſſere* cum tertio caſu jungebant. Aruſianus Meſſius vetus Grammaticus libello inedito, *Inceſſit illis illud. Saluſt. Hiſtor.* II. *Terror hoſti & fiducia ſui inceſſit. Inceſſitur illa re.* Virgil. Aeneidos XII. *Inceſſi muros.* an *menti incuſſit*? ut τὸ *ſe* ſubintelligatur. quomodo ſupra habuimus,

In ventos recipit ratis.

Lucretius libro VI.

Uſque adeo mortis metus his incuſſerat acer.

ita illic ſcripti codices. pro quibus merito ſtat Gronovius lib. II. Obſervat. c p. VII. Florus III. c. X. *Tantum pavoris incuſſit Romana vis.*

Verſ. 553. *Fare tuis*] ſic Carrion. vulgati *Fare avidis.* quod ex conjectura Pomponii Laeti profluxit Pio teſte. in primo Vaticano & Regio, *Fare omnis*, nec aliter editio Pii. forte, *Fare*, *omnes.* ſcil,

Digitized by Google

ſcil. exclamarunt. certe *omnes* in Aldino codice.

Verſ. 558. *Puppis & oppoſita fluvius defenditur urbe*] *adpoſita urbe* primus Vaticanus & Regius. recte. uti ad Naſonem monui corrigendum, Amor. III. El. VI. verſ. 7. τὸ *oppoſita* commentum eſt Baptiſtae Pii temerarium. ſed necdum ſanus videtur locus: ſcribo,

—— longo nam tuta receſſu
Puppis, & adpoſita fluvio defenditur urbe.

Puppis defenditur urbe adpoſita & vicina fluvio. Tacitus Annalium ſecundo, *Ipſe audito caſtellum Luppiae flumini adpoſitum obſideri, ſex legiones eo duxit.* Curtius lib. IV. cap. I. *regionem quoque urbi adpoſitam ditioni ejus adjecit.* Corippus Africanus,

—— pars reſpicit altera portum,
Portum, quam geminae conplexant brachia ripae
Moenibus adpoſitis.

mox,

—— tota ſuis aurora pharetris.

in primo Vaticano, quomodo & Carrionis liber.

Verſ. 562. *ſi tela artuſque ſequantur*] *arcuſque* praeſtiterit. Quod & Pius Baptiſta videtur adgnoſcere. infra,

—— vocem paria arma ſequuntur.

Verſ. 565. *variis floret via decolor armis*] imo *diſcolor.* ut recte legebatur ante Carrionem.

Verſ. 568. *moeſtiſſimus ira*] *moeſtiſſumus* prim. Vatic.

Verſ. 571. *Interea laeto patitur convivia vultu*] Carrion peſſime *potitur* ſubſtituit. libro VIII,

Ne talem paterere fugam.

plura de hoc loquendi modo ad Claudianum. pro *vultu* prim. Vaticanus *cultu.* quod & a Carrione ex membranis jam admiſſum. Nec aliter editio Pii Baptiſtae. bene, *laeto cultu*, laeto apparatu.

Verſ. 579. *Quis procul ille virum nobis, quem baltheus aſper Subligat?*] nihil hic ſani. nec libri

veteres ſuccurrunt. Neſcio an alibi conjectura felicius mihi in Valerio ſucceſſerit. ſcribendum quippe contendo,

Quis procul ilie, humerum nodis cui baltheus aſper
Subligat?

nodos vocat, quos alii *bullas* in baltheo. Virgiliana illa ex Aeneidos XII: imitatur,

---- *numero cum adparuit alto*
Baltheus, & notis fulſerunt cingula bullis.

apud eundem libro IX.

---- *aurea bullis*
Cingula.

clavos aureos interpretatur Servius. Varro de L. L. *Baltheus, cingulum e corio bullis ornatum.* Auſonius Cupidine crucifixo,

---- *auratis fulgentia cingula bullis.*

Prudentius Pſychomachia,

---- *fulgentia bullis*
Cingula, & exuvias gaudet rapuiſſe cruentas.

Sidonius Apollinaris Panegyrico Anthemii,

---- *bullis hoſtilibus aſper*
Adplicat a laeva ſurgentem baltheus enſem.

ubi *vergentem enſem* praeſtiterit reponi. *nodum* pro baltheo poſuiſſe videtur Claudianus Conſulatu Olybrii, 89.

Mordet gemma ſinum: nodus qui ſublevat enſem
Album puniceo pectus diſcriminat oſtro.

apud Corippum libro IV.

---- *veſtiſque rubebat*
Concolor, atque aureo lucebant cingula nodo.

ubi *auro mundo* nunc parum concinne legitur. ſed & *gemmati balthei.* apud eundem Corippum, *pretioſa cingula gemmis.* apud eundem,

Nobilibus gemmis, & cocto lucidus auro
Baltheus.

Claudianus Raptu Proſerpinae,

Parthica quae tantis variantur cingula gemmis?

hinc *ſtellati balthei* Statio & Pollioni in Gallienis

hic

hic auratos conſtellatoſque baltheos rapuiſſe perhibetur. Pectus exquiſitiſſimarum gemmarum coloribus baltheatum Marciano Capellae libro v. Nemeſianus Cynegetico,

Corrugeſque ſinus gemmatus baltheus arctet
Nexibus.

humerum autem *ſubligat*, ut apud Virgilium,

Tum lateri, atque humeris Tegeaeum ſubligat enſem.

Homer. Iliad *β*.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον

& Odyſ. *β*.

---- περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ.

hinc *arma* ab *armis*, ſive humeris, derivat Feſtus. v. Bochart. de Animal. S. Script. Part. I. lib. II. c. 8. Atque haec ad hunc locum.

Verſ. 587. *hic ſegnior ibit habenis*] *hic genitor* ſcripti cum Aldino codice. an *ſecior*? de qua voce multis ad Naſonem. poſſis & *lentior* reponere. *Genniſor* in Regio. *Geniſor* in ſuis codicibus exſtare ait Pius. ut ſit nomen proprium.

Verſ. 592. *vinctis ſic eſt coma culta maniplis*] *junctis* prim. Vatic. probe. niſi mavis *unctis*. quod verum eſt. & ſic Pius Baptiſta quoque conjecerat, & Carrion in ſuis membranis invenit.

Verſ. 594. *ille profundo Incumbens Odruſſa mero*] forte, *profuſo mero*. Statius tamen lib. v. Theb. 263.

---- *ſi quando profundo*
Nubigenae caluêre mero.

Sophocles in Syndeipnis apud Athenaeum lib. xv.

---- ἐγχείτω βαθὺν κρητῆρα.

caeterum ante haec inſerit Regius,

---- *incita curſu*
Fluminaque & ventos ſuperat celer. ille profundo.

quod & Pius in ſuis codicibus invenit.

Verſ. 595. *vide lata comantem Pectora*] ita ſcripti. ſed omnino corrigendum,

--- *viden' alta comantem*
Tectora?

quomodo & Pius volebat. ſic in Statii loco ſupra caſtigavimus, *viden' has ſpeculas?* apud Catullum,

Viden' ut perniciter exſiluêre?

Silius lib. XII.

---- *viden' ut Latonia virgo*
Accenſas quatiat Phlegetontis gurgite taedas.

noſter ipſe libro III,

--- *viden' Arctoo de pulvere quanta*
Tollat ſe nubes?

in Diſtichis, quae Catonis ſub nomine circumferuntur, ſcio corripi, *vide*, ſed eorum auctoritas tanta non eſt. ut poſteriorem in *vide* corripuerit Flaccus, nemini ſano perſuadebitur.

---- *aſpice lata comantem*

Regius. *comantem* Pius ad barbam refert. Ego ad hirſutiem, & olim legebam,

--- *viden' hirta comantem*
Pectora?

apud Homerum ſaepe λάσιον κῆρ de hirſuto pectore. Hercules apud Propertium,

Mollis, & hirſutum cepit mihi faſcia pectus.

Silius lib. V.

---- *ſqualore huic hiſpida diro*
Et villoſa feris horrebant pectora ſaetis.

paullo ante verſum illum,

Sed nec ſperne virum,

etiam primus Vaticanus adgnoſcit, & ex ſcriptis Pius jam protulit.

Verſ. 597. *dictis ſtupet hoſpes acerbus Inmodicum*] forte, *dicti acerbi*. quomodo, *inmodicum irae Tydea* habes apud Statium, ſtatim *linguaeque gravem* quoque legerim. quomodo *tardus fugae*, *laetus viri*, pluraque hujus notae apud noſtrum.

Verſ. 598. *cui nulla minanti Non ſuperum*] *nulla*

prim.

Digitized by Google

prim. Vaticanus. legendum utique, *multa minanti*, pro, *multum minanti*. Ovidius,

Multa mihi coelum, multa minantur aquae.

ſic, *multa cunctari* libro I. 757. *multa morari* IV. 371. *multa novare* V. 303.

Verſ. 605. *oppoſitis exſpectat Hiberia clauſtris*] forte legendum *plauſtris*. lib. II. 160.

Et plauſtro decepta Nurus.

& 178 *plauſtra ſequi*. lib. VI. 154,

Nunc ſubitam trepidis Moeotin ſolvere plauſtris.

Rutilius Itin. I. 485.

Haud aliter quam cum glacie riget horridus Iſter,
Grandiaque adſtricto flumine plauſtra vehit.

Claudian.

Plauſtra cruore natant.

Flor. III. 3. *objectis undique plauſtris atque carpentis altae deſuper quaſi e turribus, lanceis contiſque pugnarent.*

Verſ. 608. *cras regna videbis Diſſona*] *diſſona cultu regna* Prudentius quoque dixit libro II. contra Symmachum v. 586. Hoc tamen loco videntur reponenda, *diſſona ſigna*. *ſigna militaria* pro ipſis ponit militibus, vel, quod malim, pro tubis, lituiſque. deinde,

-- - *ſaxiferae ſurgat quibus imber harenae,*

perperam Carrion, editiones & ſcripti. noſtri *habenae*. funditores deſignat. *habenae* ex conjectura eſt Pii Baptiſtae.

Verſ. 612. *pulſantem corpora*] non damno. maluerim tamen, *ſulcantem corpora*. vel, *pulſantem cornua* cum Maſerio.

Verſ. 621. *Aeaea in urbe*] perperam *Aeaetae* Carrion ex membranis ſuis.

Verſ. 622. *promiſſaque vellera puppi Theſſalicae*] etiam hic *pubi* reponendum. v. ad Ovid Met. VII. 51.

Verſ. 625. *jam mutua vidi Exitia*] *mutua divi* litteris tranſpoſitis Gronovius Obſervation. lib. IV. cap. XXI. nihil verius.

Digitized by Google

Verſ. 629. *num querar exſtructa*] *& ſtructa* malim.

Verſ. 636. *Quin age quid*] puto,

Quidnam, age, quid.

Verſ. 642. *tacitus mihi luctus*] imo *lucus*. neque aliter Carrionis liber. Juvenalis 1. 7.

Nota magis nulli domus eſt ſua, quam mihi lucus
Martis, & Aeoliis incluſum rupibus antrum.

agger etiam in primo Vaticano. Pius Baptiſta corrigit,

---- *tantum mihi luctus & angor.*

mox tamen praefert ex veterrimo codice,

---- *tantum mihi lucus & agger.*

rudis agger, pro ara.

Verſ. 643. *& ſola colimur frigentibus umbra*] *ſi gentibus* Maſerius & pleraeque editiones. *cultus ſit gentibus* in primo Vaticano. lege,

---- *& ſola cultus ſi* (ſc. mihi) *gentis ab umbra.*

nam unius tantum gentis Colchicae hic cultus. infra,

---- *en mihi qualis*
Gentis honos.

initio libri 1,

---- *delubraque genti*
Inſtituit.

colimus ſi gentibus Aldus.

Verſ. 646. *Eſt honor his etiam ſuus*] forte *Eſto*. deinde *Mycenes* non *Mycenis* bene Gronovius. de quo nos ad Maronem Aen. v. verſ. 52. paullo ante,

Magna, pater, terris donaria,

non *Magne pater*, pri. Vatic. bene.

Verſ. 650. *Non tulit haec animis*] *tulit hic*, malim.

Verſ. 652. *Non tibi Aloidae*] *Biſtonidae* codex Carrionis. bene. *Aloidae* pri. Vatic. pro *murmura* pri. Vatic. *mura*. puto, *fera jurgia*.

Verſ. 658. *quae tale creavit*].

-- *dignam*

Digitized by Google

---- *dignam equidem quae tale crearit*
opinor.

Verſ. 665. *ſic turbidus iſte*] Martem innuit. fortaſſis tamen Valerius reliquerit, *turbidus Iſter.* ut populos ad Danubium ſitos innuat. lib. VI. 329.

---- *vel tumida fremit Iſter aqua.*

Verſ. 668. *Et medio nos cerne mari*] *nos ecce mari* non diſpliceat.

Verſ. 671. *Faſſaque quae nequeam*] ſic Carrionis liber. noſtri,

Fas aliquae nequeat.

vulgati,

Fas aliquid nequeat.

ex Pii Baptiſtae conjectura. locus corruptus. forte,

Faſque nihil, nil jura queant;

vel,

Faſſaque quid nequeam.

Verſ. 687. *heu magnis quantum licet inpia fatis*] legebam aliquando,

---- *inmanis quantum libet inpia facti*
Nata.

nam & Pius Baptiſta monet non deeſſe qui legant, *quantum libet.* deinde *inopia* pri. Vatic. pro, *inpia.* ſed doctiſſimus Gronovius minori mutatione rem expedit libro IV. Obſervat. cap. XXI. dum refingit,

---- *heu magnis quantum licet inpia fatis!*

argute. qui illic conſulendus.

Verſ. 688. *Grajuſque nepos*] Medus Aegei & Medeae filius. rem narrant cum alii, tum Diodorus Siculus lib. V.

Verſ. 689. *Hic labor amborumque*] ſic Carrion. priſcae editiones, & ſcripti noſtri,

Hic labor, amborum haec ſunt.

adnude Pius, *ſunt haec.* ſed ſcriptis exemplaribus adquieſcen-

Digitized by Google

quieſcendum. tales hiatus frequentes in Virgilio, Horatio, aliis Poëtis, occurrunt.

Verſ. 692. *ſideream noctem demittit Olympo*] *ſidereo Olympo* praeſtet.

Verſ. 694. *cithara pulſator*] lege *citharae*. quod editiones pleraſque occupavit.

NICOLAI HEINSII ANIMADVERSIONES IN *LIBRUM VI.* ARGONAUTICON C. VALERII FLACCI.

Verſ. 5. G*rajamque abſumere puppim*] *pubem* & hic reponimus, quod Aldinus liber adgnoſcit. ſolemnis ille in Valerii codicibus naevus v. ad lib. VII. Metam. Ovid. v. 51. neque aliter correxerat manus erudita in Vaticano editionis Venerae codice.

Verſ. 8. *Protinus e caſtris fugit ſopor.*] ita haec diſtinguenda ſunt.

Verſ. 15. *mandataque Perſes Edocet adfari Minyas*] fortaſſis ſcribendum,

Legatos placet ire duces, mandataque Perſei
Edere & effari Minyis. de fraude tyranni
Tum moneant. quinam hinc animos averterit error.

vel, ---- *man-*

--- mandataque Perſes
Edocet, adſentur Minyas, fraudemque tyranni, &c.
ſub vulgata certe ſcriptura ulcus non unum videtur latere. *quinam* in ſcriptis, non *quiſnam.*

Verſ. 18. *hortatum ea vellera*] malim, *hortatum vellera*, non *ea vellera*. nam de hoc vellere nihil praeceſſerat in hac oratione. vel *hortatum & vellera,*

Verſ. 24. *Non illos ideo tanti veniſſe labores Per maris ignoti. quid opus concurrere?*] Haec etiam mendoſa ſunt, opinor,

Anne illos ideo tanti veniſſe laborem
Per maris? ignotis quid opus concurrere?

confirmat conjecturam pri. Vaticanus. in quo *tanti*, & *ignotis*. uti ex eodem jam Pius monuit. nos & *laborem* pro *labores*, ut vitetur ambiguitas, & pro *non*, reſcripſimus *Anne*. *tanti* etiam in Carrionis libro exaratum erat, quod is tamen minime intellectum rejecit. neque aliter codex Regius. & veteres libri apud Baptiſtam Pium.

Verſ. 27. *Aureus effulſit campis rubor*] poteſt hoc ferri. maluerim tamen, *Aereus rubor.*

Verſ. 32. *Tunc & quaeque ſuis conmiſit praelia terris*] *ſuis turmis* ſcribendum. *telis* Aldinus liber.

Verſ. 48. *Proxima Biſaltae regio*] immo *legio.* ut inf. 508.

---- Drancaeaque denſa
Strage cadit legio.

& VII. 573.

Horruit Argoae legio ratis.

pro *ductorque Coraxes*. *Colaxes* in ſcriptis.

Verſ. 50. *Progenuit viridem Menacen Tibicenaque juxta Oſtia*] *Myracen* in iiſdem ſcriptis & in Regio, *Tibyſenaque Oſtia.* forte *Tibarenaque*. Tibarenos Ponti gentem Moſſenoecis vicinam ponit Stephanus Byzantius. eorum & ſupra meminit noſter.

 pro

Digitized by Google

pro *Myracen*, forte ſcribendum, *Tmyracen*, ut contracte ſic dicatur, quae Ptolomaeo eſt Tamyrace. vide & Stephanum Byzantium. Eſt autem civitas Sarmatiae. ſic *Tmolus* pro *Tymolus*. *Tmarus* pro *Tomarus*. *Tibiſeni* apud Plinium in Galatia ponuntur. Pius teſtis eſt legi a nonnullis, *Tyſitenaque juxta*. qui Fluvius eſt Ponti Trapezunti proximus.

Verſ. 54. *Tegmina diſperſos*] ita diſtinguendum: eſt enim Graeciſmus. libro I,

Tum celata metus alios gerit arma Eribotes.

ſic paullo poſt ex Carrionis libro, & noſtris ſcriptis,

Nec primus radios, miles Romane, coruſci
Fulminis, & rutilas ſcutis diffunderis alas.

ubi ſi *diffuderis* retinemus, quod editiones pleraſque inſedit, ſcribendum erit, *ne primus diffuderis*. & ſic editio Pii.

Verſ. 58. *Matris Horae ſpecimen*] ex Maronis XII. de Latino,

--- cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen.

mox, *utrimque*, non *uterque* ſcripti.

Verſ. 62, *dat longior aetas Jam ſpatium triplici percurrens tempora nodo.*] haec corruptiſſima ſunt. putabam aliquando,

--- ſtat aënea caſſis,
In ſpatium triplici percurrens tempora cono.

ut de triplici criſta intelligatur. apud Maronem,

Cui triplici crinita juba galea alta Chimaeram
Suſtinet.

noſter libro III.

Adſtitit, & triplici pulſans faſtigia criſta.

apud Statium,

Ter nivea ſcandente juba.

ſed & quadruplex criſta aliquando. Apollonius de Stheneli umbra,

--- ἀμφὶ

--- ἀμφὶ δὲ καλὴ

Τετράφαλος φοίνικι λόφῳ ἐπελάμπετο πήληξ.
vulgatum ſic interpretari potes, aetas longior & provectior dat ſpatium & longitudinem capillis.

Verſ. 68. *Quique lacum cinxere Bicen*] *Bycen* ſcripti. *Buces* eſt Plinio.

Verſ. 69. *Non Rhadalo cum fratre Fidon*] ſic Carrionis liber. noſtri cum vulgatis *Sydon*. pro *Jaceſinaque* primus Vaticanus, *Sydonya caeſinaque*. Regius *Sydon Caeſinaque*, cum Aldino codice. ſed *Aceſinus* fluvius Scythiae. etiam Plinio memoratur libro IV. cap. XII. Ἀκεσίνης fluvius eſt Indiae Diodoro Siculo, & Straboni & Plinio libro VI. pro *Thrixus*, etiam maluerim, *Chrixus*. quod nomen barbarum. idque & in Silio Italico occurrit.

Verſ. 73. *Moeſta necis ſaevae luco reditura Dianae*] nihili haec ſunt. ſcribendum,

Moeſta, nec in ſaevae lucos reditura Dianae.

quam conjecturam confirmat Aldinus liber. niſi quod illic, *luco reditura* exhibetur. *ſaeva Diana*, Diana Scythica, quae ſacrificiis humanis placabatur.

Verſ. 74. *Syenen*] *Syrenen* ſcripti. puto *Sydenen*, quae regio prope Themeſcyram Straboni & Plinio.

Verſ. 80. *plauſtriſque ad praelia cunctas Coraletae traxêre manus*] malim,

---- *plauſtriſque ad praelia vectas*

vel *junctas*. *Coraletas* recte Carrion repoſuit. primus Vaticanus, *Coeia latae*. Regius, *Coeia letae*. *Cerietae* legit Baptiſta Pius, vel *Arſietae* ex Plinio & Ptolomeo: vel *Caela, lete*. ut duas Thraciae civitates conjungat. idem, *junctas manus* malit, quam, *cunctas*. paullo poſt mons *Ambenus* in ſcriptis, conſtanter. Hermolaus Barbarus, quod nemo Geographorum veterum hujus montis meminerat, corrigebat *Embolus* ex Herodoto. qui il-

lius meminit ad Boryſthenis & Hypanis tractum. deinde etiam forte,

---- gelidi pollens Ophiuſa veneni.

pro, *gelidis venenis.* ſic & *potens* utplurimum cum ſecundo caſu jungitur. *pollens vini* habes apud Plautum.

Verſ. 88. *Hos ſuper erectam Phalces agit aequore nubem*] *aeratam* Carrionis liber & primus Vaticanus. puto, *elatam nubem. pulveris* videlicet. ſed apud Statium Theb. VIII. 408,

---- ſtant ferrea coelo
Nubila.

de ſagittis. Silius lib. VIII,

Tullius aeratas raptabat in agmina turmas.

malo, & *his ſuper*, id eſt, praeter hos. vel *hoc.*

Verſ. 94. *Facta canunt*] *Fata* primus Vaticanus.

Verſ. 95. *Aſt ubi Sidonicas inter pedes aequat habenas Illinc juratos ſecum trahit Aea Baternos*] ita Carrion, cujus tamen codex *Exabatarnos*. vulgati, *in ſe trahit Aea.* forte ſcribendum,

Aſt ibi Sidonicas acer pedes aequat habenas.

vel, *Inter pedes errat habenas.* niſi ſub voce *inter* peculiare aliquod nomen gentis deliteſceret. ſed cum Sidonas in Baſternarum gente recenſeat, ac illorum partem faciet Strabo, videtur corrigendum, ne ejuſdem populi bis meminerit,

Poſt Eſſedonicas inter pedes errat habenas.

vel, *Hinc Aſſedonias.* ſic & apud Lucanum libro III,

Hinc Eſſedoniae gentes, auroque ligatas.
Subſtringens Ariſmaſpe comas.

ubi perperam in vulgatis ſcriptiſque, *& Sidoniae* vel, *& Sithoniae* conſtanter legitur, niſi quod in vetuſtiſſimo fragmento, quod Lutetiae ad D. Germani

Digitized by Google

mani adſervatur, exaratum exſtat, *Iſſidoniae.* hoc eſt *Iſſedoniae.* nam & *Iſſedones* dicebantur Stephano Byzantio. & ſic eos appellat Aelianus & Ptolomaeus. *Aſſedones* etiam nonnullis dicti. noſter infra. 750.

Forte ubi ſerus Iber Eſſedoniaeque phalanges
Marte carent.

ubi veterrimus liber Vaticanus *Iſſidoniae*, quomodo optimae membranae in Lucano.

Verſ. 98. *Aequaque nec ferro brevior nec romphea ligno*] *rumpia* in ſcriptis noſtris. ῥομφαῖα Graecis. Et ſane ſecundam producit ſyllabam Claudianus. Heſychius, Ῥομφαῖ⊕, ἰράκιον, ἀμυντήριον, μάχαιρα, ξίφ⊕, ἢ ἀκόντιον μακρόν. apud Gellium tamen libro x. cap. xxv. inter caetera telorum genera recenſentur *frameae*, *meſanculae*, *cateiae*, *rumpiae*, *ſcorpii*, *ſibones*. mox addit, *rumpia genus teli eſt Thracae nationis, poſitumque hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium quarto decimo.*

Verſ. 99. *Nec procul albentes gemina fert aclyde parmas*] *ferit aclyde*, Regius. quomodo de Hiſpaniae populo Silius, quem, *cetras plaudentem telis* deſcribit. mox pro *Noae*, in ſcriptis *novae* habetur, ſed Νόης fluvius eſt Herodoto. deinde *Taras* pro *Tyras* noſtri: ſed *Tyras* a Pio caſtigatum. qui tamen *Teras* malit vel *Torus*.

Verſ. 101. *tota non audit Alazona ripa*] an, *tuta?* an *tacita?* de ripa *tacita*, ad Claudianum. vel lege *nota* v. ad lib. IV. 228.

Verſ. 104. *lateque ſerentem Undique calcatos deſerta per aequora currus*] maluerim,

---- lateque furentem
Undique falcato deſerta per aequora curru.

ſic, *enſe furere* de quo libro I. v. 144. initio operis Titum deſcribit in oppugnatione Hieroſolymae,

Spargentemque faces, & in omni turre furentem.

Verſ. 106. *Inſequitur Drangea phalanx*] *Dran-*

caea ſcripti. quod ſequor, etſi nec *Drangaeos* ignoro.

Verſ. 109. *tumuliſve recepti Inter avos poſituſque virum*] *poſitus* pro ſepulchris videtur ſumi, a *ponendo* ferali verbo. Pius quoque poſituras & conditoria interpretatur. cujus vocabuli aliud exemplum in antiquitate Romana non occurrit. opinor tamen Valerium dediſſe nobis,

---- tumuliſque recepti
Inter avos poſitique virûm.

plura de hac voce ad Naſonem Artis libro III. verſ. 736.

Verſ. 112. *quanto ſonat horrida ditis*] *quantum* pri. Vatic. & mox ſcripti, *Hecates comitatus.*

Verſ. 115. *Vannus*] *Vanus* ſcripti. an *Aunus?*

Verſ. 118. *Et centum geminae Lagi navalia Thebes*] *longaeva novalia* Carrion ex membranis ſuis. perperam. in primo Vaticano *Lagae novalia.* Regius *Lagae monalia.* unde proclive elicere *Lagea novalia.* quomodo erudite & vere Gronovius Obſervat. libro I. cap. XVIII. qui conſulendus. praeterea maluerim, *centumgeminae Thebae* per adpoſitionem, quod magis Poëticum. apud Marcellum carmine de Medicina,

Quodque ab Idumais vectum ſeplaſia vendunt,
Et quidquid confert medicis Lagea cataplus.

ſic ſcribendum. vulgo circumfertur *Lalagea.* unde vir eruditiſſimus Joannes Meurſius Antiquitatibus Laconicis lib. II. cap. XVI. *Lelegea cataplus. Niliacum cataplum* habes apud Martialem libro XII. Ep. 75.

Verſ. 121. *raptor amorum Neurus*] *raptor avorum* caſtigabat vir eximius Iſaacus Voſſius ad Pomponium Melam pag. 113. pater ejus operis Grammatici libro II. cap. 12.

——— raptorque Amadocum
Neurus.

quod Amadoci Neuris ſint vicini. ſed caſtigandum,

——— raptor

——— raptor agrorum
Neurus.
Neuros lupinam formam induiſſe ex Geographis notiſſimum. qua de re inter caeteros Herodotus, Mela, Solinus. *raptoris* autem vocabulum lupo congruit. Virgilio Aeneidos II.
---- inde lupi ceu
Raptores atra in nebula.
apud Naſonem Met. x. habes,
Raptoreſque lupos, armatoſque unguibus urſos.
Columella libro VII. cap. XII. *Cum & lupi repellere inſidias & raptorem ferum conſequi fugientem, praedamque excutere, atque auferre debeat. raptor agrorum.* quomodo apud Plautum in Epidico, *raptor hoſtium glorioſus.* eidem Trinummo, *raptores peni & panis. raptor & latro lupus* Phaedro. ſic & lupum Oppianus dixit *agrorum raptorem.*
Ἀργεννῶν ἐρίφων πολύπλοκον ἁρπακτῆρα.
ἅρπαγα alibi vocat,
---- auri argentique rapones.
apud Nonium Marcellum. *rapere urbem* Lucano pro vaſtare, libro III.
Creditur ut captae rapturus maenia Romae.
&,
---- rapiendas tendit ad arces.
atque hanc in Valerio noſtro conjecturam etiam Andreae Schotto in mentem veniſſe video.

Verſ. 123. *Namque ubi jam vireſque aliae, notoſque refutat Arcus*] forte,
Namque ubi jam effaetae vires.
quomodo apud Maronem,
---- gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentque effoetae in corpore vires.
poſſis etiam, *invalidae vires.* quod propius ad vulgatam ſcripturam accedit. vel *vires caſſae*, aut *quaſſae.* deinde etiam,
---- motuſque refutat
Arcus.
ſic libro I. — *Her-*

---- *Herculeas olim moture ſagittas.*

libro IV,

---- *pugnas mota pater incitat haſta.*

Verſ. 125. *Magnanimis mos ductus avis*] *mox dictus* pri. Vaticanus cum Regio codice. lege, *mos dictus.*

Verſ. 129. *Micelae*] ſic Carrionis liber. *Micael* pro *Mycaei* primus Vaticanus. *Micael* regius. Aldus, *Meletae.*

Verſ. 132. *Doctus & Achates patulo vaga vincula gyro Spargere*] *Auchates* in ſcriptis. recte. Αὐχάται ſunt Herodoto haec gens. *Auchetae* Plinio & Solino. deinde cum ſequatur paulo poſt, *vagis pellibus.* hic loci malim reponi, *cava vincula.* ut retiarios fuiſſe denotet. apud Naſonem lib. I. Artis,

Hos cava contento retia fune trahunt.

Verſ. 140. *mox rumperet Hebri Cum juga*] peſſime ſic Carrion. cum *vada* legerentur antea. quod noſtri codices confirmant. *Thyrſagetae* Stephano ſunt Θυσσαγέται.

Verſ. 143. *Jungit opes Eumeda ſuas*] ſic Carrionis liber. primus Vaticanus, *Emeda. Oemeda* Regius. vulgati *Emoda.* mox *Exomatae* bene ſcripti. pejus vulgati *Jaxametae.* quomodo eos Mela appellat Pomponius. *Exomatae* ſunt Plinio Sarmatiae populus. pro *Torinis* in primo Vaticano *Toryniqus. Toretaeque* legit Pius. qui ſic dicti Straboni, Periegetae & Plinio; *ditat ſua mulctra,* non *ditant* Regius codex. ſic & in Prudentio variant codices. Virgil. Georg. III. 309.

Quam magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra.
Aldus, *mellis honos Torinos.*

Verſ. 147. *fragilemque per undam*] *facilemque* primus Vaticanus. forte,

---- *Tanaimque per udam*
Tigridis, aut ſaevae profugi cum prole leaenae.

vel, *ſagarimque per udum.* Plinius libro VI. *dein* Ta-

Tanaim amnem gemino ore influentem incolunt Jaxamatae.

Verſ. 154. *Nunc ſubitam trepidis Moeotin ſolvere plauſtris*] opinor reponi oportere, *tepidis clauſtris.* ut *clauſtra* glaciem appellet. certe in codice Regio *tepidis plauſtris* legebatur.

Verſ. 159. *& toto veniens Latonia coelo*] *tuto coelo.* recte Gronovius capite x. Obſervationum in ſcriptores Eccleſiaſticos.

Verſ. 161. *Ballonoti*] *Balloniti* pri. Vaticanus. *Bellonothi* videntur eſſe apud Sidonium Apollinarem Panegyrico Majoriani. mox malit Pius,

---- frenator Sarmata canti.

ut pro rota ſumatur, quomodo apud Perſium.

Verſ. 165. *volucrum ſonus; aethera quantus*] Carrionis liber mendoſe,

---- volucrum quatit aethera clamor.

puto, *volucrum canor.* mox pro,

---- aethera quantus
Tunc lituum concentus adit.

perperam Carrion repoſuit, *agit.* noſtri codices pro recepta ſtant lectione. *extremo fluctus agit aequore* praeceſſerat. in pri. Vatic. *lituum conceptus.* quomodo & Aldinus codex, *Non tot ab extremo.* legit Pius. pro *Aut is.* ante Carrionem legebatur *Auctus.* unde Pius. *Tantus.*, vel *Quantus.*

Verſ. 167. *incipit annus*] *induit* ex conjectura Pius, ſecundum illud Virgilianum,

Induet in florem.

Verſ. 168. *Ipſe rotis gemit intus ager*] ſcribe, *ictus ager.* Statius Theb. XII,

Icta gemit tellus: virides gravis ungula campos
Mutat, & innumeris equitum peditumque catervis
Exſpirat protritus ager.

mox *Typhoëa verberat* etiam in ſcriptis noſtris. quidam

dam *antris* teſte Pio. ſed legendum, *Typhona reverberat.* ut lib. IV. 516.

Inplorant clamore patrem Typhona nefando.

nam prima in *Typhoeus* corripitur.

Verſ. 176. *ſemineces crines*] *ſeminetis* in primo Vaticano, latet aliud quid.

Verſ. 181. *Necdum clara quibus*] *Necdum certa* corrigit Pius.

Verſ. 182. *Illi ubi confertis junxere trementia telis Agmina*] *confertis* Regius. *juxere* pri. Vaticanus, & *addant* ſuperiori verſu.

Verſ. 194. *cadit ipſe Cremedonis haſta*] ita & noſtri codices. niſi, quod primus Vaticanus *Cremedonidis.*

Verſ. 196. *incipit haſta Ante melas*] puto, *incitat haſtam.* libro primo 409,

--- *pariterque leves puer incitat haſtas.*

libro IV,

--- *pugnas mota pater incitat haſta.*

poſſis &, *inruit haſta.*

Verſ. 198. *Enſibus inde ruunt: prior occupat aere citato Caſſidis ima Melas*] forte, *furunt.* adeantur annotata libro I. verſ. 144. pro *aere citato. occupat aerigitato* primus Vaticanus. ſcribendum utique,

---- *prior occupat aera Cytaeae*
Caſſidis ima Melas.

ne dubita. hoc eſt, *Colchae caſſidis.* ſic & infra v. 543. pro *Cytaeus* etiam *citatis* legebatur ante Carrionem. ſic infra *cuſpis Argiva.* & *haſta Pylia*, &, *manus Oebalia.* Cyta vel, Cytaea Colchorum civitas. hinc *Cytaeis Medea* Propertio. ſupra, *fama Cytaeae Virginis.*

Verſ. 208. *Pectus in adverſum ſubito jacit alipedemque Conſtitit*] *graviter jacit* liber Carrionis primus Vaticanus *gleacit.* Regius *Gelae jacit.* non male. certe latet nomen proprium. pro *alipedemque Conſtitit.* opinor, *alipedemque Inſilit. Inſilire* cum quarto caſu frequenter jungi ad Claudiani

Con-

Digitized by Google

Conſulatum Manlii Theodori pluribus probavimus. Apulejus Met. VII, *Ipſe quoque inſuper lumbos meos inſiliens reſidebat.* libro VIII. *Nec tantillum morati, protinus inſiliunt equos.* poſſis &,

Inſilit excuſſo vector duce.

Aruſianus Meſſius ἀνένδοτος *Inſilire illam rem. Salluſtius Hiſt.* V. *peractis* LXX. *annis armatus equum inſilit.*

Verſ. 211. *viſuque Medores*] forte, *niſuque.* ut apud Maronem,

Connixi incurrunt haſtis.

riſuque medores Pius corrigebat. alii, *Medones.*

Verſ. 223. *cui plurima ſilvis Pervigilat materna ſoror*] cur non *paterna* ? nihil eſt ea vox hoc loco. ſed nec video, quid *ſilvae* ad rem faciant. ne quid lectorem moremur, a Valerii manu eſſe opinamur,

---- cui plurima telis
Pervigilat nocturna ſoror.

vel certe, *plurima telae.* ut apud Silium libro XVI,

---- plurimus idem
Ludentis per colla jubae.

ſic inf. 699. *Eoae ſtamina Telae*, pro ſilvae, reponendum eſſe monemus. & lib. I.

---- quod gemina mater ſpectabile tela
Duxit opus.

nocturna ſoror, ut apud Maronem Georgico primo,

Nec nocturna quidem carpentes penſa puellae
Neſcivêre hyemem.

Apollonius libro IV,

Ἐννυχίῃ κλωστῆρα γυνὴ ταλαεργὸς ἑλίσσει.

ſignum vero ſedulitatis & continentiae matronalis lanam nocturno tempore, aut telam facere. id lucubrare veteres dicebant. Varro de vita Pop. Rom.

Cum

Cum interea lucubrando faceret juxta ancillas lanam. Talis Lucretia a Livio & Naſone deſcribitur. *Nocte ſera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium ſedentem inveniunt* inquit Livius. apud Maronem lib. VIII.

———— *ceu foemina primum*
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulaſque ad lumina longo
Exercet penſo.

& mater Euryali libro IX,

———— *non vulnera lavi*
Veſte, tegens, tibi quam noctes feſtina dieſque
Urguebam, & tela curas ſolabar aniles.

Propertius libro IV. El. 3,

Noctibus hybernis caſtrenſia penſa laboro,
Et Tyria in calathos vellera lecta ſuos.

ita ſcribendum. ni mavis, *in radios vellera texta ſuos.* ut telae radios intelligat. vulgo,

Et Tyria in radios vellera ſecta ſuos.

noſter quoque libro II,

Ante torum longo mulcens inſomnia penſo.

Appulejus Met. IX. *Pernox & perdia lanificio nervos meos contorqueo.* ceterum ut hic *nocturna ſoror* laborat cultus fratri. ſic apud Curtium libro V. cap. II. Alexander ad Syſigambin, *Hanc veſtem, qua indutus ſim, Sororum non donum ſolum, ſed etiam opus vides.* Ad quem locum operoſe complura hujus rei Freinshemius congeſſit. apud Claudianum quoque in Epigrammatis ad Honorium,

Accipe parva tuae, Princeps, venerande Sororis
Munera, quae manibus texuit ipſa ſuis.

Verſ. 228. *ſtupefacta per agmina*] opinor, *ſtipata.* vide notas libro V. 337. Silius libro IX,

Stat niveis longum ſtipata per agmina vallum
Dentibus.

Curtius libro IV, *Darius in laevo cornu erat, magno*

gno ſuorum agmine ſtipatus Frontinus Stratag. II. cap. II. §. 2. *Ut animadvertit frontem hoſtium ſtipatam.*

Verſ. 234. *agitur porrecta per armos*] perperam Carrion, *per arma. equis agequi porrecta,* prim. Vatic. in Regio, *ac equi.* lege, *at equi porrecta per armos.* Pius,

Id quoque tegmen equi, ſed equi

corrigit.

Verſ. 236. *vaditque virum vi*] forte, *virum vis.*

Verſ. 237. *vadit equum*] *equi* malit Pius.

Verſ. 238. *non altior ire per hoſtes*] *non lentior* puto. vel *non tardior*, vel, *audentior.* Baptiſta Pius accedit illis, qui *aptior* legunt. infra,

Inminet at celſis audentior inproba muris
Virgo.

libro IV,

——— *hunc noto jam ſpes audentior hoſte*
Inſtimulat.

Verſ. 239. *mollique per aequora Caſtor Anfractu*] *molli lorica catena* praeceſſerat. puto, *volucrique.* pro *orbibus rabidis* perperam Carrion *rabidis.*

Verſ. 241. *Inmemoreſque mori*] *Inmemoreſque ſui* maluerim.

Verſ. 244. *deſcendit in haſtam*] *diſcendit* prim. Vatic. an *deſidit*? mox idem, *tenero vulnere*, non *tenerae malae.*

Verſ. 248. *ictum Suſtulit*] *Suſtinet*, ni fallor, ut apud Maronem,

——— *contra ille repugnans*
Suſtinet a jugulo dextram, & vim viribus exit.

Verſ. 249. *ferit ultima teli Nequicquam*] ſic diſtingue. deinde, *At Sibotes* legit Pius.

Verſ. 252. *atque remiſſum Tone trahit fugiens, & curſibus exuit haſtam*] rectius videtur fore,

--- *atque remiſſam*
Pone trahit fugiens, & calcibus exuit haſtam.

Verſ.

Verſ. 254. *Inruit ultro*] imo *ultor*. ſimile mendum ſuſtulimus libro II. 522.

Verſ. 261. *ab aëre rami*] *ab arbore* perperam Carrion. vulgatam lectionem Zinzerlingus recte tuetur ex illis Virgilianis,

---- ubi aëra vincere ſummum
Arboris haud ullae tactu potuere ſagittae.

Statius Theb. V. 575. ut recte jam caſtigarunt homines eruditi,

---- nemorumque per aëra denſi
Diſſultant nexus.

libro VI. 281.

---- non qui fallacibus undis
Inminet, & refugae ſterilem rapit aëra ſilvae.

Lucanus libro IX.

Quam ſegnis Stythicae ſtrideret arundinis aër.

Verſ. 265. *Nam fors adjunxit*] *ita junxit* non male Carrionis liber. niſi *fors ita duxit.* ſic, *fors tulit* Ovidius. ubi vide. *forſitan junxit* prim. Vaticanus & Regius. forte, *fors rata junxit.* vel *duxit.*

Verſ. 266. *laetuſque virum cognoſcit Anauſin*] ſcribo, *laetuſque viri.* ſimillimus locus exſtat libro IV. 297. ubi habes, *avidus viri. laetus viri* ut ſupra,

Laetus opum paciſque meae.

eandem lectionem Maroni quoque reddidimus Aeneidos primo, v. 441. ubi videantur annotata. & ad Ovid. VII. Metam. 435.

Verſ. 269. *En ait*] Lego, *Non, ait.* ſubintellige *patiar.* Nec aliter ſcripti noſtri & priſcae editiones. quod a Carrione mutari nequaquam debuit. apud Maronem,

Dardanium toties ſudaret ſanguine litus?
Non ita.

mox, pro, *conlatis curſibus*, opinor *conlatis viribus.*

Verſ.

Verſ. 275. *vulnus referens*] maluerim, *vulnuſque refers.*

Verſ. 277. *Conripit horror*] *error* Carrionis liber. & prim. Vaticanus. vere. nec aliter adgnoſcebat Pius. apud Maronem Aeneidos IV,

Ter ſeſe attollens cubitoque enixa levavit,
Ter revoluta toro eſt, oculiſque errantibus alte
Quaeſivit coelo lucem, ingemuitque reperta.

Silius lib. VII de Bibulo moribundo,

---- membris dimiſſa ſolutis
Arma fluunt, erratque niger per lumina ſomnus.

Statius Theb. XII,

---- ille oculis extremo errore ſolutis
Labitur.

idem pietate Abaſcantii, ut quidem illic optime reſtituit Gronovius Diatribes cap. XLVII,

Jamque cadunt vultus, oculiſque noviſſimus error,
Obtuſaeque aures,

Verſ. 279. *Hinc animos acies auget*] *animos acres* opinor. Mavors ſcilicet.

Verſ. 281. *Jazygas*] cave *Jazycas* cum Carrione reponas. *Jazyx, Jazygis*; ut *Japyx Japygis.*

Verſ. 285. *mediam per urbem*] forte,

Aut mecum Aeaeum juvenes, agite, ite per hoſtem
Argolicamque manum.

Verſ. 286. *claris occumbite fatis*] alii, *factis.* Carrionis liber & primus Vaticanus cum Regio *caris natis.* optime. pro quo tamen *claris factis* ſubſtitutum Pius voluit. ſupra,

Magnanimis mos ductus avis, haud ſegnia mortis
Jura pati: carae ſed dextra occumbere prolis.

infra,

---- genitor turpi durare ſenecta
Quem mihi reris adhuc, ipſe hac occumbere dextra
Maluit.

Verſ. 291. *parvique etiam didicere nepotes*] *parvique*

viqus viam didicêre Carrionis liber. & placeat. *parvique Aeam* Regius.

Verſ. 295. *Arctois Aquites errabat in armis*] Pius monet a nonnullis legi, *equitans errabat in arvis.* certe codex Regius, *equites in armis.*

Verſ. 300. *atque iterum intrat*] *inſtat* opinor. pro *belli diverſa* Regius, *campi dimenſa.* non male.

Verſ. 314. *decet, & caruiſſe ſepulchro*] lege, *decus, & caruiſſe ſepulcro.*

Verſ. 331. *cuncta tenens mecum*] *trahens* maluerim. paulo ante, *fremit Iſter*, a Carrione in *premit* minime mutari debuit. *fremit* recte ex ſcriptis Pius.

Verſ. 332. *ſola*] hunc verſum Pius Baptiſta perperam delendum cenſet.

Verſ. 335. *haec ſaxa relinquant Martis agro*] vulgati ante Carrionem,

---- ſaxa relinquam
Martis agros.

ubi tam. quod praeferendum Carrionis lectioni. niſi quod, *ubi tam* corrigimus. *ſolitam* vel, *ſuetam.* ut ſimile mendum ſuſtulimus IV. 586.

Verſ. 340. *Dixit & Edonus nutritum miſſile ventis*] *Edonis ventis* caſtigandum. *nutritum* autem *miſſile ventis*, ut apud Homerum, ἀνεμότρεφες κῦμα impulſum ventis.

Verſ. 347. *Sic communis haſta*] *haſtam* opinor. & *contraque ruentes* non *ruentem.*

Verſ. 359. *Dant famulis*] *Dat* magis arrideat. & ſic priſcae ante Carrionem editiones. pro *frangere olivo, frangit* in ſcriptis. ſed male.

Verſ. 368. *& Canthum ſequitur*] *inſequitur* praeſtiterit. ut apud Naſonem, *non inſequor hoſtis.* apud Maronem, lib. XII, *nec tela ferentes Inſequitur.*

Verſ. 373. *has etiam*] rectius legas, *has ne etiam.*

Verſ. 376. *ducentem*] non *ductantem* codices noſtri. primus Vaticanus, & *vix tum.*

Verſ.

Verſ. 377. *frena & Henippen*] *Menippen* puto. tum, *& labentis equi.* pro *Illabentis.* Horat.

Et labentis equo deſcribat vulnera Parthi.

in Regio, *Hinc labentis.* primus Vaticanus *Inlabentis equi ten.fr. Enthippen. Inque labantis* Pius legit. lege,

Inde albentis equi tendentem in frena Menippen, vel,

Hinc flaventis equi tendentem in frena Menipen.

Verſ. 378. *nodis auroque ſecurim.*] lege *atque aere ſecurim.* hinc *aerata bipennis* paſſim apud Poëtas Virgiliis,

---- *aeratum quatiens Tarpeja ſecurim.*

quamvis de coelatura poſſet capi, ut *argento coelatam bipennem* Maro dixit lib. v. & Silius xvi. *ſolido argento coelata bipennis.*

Verſ. 382. *Quin gravior.*] Aldus *quis*, unde Zinzerlingus *quis.* locus corruptus. videtur verſus unus aut alter excidiſſe, comparationem arboris cadentis complexi, quae Idam montem lapſu exterret ſuo: pro *tunc ruit* mallem *corruit.* & mox pro *procubuit tamen*, malim *tandem.* & pro *urbem*, *umbram.*

Verſ. 391. *ſi fundat*] an *effundat*? ſed & alterum legiſſe videor apud noſtrum.

Verſ. 401. *& trepidos*] lege, *& rapidos.*

Verſ. 403. *regeſque movet*] de regibus auxiliaribus capiendum, ut jam monuit Diatribe ad Statium cap. 11. Gronovius.

Verſ. 404. *eademque parentis*] an *ferenti*? an *paternis*? vide quae noto ad Ovid. Amor. lib. I. El. IV. principio.

Verſ. 410. *non tam foeda virûm*] lege, *denſa. ſeda*, inverſis literis primum ſcriptum ſint. vel, *non tot naviſragi.*

Verſ. 414. *frena ſecant*] puto, *temo ſecat:* nam *temones* quoque falcati. *radios* pro rotis poſuit, ut & Naſo Met. 11,

Digitized by Google

---- radiorum argenteus ordo.

Verſ. 417. *Haud uſquam*] forte, *Exſultant Colchorum animi.*

Verſ. 422. *conſtrictos excipit ira*] male *accipit* Carrio. pro *ira*, forte, *umbra* legendum.

Verſ. 427. *ſparſique*] lege, *ſparſiſque campis*, vel *patriiſque.*

Verſ. 430. *regina parandos*] Zinzerlingus in *regna parandos*, quomodo Maſerii editio. male.

Verſ. 434. *inter regia*] *inter egentia* liber Carrionis, forte, *inter alentia paſcua.*

Verſ. 436. *haec etenim*] lege, *haec etiam Minyarum*, &c.

Verſ. 444. *recolit feſſos aetate parentes*] *recoquit* omnino ſcribendum. idque in obſervationibus Gronovium jam occupaſſe deprehendo. qui videatur lib. IV. Obſervat. cap. XXI. apud Horat. lib. II. Sat. V,

---- recoctus

Scriba ex Quinqueviro corvum deludet hiantem.

ubi agit de teſtamentis. Petron. *anus recocta vino.*

Verſ. 453. *nullos horreſcere viſus*] *nullas horreſceret auſus* Aldus. ſed & ſuperiora valde ſunt corrupta.

Verſ. 463. *adverſa*] *averſa* cum Gronovio, qui adeatur lib. IV. Obſer. cap. XXI.

Verſ. 466. *terra coeloque potentes*] puto, *terrae coelique potentes*. ſic infra. v. 680, *potens incepti*. lib. III,

Pan nemorum bellique potens.

&c,

Dux campi Martiſque potens.

lib. IV.

Muneris illa potens.

ſed Virgilius Hecaten vocat, *coeloque Ereboque potentem.*

Verſ. 473. *adſatuſque*] lege, *adflatuſque.* & ita Pius,

Verſ.

Verſ. 480. *numen*] legendum *lumen*.

Verſ. 486. *ignava*] lege, *ignara* cum Carrionis libro.

Verſ. 493. *praecipue*] lege, *praecipitat quis vita brevi*. vel diſtingue,

---- *velut alba colores*
Praecipue, quis vita brevis.

Verſ. 501. *mendaci*] forte *pellaci*.

Verſ. 505. *nimborum frigore*) lege, *ſidere*. forte etiam *nimboſo ſidere*.

Verſ. 510. *miſero luſtramine*) puto, *luctamine*, ut antiquae editiones. lib. II.

---- *ſeque toris miſero luctamine trunci*
Devolvunt.

lib. III. de Tiphye,

Atque illum non ante ſopor luctamine tanto
Lerit agens.

& ſic Carrionis liber hoc loco. pro *verſant*. forte *acervant*.

Verſ. 514. *imago*) putabam *Enyo*.

Verſ. 515. *talia facta*) lego *fata*.

Verſ. 519. *galeam minantem*) *micantem* lege, tam hic, quam lib. VII. verſ. 577. ſic lib. III. *cui galeae clipeique micant*. Sidonius,

---- *capitique micantem*
Inponit galeam.

Comantem dixit Silius.

Verſ. 521. *clamoribus augent*) lege *urguent*, Valeriana Phraſi. v. libro IV. 727.

Verſ. 522. *atris ſternit equis*) forte *actis*. agere equos familiare auctoribus. vel *atris ſternit agris*.

Verſ. 526. *Barbarica chlamys Arcet acu*) *Ardet* cum Pio Gronovius contra Carrionem Obſerv. lib. IV. cap. XXI. ex illo Statii,

Chlamys huic, chlamys ardet & illi.

nihil verius. inf. v. 708. *ignea chlamys*. & lib. I. *Taenario ignea fuco purpura*. Virgil. IV. *Tyrioque ardebat murice laena*. Juvenal. Sat. XI,

Quales eſſe decet, quos ardens purpura veſtit.

Prudentius Pſychomach. Q 2 Nunc

Nunc fortes ſocios parta pro laude coronat
Floribus, ardentique jubet veſtirier oſtro.

Silius lib. XVII,

At contra ardenti radiabat Scipio cocco.

pro *tremefactaque vento*, malim *tumefacta.*

Verſ. 530. *inglorius armis*) *arnes* Aldus. recte Gronovius lib. IV. Obſ. XV. *Armes.*

Verſ. 536. *pavidos*) lege, *pavidoſne, inquit, te rere.*

Verſ. 537. *nec bos*) *nec ſpes* Carrionis liber, unde Salmaſius ad Spartianum *nec ſeps.* bene. ſimilis error inſederat Prudentianos codices praefatione contra Symmachum. v. 74. v. ad Ovid. Heroid. Ep. XX. 144.

Verſ. 538. *ſimulacra rapinis*] vetus codex *ſimulacraque panis.* forte,

---- *nocturni mitte haec ſimulacra pavoris.*

vel *ſimulamina Panis.*

Verſ. 540. *intenta*] an *extenta.* ut *extenſo gradu* apud Propert. II. El. IV. 6. ut ibi legendum monuimus. vel legendum, *intentaque adjutum miſſile habena*, id eſt amento. ſed prius placet; procurrebant enim jaculatores. mox malim *lapſis*, vel *caſſis patuerunt vellera villis.*

Verſ. 545. *duri belli*] malim *crudi* Ovidius.

——— *crudaque bella colant.*

durum tamen bellum Lucanus dixit.

Verſ. 546. *laudibus*) lege *caedibus*, vel *ſtragibus.*

Verſ. 549. *ſatis hoc viſu quaecumque rependo*) puto,

Fata hoc viſu quaecumque rependo.

vel,

Fati hoc viſu quodcumque rependo.

Verſ. 550. *in Sueten*) *inſuetum* Aldus. forte in *Sutae* vel *Butae.*

Verſ. 556. *frendens*) *ridens* Carrionis liber, quod eſſet *ſtridens.*

Verſ. 559. *centum laeta hominum*) ſic Carrion ex ſuo

ſuo codice cum ante *boum* legeretur. ſcribe, *Centum lecta boum corpora.* lib. III. *Dat Cererem lectumque pecus.* ibid. *lectas aurata fronte bidentes. lectas de more bidentes* paſſim apud Virgilium. & apud eundem *lectiſſima matrum corpora.* Silius lib. XIII,

Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum.

ſi quis tamen *laeta.* malit, non repugnarem. Virgilius lib. III. Aeneid.

Laeta boum paſſim campis armenta videmus.

uti Servius *laeta id eſt pinguia, nam in animalibus, in quibus cognoſci non poteſt ſenſus, laetitiam pingue corpus oſtendit, non mens, ut in hominibus.*

Verſ. 571. *brevibus praereptus in annis)* ita non male Carrionis codex. ſed forte,

Nutrimenta patri, brevibus praecepta ſub annis.

Verſ. 572. *illum exigit haſta)* lege *illi exigit haſtam.*

Verſ. 573. *hunc fugat)* vetus editio Bononienſis, *hinc ſugit.* lege *hic fugit.*

Verſ. 582. *quot funderet arma)* lege *funderet enſe,* ſic infra de hoc ipſo Jaſone,

---- *ac modo ſaevo*
Enſe, modo infeſta rareſcunt cuſpide pugnae.

Verſ. 583. *Orantesque)* *Talanteſque* Aldus, non male.

Verſ. 599. *eat atque utinam)* *petat* malim, vel *redeatque utinam,* ut lib. VII. 139,

Aut redeat quocumque modo.

Verſ. 602. *at)* lege *ac.*

Verſ. 610. *ſentit agi)* praeceſſit modo, *egit ſub pectore vires.* lege hoc loco *ali,* & deinde *tolli.*

Verſ. 611. *ubi ipſe)* puto *ubi ora gelu.*

Verſ. 613. *tunc vero]* forte *aut vero.*

Verſ. 618. *ſudantem crinibus)* *undantem cornibus* vulgati ante Carrionem, quod Zinzerlingo arridet. forte *nutantem cornibus.*

Verſ. 625. *molior)* *moliar* vulgati ante Carrionem, quod mutari non debuit.

Digitized by Google

Verſ. 628. *negabo*) lege *negaro*.

Verſ. 640. *pecoris cuſtos de more paterni*] lege, *pecoris cuſtodem in rupe paterni.* vel *cuſtodem è more.*

Verſ. 651. *Flexit ad ignotum*] *Flexit ad admoti* liber Carrionis. non placet, niſi legas *in admoti.* v. lib. v. verſ. 50.

Verſ. 656. *miſeriſque venit jam notus Alanis*) forte *verſis Alanis.* niſi verſu 656. legis, *ſerae ſenſere carinae.* ubi *miſeras carinas* denuo habes ex Carrionis libro, & noſtris ſcriptis, non *curvas.* in Regio, *miſerae accepere carinae.* paulo ante,

---- *ſaeva trahitur dulcedine flammae*

primus Vaticanus.

Verſ. 668. *direpta monilia Divae*) *derepta.* videantur, quae adnotamus ad Naſonem Met. III. v. 58.

Verſ. 677. *aut belli quantum*) *at belli* Aldus.

Verſ. 681. *Inminet è celſis*) ita ſcripti. & mox opinor,

---- *jamque omnis in unum*
Imber iit.

non, *cumque.*

Verſ. 697. *infeſto curru*) *cornu* fortaſſis.

Verſ. 699. *& Aeoae ſtamine ſilvae*) bombycina intelligit ex arboribus depexa. ni mavis, *Eoae ſtamine telae.* quale mendum jam expunximus libro VI. 223. mox, *patrium tiaram* bene ſcripti. non, *patriamque.* quod perperam invexit Carrion. *ſacer tiaras* apud Maronem. *barbarus tiaras* apud Claudianum.

Verſ. 701. *inſignis acinace dextro*] an *dextram?* nam *dextra* eſt in Maſerii editione.

Verſ. 706. *Saucia tigris agit*] ſic Carrionis liber. vulgati, *hiat.* pri. Vatic. *ait.*

Verſ. 709. *quas flore Sabaeo Nutrierat*] ad epiſtolam Naſonianae Sapphus *rore* caſtigavimus. ubi vide quae adnotamus. v. 76.

Verſ. 711. *ſi quis aquis*] forte *agris.*

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 716. *nigraque evulſam extendit harena*] *tendit arena* Carrionis liber & primus Vaticanus. quomodo libro IV. 320,

Tenditur ille ingens in humum pavor.

quomodo illic correximus. apud Maronem tamen, lib. V.

---- *fulva moribundum extendit arena.*

& alibi, lib. IX,

---- *multa porrectum extendit arena.*

in Regio codice,

---- *magnaque evulſam extendit arena.*

Verſ. 721. *At ſatis hos ipſae gentes*] verſus pro ſpurio mihi ſuſpectus ac tollendus.

Verſ. 722. *Ante oculos fuga faeda ducum*] *fuga torva* in Carrionis libro. quomodo, *torva praelia* apud Catullum. in primo Vaticano, *fuga fera.* mox recte ante Carrionem legebatur,

---- *larguſque cadentum*
It cruor.

pro quo peſſime is, *& cruor*, libro II, 232,

It cruor in thalamis, & anhela in pectora fumant
Vulnera.

Verſ. 729. *juſſiſtis inani*] an *luſiſtis*?

Verſ. 734. *quo fallere Achivos Quiſque velit*] Carrionis liber probe, *quo fallat Achivos Sic meritos*, de Aeëta loquitur, neque aliter primus Vaticanus, niſi quod in eo *fellet.* Regius, *quo fallere Achivos Sic meritos.* uti etiam Aldinus codex, nec aliter in ſuis Pius invenerat. mendoſe. lib. II,

---- *in tali quoniam tibi tempore conjunx*
Sic meritae, votis quem tu fletuque requiris,
Heu furit, & captae indigno famulatur amore.

malo praeterea,

---- *quoque hac videam virtute ſuperbum*
Aeſoniden.

quam *hunc.*

Verſ. 743. *noſtra vereor ne fraude peremptum*] peſſime poſterior editio Carrionis, *parentum.*

Digitized by Google

Verſ. 750. *Forte ubi ſerus Iber*] *Forti Marte* opinor.

Verſ. 752. *praeſert mortalibus umbras*] malo exemplo repoſuit Carrion ex membranis ſuis, *optabilis*. quamquam ſic quoque primus Vaticanus.

Verſ. 756. *jam jam quocumque paratae Thyades*] *quodcumque* vulgati ante Carrionem. Regius, *in quodcumque*. & ſic Pius Baptiſta caſtigabat.

NICOLAI HEINSII, ANIMADVERSIONES IN *LIBRUM VII* ARGONAUTICON C. VALERII FLACCI.

Verſ. 2. *Et te jam tua gaudia*] *& jam te* primus Vaticanus.

Verſ. 7. *Nec poterat quo ſcire malo*]

Nec pereat quo ſcire malo

ex ſcriptis noſtris. nec aliter corrigebat Pius. Carrion ex ſuo codice minus concinne,

Nec pereat quo ſcire modo.

praecedenti proxime verſu, *vario queſtus* in primo Vaticano, an?

Vertere tunc vario per longa inſomnia queſtu?

ut

ut *vertere* pro *verti* poſuerit, quomodo optimae Latinitatis auctores frequenter. ſed &, *vertere queſtus* bene ſe habet. quomodo apud Maronem Aen. VI.

---- *ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.*

vertere queſtus, ex aliis in alios mutare.

Verſ. 21. *Jam jactata toro, tumque expectata cubili*] *Tum jactata* in ſecunda editione Carrion, qui & caetera ex ſuis membranis ſic conſtituit. Zinzerlingus, *exſternata.* primus Vaticanus,

Jam jactata toro, tumque experta cubile.

Regius,

Tum jactata toro, vacuumque experta cubile.

ſed optime legebatur ante Carrionem, *nimiumque experta cubile.* hoc eſt grave ac moleſtum. elegans omnino ejus vocis eſt uſus apud terſae Latinitatis ſcriptores. de qua ad Claudianum nonnulla jam praefati ſumus. vidit & cepit ſinceritatem vulgatae in Valerio ſcripturae Gronovius Obſervat. lib. IV. cap. XXI.

Verſ. 24. *levis erigit imber ariſtas*] an *inrigat*? ut apud Maronem,

---- *feſſos ſopor inrigat artus.*

ſed nil temere mutem.

Verſ. 29. *Vota prius captaſque Deis accendere praedas*] opinor, *appendere praedas*, quod alii *ſuſpendere* dixerunt. apud Cic. lib. V. Tuſc. Quaeſt. *fulgentem gladium ſeta equina è lacunari appenſum demitti juſſit*. apud Maronem Aen. VI,

Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.

cujus imitatione Florus libro II. cap. IV, *Marcellus tertia poſt Romulum patrem Jovi Feretrio arma ſuſpendit.* idem Maro Aeneid. IX,

---- *ſi qua ipſe meis venatibus auxi*
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

libro XII,

---- *ubi figere dona ſolebant*
Laurenti Divo, & votas ſuſpendere veſtes.

Digitized by Google

apud Hor. lib. I. Od V,

---- *uvida ſuſpendiſſe potenti*
Veſtimenta maris Deo.

Stat. Theb. IX,

Haec autem primis arma infelicia caſtris
Ure, vel ingratae munus ſuſpende Dianae.

Silius Italicus libro VI,

Unde ire in Martem, quo capta referre ſolebat,
Et victor mecum ſuſpendere poſtibus arma.

Pius Baptiſta vulgatum tuetur ex Livio, apud quem *Marcellus ſpolia hoſtium, Vulcano votum, cremaviſſe* dicitur. tum ex illo Maronis,

--- *cum primam aciem Praeneſte ſub ipſa*
Stravi, ſcutorumque incendi victor acervos.

Verſ. 30. *Prominet*] Pius legebat,

Prominet, atque oculos longe tenet, aurea ſic jam
Pellis, & auratis, &c.

Prominet capio, quomodo infra. 114. *foribuſque impendit apertis.*

Verſ. 32. *Ille autem jamjam vultus voceſque paratas Ante aperit*] *parantem* Carrionis liber, primus ac ſecundus Vaticani cum Regio. ſcribe,

---- *vultus voceſque parantem*
Ante capit.

antecapere idem quod anticipare, praevertere. Nonius Marcellus, *Anticipare poſuerunt veteres praevenire. hoc eſt antecapere.* libro primo *occupare* noſter dicit,

Tum juvenem tranquilla tuens nec fronte timendus
Occupat.

Ibidem paulo ante *metum anteire* habes. apud Maronem Aeneidos primo,

Quo circa capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor.

hoc eſt occupare, praevenire. apud Tacitum, *Pontem Moſae fluminis anteceperat.* Apulejus Met. IV, *Divinato & antecapto meo cogitatu ſtatim ementita laſſitudine effunditur.* Livius lib. V, *Non loco caſtris ante-*

Digitized by Google

antecapto, *non praemunita vallo.* Dictys Cretenſis lib. II, *tempus profectionis antecaperent.* ad imitationem Salluſtii, apud quem, *Maxime feſtinans tempus legatorum antecapere.* idem, *Ac prius quam legiones ſcriberentur, multa antecapere, quae bello uſui forent.* idem, *Non famem aut ſitim neque frigus neque laſſitudinem operiri, ſed ea omnia luxui antecapere. voceſque parantem Ante petit* Aldus.

Verſ. 40. *quis Theſſalus, aut quae Graecia? quodnam hominum cerno genus*] τὸ *hominum* vocem proxime ſubſequentem *Minyae*, ut opinor, abſorpſerat. unde verſu claudicante τὸ *cerno* ab audaci & temeraria manu enatum ſit,

——— *quis Theſſalus aut quae*
Graecia? quodnam hominum Minyae genus?

omnia utique jam concinniora ſunt, & magis adpoſita.

Verſ. 44. *meque ante alios ſic ſpreverat una Ratis*] *ut ſpreverit* male in ſecundis curis Carrion. in ſequentibus forte,

--- *ſpolium aut vivo de rege reportet.*

quamquam & vulgata ſubſiſtit commode ſcriptura.

Verſ. 46. *Ipſum efferre meos*] *efferre* vel *auferre* malit Pius Baptiſta.

Verſ. 54. *potiatur ut auro*] *poteretur* bene in ſcriptis noſtris. Eſſe enim id verbum apud antiquos tam tertiae, quam quartae conjugationis ad Naſonem monuimus lib. XIII. Met. v. 130. mox *deſcendat* & *rapiet* Regius. in caeteris ſcriptis *deſcendet*, & *repetet.* quod Pio Baptiſtae probatum.

Verſ. 72. *praedicti venies in rura laboris*] *in jura* utique ſcribendum. quod Regius codex confirmat. apud Propertium,

Multa tuae, Sparte, miramur jura palaeſtrae.

Verſ. 75. *everſo campo*] *inverſo* praeſtiterit.

--- *campum fractis invertere glebis*

apud Maronem in Georgicis. noſter ipſe hoc libro ex Carrionis membranis,

Aequora nunc primum in glebas invertite tauri.

Verſ. 76. *Cadmei dum ſeminis exeat hydri Miles*] τὸ *ſeminis* hic non placet, praeſertim cum *ſemina* praeceſſerint proxime. ſuperiora etiam perperam diſtinguebantur. opinor,

---- dum dentibus exeat hydri.

Juvenalis Sat. XIV,

In quorum ſulcis regiones dentibus anguis
Cum clypeis naſcuntur, & horrida bella capeſſunt.

Lucanus libro IV, 550,

Phaſidos aut campis inſomni dente creati
Cognato tantos inplerunt ſanguine ſulcos.

ex quibus locis etiam ſuſpicari poſſis hic oportere ſcribi, *dum ſulcis exeat.* ut libro primo,

Tollunt ſe galeae ſulciſque ex omnibus haſtae.

forte & *meſſibus* corrigendum, ut infra,

Exeat Haemonio meſſis memoranda colono.

vel lege, *dum comminus exeat.*

Verſ. 84. *Qui portus Tyberine tuos*] ſic Carrion. ſed primus Vaticanus,

Qui jam te Liberine tues.

vulgati,

Qui te jam Lilybaee tuens.

in Regio,

Cum jam te Lypare metuens.

& pro diverſa lectione in margine,

Cum jam te Lilybaee tuens.

quomodo vetuſtae editiones. poſt τὸ *praeceps ſubiit* exciderunt nonnulla.

Qui jam te Tiberine tuens, claramque ſerena
Arce Pharon praeceps ſubiit, ſi turbine caeco
Nimboſi vis ſaeva noti.

tale quid voluit Flaccus. pro *ſubiit* noſtri codices *ſubito.* falſus quoque eſt Pius, dum ex vetuſto codice, hoc eſt Vaticano illo primo legit,

Qui te jam Lilybaee tuens.

idem omittit illum verſum *Arce Pharon.* perperam.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 99. *Hic periiße*] malim *Sic*, quia *hinc* praeceſſit.

Verſ. 110. *intra limina*] Carrion, *inter limina.* ſed aliter codices noſtri.

Verſ. 114. *foribuſque inpendet apertis*] hoc eſt incumbit. ſed ſcripſerat, ni fallor, Valerius, *intendit.* oculos nimirum. aut intenta eſt. Adpoſite noſter lib. VI, 600,

Tantum effata magis campis intendere ſuadet
Dum datur, ardenteſque viri percurrere pugnas.

libro IV, 677, quae illic vera eſt ſcriptura,

Coeperat intendens adductis montibus unda
Ferre ratem.

Plinius ſecundus lib. VIII. ep. XIX, *Proinde, ſi quando nunc intende libro, quem cum hac epiſtola accipies.* B. Paulinus Epiſtola XII,

Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Symmachus libro primo Epiſtola XVIII, *Proinde etiam his rebus intende, quae occupatis nihil moleſtiae adferunt.* apud Terentium in Andria,

Sed ubi quaeram? aut quo nunc primum intendam?

Prudentius Cathemerin. Hymno II ad Chriſtum,

Intende noſtris ſenſibus,
Vitamque totam diſpice.

Silius Italicus libro III, 466 ex optimis membranis,

Jamque Tricaſſinis intendit finibus agmen.

ubi perperam vulgati codices *incedit.* idem libro VIII, 339,

---- nullus, qui portet in hoſtem
Sufficit inſano ſonipes. intendere nocti
Quae tardent curſum, tenebraſque dolet.

ita & illic videtur eſſe corrigendum. nam in veteri libro Oxonienſi, *incendere noctis.* vulgati, *incedere noctis.* auctor vitae Maronianae, *Sed magna cum laude & gloria vindictam in manu habeo. majore enim cura virtuti intendam.* Statius praefatione libri

bri Sylvarum tertii, *Cum ſcias hanc deſtinationem quietis meae tibi maxime intendere.* Minucius Felix Octavio, *Mari, intende; lege litoris ſtringetur.* ita & Graeci ἐπέχειν cum tertio caſu conjungunt. vetus interpres actis Apoſtolorum III. c.4. 5. *Intuens autem in eum Petrus cum Johanne, dixit: Reſpice in nos. at ille intendebat in eos.* ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς. ubi ſubaudi τοὺς ὀφθαλμούς. plene extulit Tacitus Annalium ſecundo, *Caeterum Germanicus aliis quoque Aegypti miraculis intendit animum.* ἐπεῖχεν αὐτοῖς in actis Apoſtolorum vertit vetus interpres, *intendebat in eos* ut jam vidimus. pari modo *intentus in Deae ſpecimen* Apulejo Mileſiarum undecimo, quod nequidquam mutatur tum ab aliis, tum a doctiſſimo Pricaeo. quomodo *attentus in rem*, & *attentus rei* dicebant, ſive *attonitus.* qua voce Apulejus pro *attentus* amat uti. quod quatuor aut quinque locis inmutarunt malo exemplo Scioppius & Wouwerius. *intendere* & abſolute aliquando dicebant. Apulejus initio Mileſiarum, *Fabulam Graecanicam accipimus, Lector intende, delectaberis.* ita enim malo, quam *laetaberis.* idem Met. VII, *Oro ſollicitis animis, intendite quorſum furioſae Veneris proruperit impetus.* Statius cum infinitivo conjungit Theb. VI, 618, ex auctoritate membranarum,

Arcades arma fremunt, armis defendere regem
Intendunt, totoque parant deſcendere circo.

hoc eſt, regi defendendo ſunt intenti. vulgati perperam *contendunt*, & *diſcedere.* *intendere* cum quarto caſu conjunctum occurrit apud Dionyſium exiguum in vita B. Pachomii c. XLVII, *Tranſiens autem puerulus, conſtitutus erat ad obſequium ejus, qui ſeptimanam faciebat, intendit B. Pachomium, & dicit ei: non bene, pater, operaris.*

Verſ. 116. *defecta cubili*] languida, animo defecto. ni, *dejecta* fortaſſe mavis.

Verſ. 118. *rurſuſque recedens*] hoc mendoſum eſt.

Verſ.

Verſ. 122. *ſubitoque parentibus haeret Blandior*] opinor, *ſolitoque*. in Naſonianis codicibus has voces confundi non ſemel obſervo. pro, *explerique nequit* liber Carrionis & noſtri codices *inplerique*. pro *circumfert oſcula dextrae*, forte rectius ſit, *nunc offert oſcula*. vel *rurſum fert oſcula*.

Verſ. 127. *Tandem etiam molli*] *haud molli* puto. ſuperiori verſu malim, *ante fuga*.

Verſ. 129. *qui profuga forſan tenet alta carina*] *fors jam teret alta carina*, ſcribendum. vel, *fors jam tenet*. non diſſimiliter Medea apud Naſonem, lib. VII, Met. 39,

Atque ope neſcio quis ſervabitur advena noſtra,
Ut per me ſoſpes ſine me det lintea ventis?

cui profuga Politianus. quomodo & duo Vaticani.

Verſ. 132. *tanto turbetur Graecia luctu*] neſcio quid in mentem venerit Zinzerlingo, ut, *quanto luctu* hic reponi velit. ſic infra, *tantus labor*. verſ. 159.

Sum memor, ut tantum mecum partita laborem.

ubi perperam Carrion *totum laborem* inculcavit. *tanta pudor aeſtuat ira*, etiam hoc libro, 316,

---- *tanta juvenem qui perderet ira.*

adi notas lib. IV, verſ. 202. libro I,

---- *tantoque ſilet poſſeſſa draconi*
Vellera.

&, *tanto ſuper anxia nato*. lib. VIII,

---- *tantus ſubiit ut virginis horror.*

libro IV,

---- *tanto procul orbe remoti.*

libro V,

---- *illum tanto non gliſcere coelo*
Vellet ager.

lib. VI,

---- *aequore tanto*
Debita cognati repetit qui vellera Phrixi.

& alibi,

-- *tan-*

--- tantum maris aequor adorti.

lib. VII,

Ipſa fugit, tantoque (nefas) ipſa ardet amore.

ſed in infinitum irent exempla. Sil. Ital. IV, 310 ex optimis membranis,

Mox ſubita in tanto lucent incendia monte.

Corippus Africanus libro I,

Cognatos, famulos, & tantos linquis alumnos?

ubi *cunctos alumnos* perperam invexêre contra fidem veterum membranarum,

Verſ. 135. *O utinam & tandem non hac moreretur in urbe*] forte corrigendum.

Atque utinam Aeëa non hac moreretur in urbe.

ſic *Aeëa moenia* habemus infra 191. poſſis &, *hoc in orbe.*

Verſ. 137. *dicitur*] puto, *ducitur.* apud Naſonem,

---- *ſed non*

A tibi ſuſpecto ducit Ulyſſe genus.

mox pro, *at redeat*, in ſcriptis, *aut.* niſi quod Regius, *ô redeat.*

Verſ. 143. *ſupplex ſternitur hoſpes*] *cernitur* praeſtiterit. atque ita vir eruditus in ora codicis Veneti caſtigarat.

Verſ. 145. *caroſque penates*] perperam, Carrion *parentes* loco *penatium* hic invexerat: quaſi Medea in eodem cubiculo parentibus decubuiſſet. tum quod ſequitur de Theſſalicis urbibus ſcripturam vulgatam ſatis tuetur. quid, quod *parentem* praeceſſiſſe non advertit.

Verſ. 156. *leviorque pudori Menſque obnixa malo*] puto, *leviterque pudori Mens obnixa malo.*

Verſ. 159. *tantum laborem*] Carrionis *totum* hinc eſſe ablegandum paulo ante monuimus. *ut mecum* primus Vaticanus. *utque meum* Regius.

Verſ. 161. *furiata reliquit*] ita Carrion ex ſuo codice. cum *decepta* prius legeretur. atqui cum *furias* hoc ipſo verſu jam nobis dederit Valerius, illud *furiata* repeti inconcinne admodum mihi viſum

ſum eſt. forte, *ac mea nunc incepta relinquit*. ſed *decepta*, quae ſe fruſtra inpulſui ſuorum numinum crediderat.

Verſ. 163. *Vince precor*] *Vince prior* arbitror. nam τὸ *precor* bis repetitum hic non placet.

Verſ. 165. *quin illa ſacro quo freta veneno*] Carrionis liber, *quis illa ſacris, quo freta veneno?* in duobus Vaticanis, *quis illa ſacro*. putabam aliquando, *quin illa ſacri vi freta veneni*. ſic & alibi apud noſtrum non uno loco *vim veneni* habes. adi adnotata infra v. 333. *quemque illa ſacro* Regius. Pius corrigit, *quin illa ſacro quo*. & interpretatur, *quo freta*, quo pollet. vulgo, *quis illa ſacris. quis illa ſacro* primus Vaticanus.

Verſ. 169. *ſolvat*] repetitio ejuſdem verbi in hoc verſu odioſa eſt, & a mala manu. forte,

Sopiat inſomnem, atque ingenti ſolvat ab orno.

vel,

Solvat & inſomnos ingenti avellit ab orno.

niſi praeſtiterit *evolvat*. Senec. Ep. 75, *Acti in exilium & evoluti bonis*. Latinius Pacatus in Panegyrico. *Miſeros avitis evolviſſe patrimoniis.*

Verſ. 170. *haec tibi nunc*:] Carrionis lectionem ſecuti ſumus, & diſtinctione juvimus. noſtri, *haec tibi non*.

Verſ. 174. *continuo quo cingula ſoli*] putabam aliquando, *continuo quin cingula ſoli. cin* pro *quin* exaratum fuerat, quod poſtea cognata vocis proxime ſubſequentis ſyllaba abſorpſit. at poſterior Carrionis editio, *ſed cingula*. bene. τὸ *quod* omiſſum erat in primo Vaticano. in Regio, *ſunt*.

Verſ. 176. *Haud ſatis eſt, ſed me ipſa opus eſt*] ita ſcripti. in vulgatis, *ſed me ipſum opus eſt*. Pius *ipſam* a nonnullis monet legi. opinor,

Haud ſatis id, me me ipſa opus eſt.

vel,

Haud ſatis eſt, me me ipſa opus. en cunctantia poſcunt
Pectora me.

nam

nam in ſcriptis noſtris, *& cunctantia.*

Verſ. 179. *luciferae Dianae*] *letiferae* ex vetuſto codice Carrion. nolim mehercules factum. adeantur notae noſtrae ad epiſtolam Naſonis xx. 194. in nummis antiquis, DIANAE LUCIFERAE. pro, *metuatque morari*, quod praeceſſit, maluerim, *metuatque rogari.*

Verſ. 183. *aut mea forte Ne inpediat nunc acta time*] ſic Carrionis liber. vulgati,

——— ut mea forte
Inpediat nec enim eſt tanti.

quod ex conjectura Pii promanavit. Florentinus Juntarum, *Impediat me aetati.* Maſerii editio, *Impediat me Aeëtis.* Regius, *Impediat nec me aetati.* primus Vaticanus pari fere modo, *nec me etati.* ſcribe,

——— aut mea forte
Inpediat ne coepta. time.

Verſ. 186. *Amplexuque peti*] *Amplexuque petit* in ſcriptis noſtris. alterum eſt a Carrione. vulgati, *amplexumque pati.* quod minime mutandum fuit. *juſſa & imperia pati*, hoc ipſo libro. infra, ut vere reſtituit Gronovius,

Tune, ait, Aeſoniden quidquam te velle relicta
Credis, & ulla pati ſine te freta?

pati dominum libro VIII. plura de eleganti uſu hujus verbi ad Claudianum obſervamus. *amplexuque pati* ex veteri codice notat Pius. idem monet in Pomponii Laeti libro eſſe caſtigatum,

Ipſam flammiferos cogam conpeſcere tauros,
Atque novam ſegetem ardenti ſcindere ferro.
Pervigilem ſomno claudentem victa Draconem
Lumina conſpicies. laeta eſt Juno. inde reſurgit
Amplexuque petit.

Verſ. 195. *ingeminant conmotis queſtibus aeſtus*] ita ſcripti, non *ingeminat.* apud Maronem, *ingeminant curae.* malo praeterea, *conmoti queſtibus aeſtus.*

paulo

Digitized by Google

paulo ante, *praeſtringere mentem* Regius. non, *perſtringere.*

Verſ. 198. *ſi tibi*] opinabar, *heu tibi.* paulo ante, pro, *Quidve tuos virgo,* ſcribi maluerim, *Quidve o virgo tuos.* Aldinus certe codex, *Nam quid virgo tuos.* mox ſcripti noſtri, *comes ire ſorori.* male Carrion, *eſſe.*

Verſ. 201. *Hoc ſatis*] *Haud ſatis* putabam. ut ſupra verſ. 176. nam Aldinus liber, *Haec ſatis.* lege, *Nec.* poſt hunc verſum addit primus Vaticanus,

Hei mihi nec caſus etiam ſpectare ſupremos.

quem ex Pomponii Laeti codicibus quoque jam annotavit Pius.

Verſ. 204. *Non ullum meminiſſe putat*] *ingemuiſſe* maluerim. vel *metuiſſe* ut ſup. 178, *metuatque morari.*

Verſ. 209. *tumuloque has reddere curas*] imo *credere.* ſi quid video.

Verſ. 214. *Sic oculos incerta tenet*] *Hic* legebatur ante Carrionem. fortaſſis *Huc* reponendum. ut ſupra,

—— *attonitos Aeaea in moenia vultus*
Speque metuque tenens.

ſane τὸ *Sic* paullo ante praeceſſerat.

Verſ. 220. *Quam patriae te movit amor.*] ita haec diſtinguo: in Aldino codice perperam interpolata ſunt.

Verſ. 224. *jampridem ignava*] ſcribendum,

Sola tuae venio jampridem ignara juventae.

atque ita vir eruditus in ora caſtigarat Venetae editionis.

Verſ. 226. *quippe etiam repetentur munera divum*] nihili haec ſunt. in Maſeriano codice *repetuntur.* fors dederit Valerius,

—— *quippe ut jam repetentur munera divum.*

ſic libro II, 139.

——— *reputantes tempora belli.*

lib. VIII, 385,

At Minyae tanti reputantes ultima belli.

Verſ. 229. *nec nos Dis nata malignis Clauſerit hoc uno ſemper ſub frigore meſſis*] ita Carrion. ante quem legebatur, *nec nos ô nata malignus Cluſerit menſis. ô nata malignus* pri. & ſec. Vaticani. *malignus Phaſis* in Aldino codice. quod arridebat Zinzerlingo. in ſecundo Vaticano, *nec nos onerata malignis.* in Regio, *nec vos ô nata malignus.* ego Carrionis codici inſiſtens ſcribo,

---- *nec nos Dis nata malignis*
Luſerit hoc udo ſemper ſub frigore meſſis.

poſſis & *crudo ſub ſidere. ludere* proprium hac in re verbum. ut apud Maronem,

---- *ſed illos*
Expectata ſeges vanis eluſit ariſtis.

Tibullus lib. II. El. I,

Neu ſeges eludat meßem fallacibus herbis.

Propertius lib. II. El. XV,

Terra prius falſo partu deludet arantes.

pari modo Manilius etiam & Boëthius. idem *fallere* & *decipere*, & *mentiri* dicebant. plura ad illuſtrationem hujus loci congeſſimus curis ſecundis ad Pontica Naſonis lib. II. El. IX. *udo frigore* pro *uno* repoſuimus etiam, quod meminerimus humiditatem & frigus ſegeti eſſe damnoſa. in Catalectis veterum Poëtarum,

Humor alit ſegetem, ſegeti contrarius humor.

in Silvis Statianis Via Domitiana par mendum deprehendimus,

Hic quondam piger axe vectus udo
Nutabat cruce pendula viator,
Sorbebatque rotas maligna tellus,
Et plebs in mediis Latina campis
Horrebat mala navigationis.

ubi hactenus *axe uno* legebatur inſulſe. Ovid. Epiſt. VI.

Illa

Digitized by Google

Illa ſibi a Tanai Scythiaeque paludibus udae
Quaerat & a patria Phaſidis uſque virum.

Statius tamen & *crudo frigore.* apud Juſtinum lib. IX. cap. 11. de Scythia, *inclementiam coeli & ſterilitatem terrae cauſatur, quae non patrimoniis ditet Scythas, ſed vix alimentis exhibeat.* puto, *vix alimentis ſe exhibeat.* locus corruptus. ſed vide Berneggerum; hinc ἄβιοι Schythae dicti.

Verſ. 231. *Fas mihi non habiles, fas & tibi linquere Colchos*] *humiles Colchos* ſecundus Vaticanus adgnoſcit. & ſic nonnullos legere teſtis Baptiſta Pius. arbitror a Valerio eſſe, *non ſtabiles Colchos*, hoc eſt, in quibus certam habitationem non fixerat. tolle praeterea interrogationis notam. Plautus Mercatore Actu III, Scena IV,

Quis modus tibi exſilio tandem? eveniet qui finis fugae?
Quae patria aut domus tibi ſtabilis eſſe poterit? dic mihi.

male etiam Carrion, *& fas tibi linquere.* aliter codices noſtri. mox apage eundem Carrionem, qui male repoſuit, *horrent tibi paſcua tauris*, pro, *ibi.* quamquam & in primo Vaticano *tibi.* Regius *ubi.*

Verſ. 240. *I, precor, atque unum pro me dimitte timorem*] pro, *atque unum*, opinor reponi debere, *ac querulum timorem.* nihil certe nunc occurrit quod propius accedat ad receptam lectionem. poſſis etiam *ac vanum timorem* amplecti. pro *dimitte* pri. Vatic. *diu mitte.* an *dea mitte*? ſequenti proxime verſu nihil neceſſe, quod Carrionem invexit, *quoniam potes.* libro VIII,

Verum age & hoc etiam, quando potes, adjice tantis
Muneribus.

Verſ. 242. *Unde metus aeſtuſque mihi*] *eſt uſque* ſcripti. quod perperam amplexus eſt Carrion. in Regio, *Unde metus ſunt uſque mihi. aeſtum* ſimili ſignificatione jam ſupra non ſemel habuimus: *ingemi-*

Digitized by Google

geminant conmoti queſtibus aeſtus. bene autem idem Carrion, *quaeque aſpera mater Perpetior.* confirmat primus Vaticanus. ſic infra,

Tu quoque nil mater, prodes, mihi.

& ſic in vetuſtiſſimis codicibus ſibi inventum adſeverat Pius.

Verſ. 243. *durae incendia mentis*] fortaſſe *crudae.*

Accepere tamen crudam contra aſpera mentem
Et magnos tollunt animos

apud Silium, IV.

Verſ. 244. *ardua amanti*] haec Carrionis eſt ſcriptura. vulgati, *arida mens eſt.* niſi quod in Aldino & Maſeriano, *ardua menti.* in duobus Vaticanis, *arida menti.* ſcribe,

Nulla quies animo, nullus ſopor, haeret amanti.

Verſ. 250. *infeſtaque cerno Omnia*] Zinzerlingianum. *omina* omnino admittendum. quomodo ante illum Aldus quoque. ſed & *infauſta omina* revocari malim apud Naſonem, Met. VI, verſ. 447,

——— *infauſto conmittitur omine ſermo.*

ubi plurimis exemplis haec adſerui.

Verſ. 253. *atque imi monſtrabat pectoris ignem*] *atque ibi* pri. Vatic. Regius *atque pii. nutribat*, non *monſtrabat* Aldus.

Verſ. 259. *a ſuperis auris*] *oris* maluit Pius Baptiſta.

Verſ. 260. *Forte ratem primo fugientem litore cerno*] nondum fugiebat ratis. quare ſcribendum *fulgentem.* ſcutis nempe praefixis. noſter lib. I,

——— *prora ſplendet tua cuſpis ab alta*
Aeacide.

lib. III, 28,

Aeriſono de monte ratem praefixaque vidit
Scuta.

& alibi non uno loco. Virgilius Aeneidos VIII,

——— *mirantur & undae,*
Miratur nemus inſuetum fulgentia longe
Scuta virum fluvio pictaſque innare carinas.

Silius

Digitized by Google

Silius libro XI,

--- *pelagoque micabant*

Captiva arma procul celſa fulgentia puppe.

quod ſequitur mox *vellet*, minime ſatisfacit, & fortaſſe in *ſuevit* mutandum.

Verſ. 263. *Unus ibi ante alios qui tum quoque pulcrior omnis*] *tum mihi* in ſcriptis. legendum praeterea, *omnes*.

Verſ. 264. *longeque ducem mirabar, & ipſe Advolat*] ita Carrion & Regius codex. vulgati, *& ipſa Advolat*. ſcribe & diſtingue totum locum,

Unus (ibi ante alios qui tum mihi pulchrior omnes
Viſus erat; longeque ducem mirabar & ipſa)
Advolat.

Verſ. 266. *Per, tibi ſi quis, ait, morituri protinus horror*] *Par tibi* Regius. opinor legi debere,

Per, tibi ſi quis, ait, morituri proditus ardor.

Verſ. 269. *Tu fletus oſtende meos*] *I fletus* praeſtiterit. vel, *Huic fletus oſtende meos.*

Verſ. 274. *quales nec viderit*] forte, *quas lux nec viderit ultra.*

Verſ. 281. *Aeaeos jubeas miteſcere campos*] *ſubeas* in ſcriptis.

Verſ. 282. *Occidat aeterna tandem Cadmeïa morte Jam ſeges & viſo ſpumantes hoſt. ſte tauri*] *morte* mox denuo ſubſequitur. quare ſcribendum,

Occidat alterno tandem Cadmeia Marte
Jam ſeges.

Naſo de iiſdem terrigenis,

--- *ſuoque*

Marte cadunt ſubiti per mutua vulnera fratres.

in Triſtibus de Etheocle & Polynice,

Alterna fratres qui cecidere manu.

Stat. IV. 560.

--- *ſed alternum cuperent haurire cruorem.*

morte alterna ſi tueris, memento verſus Maroniani,

Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

dein-

deinde in ſcriptis primo Vaticano Regioque *fumantes*. quod refer ad ignem, quem naribus efflabant.

Verſ. 284. *hic poſſum exſolvere grates*] an *huic*?

Verſ. 285. *Attamen hoc ſaeva corpus de morte receptum*] *Ut tamen* in ſcriptis. forte *Sic tamen*. malim etiam, *de morte redemtum*.

Verſ. 288. *promiſi, ne falle, precor*] haec vera eſt ſcriptura.

Verſ. 291. *eſt & fama meis jam parta venenis*] *tam parta* primus Vaticanus idem cum vulgatis.

Dignior es & fama meis jam parta venenis,

Carrion ex ſuo codice interpolarat. forte,

Dignior es. ſat fama meis jam parta venenis.

ſatis mihi eſt fama, quam venenis meis peperi.

Verſ. 294. *tanta pudor aeſtuat ira Verba cavens*] ita Carrionis liber & primus Vaticanus. in ſecundo *canens*. *canes* Regius. opinor, *tanta pudor aeſtuat ira Seſe acuens*. libro primo,

An patres, regnique acuat mutabile vulgus.

libro II. 172,

--- *adglomerant ſeſe nudiſque ſub aſtris*
Condenſae fletus acuunt.

apud Maronem VII, Met.

Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur.

idem eodem libro,

Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores.

familiare & alibi id verbum eſt Maroni. *verbis acuere trepidantia caſtra* Silio lib. II, 27.

Verſ. 295. *molles horror invaſerat annos*) *artus* putabam.

Verſ. 296. *obruit aures*) *obſtruit* cum Carrionis libro & Maſerii editione praeſtat. nec aliter a nonnullis legi adfirmat Pius. probatur & mihi vel ex illo Maroniano,

---- *placidaſque viri Deus obſtruit aures.*

Verſ. 299. *duras evadere voces*) *dirae voces* ſunt revocandae, quae ante Carrionem hic exſtabant.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ.302. *inſectis per roſcida cornua vittis*] ſic editiones nonnullae cum Carrionis libro, & noſtris membranis. alii *injectis* ex conjectura Pii Baptiſtae. Aldus, *inſertis*. forte,

---- injectis per roſcida cornua vinclis,
Cum tenet ille Deum.

certe *victis* codices nonnulli. *injicere vincula* ut apud Maronem Sileno,

---- injiciunt ipſis & vincula ſertis.

Verſ.304. *pudibundaque tegmina patris*] *pulzbundaque* primus Vaticanus. puto,

---- furibundaque tegmina matris.

ut *naebrida* intelligat. vel certe, *furibundaeque agmina matris*. Patri Penthei hic nullus eſt locus. nec diſſimilia habes ſupra de Oreſte,

Turbidus ut poenis caeciſque pavoribus enſem
Corripit, & ſaevae ferit agmina matris Oreſtes.

& de ipſo Pentheo lib. III. 264,

Ceu pavet ad crimen & triſtia Pentheos ora
Thyas, ubi inpulſae jam ſe Deus agmine matris
Abſtulit, & caeſi vaneſcunt cornua tauri.

Verſ.314. *ipſumque ſimul demittere letho*] *dimittere* in ſcriptis noſtris. de quo plura ad ſecundum Maronianae Aeneidos. v. 85.

Verſ. 318. *Denegat, atque una potius decernit in ira*] *toties decernit* Gisbertus Cuperus Obſervation. lib. II. cap. x. bene.

Verſ. 321. *Atque toro projecta manet: Cum viſa*] ſcribe,

Utque toro projecta manet, tum viſa vocari
Rurſus.

decernit paullo ante bene ſcripti.

Verſ. 330. *ſanguinea Lunae diſtrinxit ab ira*] *ſanguineo Lunae diſtrinxit ab orbe*. vel *ab ore*. Naſo in Amoribus,

Purpureus Lunae ſanguine vultus erat.

Verſ. 332. *Cum tibi tot mortis*] *mortes* cum Zinzerlingo.

Verſ. 333. *qua non velocius ulla*] forte, *qua non vis ocyor ulla*, vel, *vis acrior ulla. vim* pro veneno etiam infra poſuit, 355,

---- & qua ſibi fida magis vis
Nulla, Prometheae florem de ſanguine fibrae
Promit.

tum deinde,

Gramina Perſaeaſque ſinu depromere vires
Coeperat.

& mox,

---- ille manu ſubit & vim conripit omnem.

lib. VIII. 86,

---- atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam.

Senec. Herc. Oetae. 563,

Prolata vis eſt.

in Regio, *velocius ullam.* & *toto limine*, non *lumine.*

Verſ. 337. *Morte magis!*] ita haec diſtinguantur.

Verſ. 341. *Hunc quoque qui nunc eſt*] ſcribe,

Hunc quoque, quin hunc, heu crudelis, Jaſona neſcis
Morte perire tua?

ſed Carrionis codex, *qui nunc eſt primaevus.* non male. poſſis etiam, *cui nunc es crudelis.*

Verſ. 343. *& noſtro quem primum in litore vidi*] *prima* praeſtiterit.

Verſ. 345. *Tunc poteraſque iſtis Juvenem non perdere*] ſic Carrionis liber. vulgati, *Tunc poteras nunc perdere. non perdere* etiam in duobus ſcriptis. corrige,

Tun' poteras iſtis juvenem non perdere monſtris?

Regius codex duos ſubjungit verſus, neſcio quo auctore,

Aeta parens, ſi poſcenti ſua fulva negaſſes
Vellera, ſi patrium vetuiſſes Thaſin adire.

adgnoſcit & Pius Baptiſta pro genuinis, ex codice Pomponii Laeti haud dubie depromptos. qui verſu

ſu ſecundo adgnoſcit; *ſed patrium.* ſed inſerit hos duos poſt verſum 345. qui ſic ab illo exhibetur,

Tunc poteras iſtis juvenem tunc perdere monſtris?

Verſ. 349. *& monitis cedo minor*] *en monitis* puto.

Verſ. 352. *Sive mori; quodcumque velit*] *Seque mori*, ni fallor. lege,

---- ſeu vivere gaudens
Sive mori.

male haec etiam diſtinguebantur.

Verſ. 354. *nec notis venenis*] peſſime *notae* in poſteriori editione Carrionis.

Verſ. 357. *Caucaſium tonitru nutritaque gramina promit*] *gramina ponit* ſecundus Vaticanus & Regius. etiam Carrionis liber. qui pro *tonitru*, quod hoc loco alienum, *promit.* opinor,

Caucaſium promit nutritaque gramina tabo.

exaratum primo fuerat, *gramina napo.* pro, *tapo* ſive *tabo.* nam *b* & *p* in veterrimis libris frequenter confunduntur. in primo Vaticano tota pagella hic deſiderabatur.

Verſ. 359. *Durat editque cruor*) *τὸ editque* nullum hic ſenſum habet. quid quod *adeſo* mox ſequitur. arbitror, *Durat alitque cruor.* vel, *Induratque cruor.* nimirum primo exaratum fuerat, *Durat itque cruor.* quod ſupinus & feſtinans librarius duas priores literas in *alit* ob cognationem literarum proxime praecedentium omiſiſſet. idque Bulaeo jam ſuboluiſſe deprehendo. ſecundus Vaticanus, *Durabatque cruor.* quod proxime veram lectionem accedit. *Durat agitque cruor* vir eruditus caſtigarat in ora codicis Vaticani ex editione Veneta. mox, *rorat* maluerim, quam, *inrorat.*

Verſ. 364. *duratam fontibus harpen Intulit*) praeſtiterit, ſi quid video, *duratâ harpe Inpulit.* pro *monſtrata ſeges*, malim *conſtrata.*

Verſ. 368. *gemit irritus ille*) atqui ſupra jam narraverat Prometheum ab Hercule liberatum eſſe, ſed intelligendum puto, de tempore, quo flos ille colligebatur.

Digitized by Google

Verſ. 369. *totos tunc contrahit artus Mente dolor*) Carrionis liber, & primus Vaticanus, *Monte*. fortaſſis, *toto monte*, vel *moto*.

Verſ. 375. *teneros ſupremum pallida foetus*) caſtiga vel invitis membranis, *teneros ubi primum pallida foetus*. ſic in vetuſtiſſimo Naſonianorum Faſtorum exemplari, *ſuprema crepuſcula*, pro, *ſub prima* ſcriptum offendi. proximo verſu etiam fortaſſis, *ab exciſo nido*. exciſa arbore, in qua nidum ſtruxerat.

Verſ. 377. *Hortaturque ſequi*) *Hortaturque ſuis* in Carrionis libro. in primo Vaticano *ſaevi*. nil muta. ex Naſone videlicet hauſit hemiſtichion. qui Met. VIII,

Hortaturque ſequi, damnoſaſque erudit artes.

idem Hemiſtichion in Claudiano etiam occurrit. mox, *Jamque redire rogant* optime ſe habet. nec audiendus Carrion, qui invitis codicibus noſtris reponebat, *redire volunt*.

Verſ. 382. *Nullane culpa ſubeſt*) *Culpa nec ulla ſubeſt*. opinor. verſu praecedente puto, *meque ultro inploras*.

Verſ. 390. *monſtrataque condere vultus*] *monſtrata recondere*.

Verſ. 398. *volucris Thaumantias alis*) etiam hic maluerim, *volucri ala*, & *hinc ſeſe ſuſtulit*, pro *hic*; quod τῷ *inde* melius omnino reſpondet. *volucri ala* concinne ante Carrionem legebatur. infeliciter etiam idem Carrion, *dextrae delapſa*. cum *dilapſa* antea rectius legeretur. *delapſa* tamen in ſcriptis. paullo ante, *Jamque tremens longe ſequitur Venus*, male Carrion mutavit in, *Ipſa tremens*, cum proxime praeceſſerit,

---- *ſtupet ipſa gravi nox tardior umbra.*

Verſ. 417. *Haſcine nunc grates*) *Haſne mihi grates*.

Verſ. 419. *ſic te ſub teſte remitti Fas mihi virgo tuum*) *Fas tibi* ſcribe. Carrionis liber, *Fas mi Virgo*,

Digitized by Google

go, *ἀρχαϊκῶς*. de quo ad Epiſtolam Herus Naſonianae. poſſis etiam, *Faſne o virgo tuum?* idque verum eſſe opinor. vel, *Fas ubi virgo tuum*. tale illud Naſonis, *Jura, fides ubi nunc?*

Verſ. 421. *Nec pater ille tuus*] Zinzerlingus hujus & proxime ſequentis verſus duo priora vocabula arbitratur tranſponenda eſſe,

Quid pater ille tuus tantis me opponere monſtris
Nec meritum, & tantas voluit me expendere poenas?

ſed pro recepta lectione Gronovium erudite velitantem vide Obſervat. lib. I. cap. IV. *voluit me pendere* codex Carrionis. in primo Vaticano, *voluit expendere*. quod amplector. nam repetitio *τὸυ me* hic inconcinna eſt. editio Pii, *voluit me expendere*.

Verſ. 442. *nempe hanc animam pars ſaeva manebat Funeris*] *ſors ſaeva funeris* cum Bulaeo ſcribatur, ex illo Maroniano,

Hic finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit.

noſter libro I,

---- tum vobis ſi quod inauſum
Arcanumque nefas, & adhuc incognita lethi
Sors ſupereſt.

& libro IV,

Tum legere arma jubet, ſumtiſque occurrere contra
Caeſtibus: haec miſeri ſors eſt aequiſſima lethi.

ſors ſaeva Gronovius Obſervat. IV. cap. XXI.

Verſ. 445. *miraris & ipſa*] *ipſe* ſcribo. quod ante Carrionem circumferebatur, vel *ipſam* cum Regio.

Verſ. 447. *cape munera ſupplex Nunc mea*] ita Carrion. prius legebatur, *Non mea*. non mea, ſed Hecates, ac proinde divina. mox idem Carrion, *alias te mittet ad urbes*. cum antea legeretur, *aliaſque inmittet*. primus Vaticanus, *alias mittet*. opinor, *τὸ ſi* excidiſſe,

——— *alias ſi mittet ad urbes.*

Verſ. 453. *praeſenti virtus educere leto*] noſtri, *te educere*; opinor *virtus ſubducere*.

Verſ. 454. *etiam nunc deprecor hoſpes*] *id jam nunc* arbitror Valerium dediſſe.

Verſ. 457. *neque enim matura ruebant Sidera, & extremum ſuffixerat axe Boöten*] ita Carrion in vulgatis, *extremo axe.* praeterea *ſuffecerat* in ſcriptis noſtris, Aldino etiam & Maſeriano codice. locus perplexiſſimus. ſcribo,

——— *nam jam matura ruebant*
Sidera, & extremo ſe flexerat axe Boötes.

diem denotat inſtare. locus omnino ſimilis apud Juvenalem Sat. v, 23,

Sideribus dubiis, aut ullo tempore, quo ſe
Frigida circumagunt pigri ſarraca Boötae.

nam ſe *circumagere* in Juvenale prorſus idem eſt, quod in Valerio, *ſe flectere.* ſed caſtigationis noſtrae ſingula videamus. pro *neque enim* repoſuimus *nam jam*, ſenſu id poſtulante. *nam* ſcripſerat librarius omiſſa voce proxima *jam* ob cognationem literarum more ſolemni. ex grege ſemiliterato quidam, quod verſum claudicare advertebat, inprovide opem tulit. *matura ſidera ruebant* ex illo Maroniano videtur hauſiſſe,

——— *interea revoluta ruebat*
Matura jam luce dies.

& videtur modus loquendi depromptus ab arboribus, quae fructus maturos ſponte excutiunt. quamquam in Maronis loco *diem maturam* crepuſculo opponi contendit Servius, & pro *clara luce* interpretatur. Avienus in Aratëis *maturam noctem* pro extrema poſuit,

Tum Cynoſura etiam maturae in tempore noctis
Altius in Borean ſuſtollitur.

Aratus in hac deſcriptione dixerat πυμάτης ἐπὶ νυκτός. *adultam noctem* eadem ſignificatione habes apud eundem Avienum,

-- vel

---- vel duri ſideris index
Scorpius exoriens ſit tempore noctis adultae :
Hic matutino veniens procul aequore chelym
Erigit e pelago.

id Arato ἀκρόθι νυκτὸς eſt. ſic *maturus aevi* pro ſene apud Poëtas. *maturi* etiam *ſenes* , & *ſenectus matura. extremo ſe flexerat arte Bootes* , poſt occaſum nempe caeterarum ſtellarum. eſt autem τὸ *flectere* proprium in hac re verbum. Naſo Metamorph. x,

Tempus erat, quo cuncta ſilent, interque Triones
Flexerat obliquo plauſtrum temone Boötes.

Propertius libro II, El. XXXIII,

Non audis, & verba ſinis mea ludere, cum jam
Flectant Icarii ſidera tarda boves.

ubi caſtigandum, & *verba ſinis me ludere. Ludere verba* , ut, *Ludere operam.* Seneca Medea, verſ. 314,

Non quae ſequitur flectit[illegible] [illegible]nex
Arctica tardus plauſtra B[illegible].

Lucanus lib. II, de inſtante [illegible] die,

Et jam Plias hebet, flexi jam plauſtra Boötae
In faciem puri redeunt languentia coeli.

idem libro IV,

---- cum ſidera coeli
Ante ducis voces oculis humentibus omnes
Adſpicerent, flexoque Urſae temone paverent.

Statius Thebaidos III,

---- jam nocte ſuprema
Ante novos ortus, ubi ſola ſuperſtite plauſtro
Arctos ad Oceanum fugientibus invidet aſtris.

ex quo loco manifeſtum fit, cur *extremo axe* dixerit Valerius. & Naſo Met. III,

Mentior, obſcurum niſi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas ſummo mea vulnera coelo
Videritis ſtellas illic, ubi circulus axem
Ultimus extremum ſpatioque breviſſimus ambit.

 ſed

ſed hoc ad extremam partem axis Borealis debet referri. Anacreon,

Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις
Στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤδη
Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτεω.

Silius lib. XIII,

--- *a medio cum ſe nox humida curſu*
Flexerit.

idem *vertere* dicebant. Naſo Triſt. I, El. 3,

Jamque morae ſpatium nox praecipitata negabat
Verſaque ab axe ſuo Parrhaſis Arctos erat.

Seneca Troadibus, 440,

Partes fere nox alta tranſierat duas
Clarumque ſeptem verterant ſtellae jugum.

ita malo, quam, *nox alma.* quamquam & hoc tolerari poteſt ab alendo. Lucanus libro II,

--- *ſed nocte ſopora*
Parrhaſis obliquos Helice cum verteret axes.

atque haec operoſius quam par erat. ſed locum interim depravatum inluſtrari tanti fuit.

Verſ. 459. *Non ſecus ac patriam, pariter*] *& pariter.* pro *objicit*, etiam fortaſſe reponendum *porrigit.* ut apud Naſonem Met. VIII,

--- *ſceleratаque dextra*
Munera porrexit, Minos porrecta refugit.

Verſ. 463. *Carmina nunc totos ſolvit*] legendum, *volvit.* quomodo libro tertio,

Carmina turbatos volvit placantia manes.

Verſ. 464. *& totum ſepteno murmure fertur Per clypeum*] in Magicis numero ſeptenario etiam locum fuiſſe haud ignoro. hic tamen quid ſi legas?

--- *& tutum ſepteno tergore fertur*
Per clypeum;

ſic ille, *dominus clypei ſeptemplicis Ajax* apud Naſonem. ita paſſim Poëtae in deſcriptione clypeorum. *toti artus* cum proxime praeceſſerint, τὸ *totum* minus opportune hic occurrit. poſſis tamen &,

Sutum

Digitized by Google

Sutum per clypeum. de quo copioſius agemus ad Maronem Aeneid. x, 313.

Verſ. 467. *& has, inquit, criſtas galeamque reſume*] Regius eleganter, *& has inquit criſtam galeamque.*

Verſ. 482. *Atque hunc te meminiſſe velis*] *hanc me meminiſſe* puto.

Verſ. 483. *Hei mihi cur nullos ſtringunt tua lumina fletus*] *nullo ſtringuntur lumina fletu*, maluerim. vel *nulli ſtringunt fletus.*

Verſ. 486. *perdita obibo*] ita Carrion. ſcripti noſtri editique *prodita abibo.* lege, *prodita obibo.* quod cum Carrion reperiſſet in ſuo codice, non intellexit. ſic, *prodere conjugium* apud Maronem. adeantur quae adnotavimus ad Naſonem Rem. Am. verſ. 455. ubi *prodere ignes*, & *amores* habes.

Verſ. 491. *& ulla peti ſine te loca*] *pati* Gronov. Obſervat. lib. IV, cap. 21. vere. ne dubita. atque ita nos ad Claudianum jam pridem. neque aliter Aldinus codex. vide quae ſupra v. 186. adnoto.

Verſ. 496 *& ad primos procumbit Graecia fluctus*] *procumbat* legit Pius. *procurrit* maluerim, ſpectandi videlicet ſtudio. libro II,

---- *ipſe ultro primas procurrit ad undas*
Miraturque viros.

libro III,

---- *nunc notas nemorum procurrit ad umbras.*

Verſ. 499. *Perque haec ergo tuo*] opinor,

Perque haec, virgo, tuo redeuntia ſidera nutu.

& ſic Gisbertus Cuperus Obſervat. III, cap. VI.

Verſ. 501. *ſim noctis & inmemor hujus*] *ſi noctis* repone concinna repetitione. nam in primo Vaticano,

---- *umquam ego ſi meritis noctis inmemor hujus.*

in vulgatis editionibus etiam valde turbatur, Pius legebat, *numquam ego ſim.*

Verſ. 503. *& mea tum non haec promiſſa videntem*]

Digitized by Google

tem] haec aut mendoſa ſunt valde, aut ſcioli manum adulteram prae ſe ferunt. forte, *me tuentem.*

Verſ. 507. *& ſi quid tu ſaevius ipſis*] haec quoque ſuſpecta ſunt.

Verſ. 510. *queſtus amantis*] *amantes* puto.

Verſ. 511. *Haec ubi dicta: tamen perſtant defixus uterque*]

Haec ubi dicta: aciem perſtant defixus uterque.

ni fallor.

Verſ. 513. *Ora ſimul toties*] putabam aliquando,

Ora oculis totis dulces rapientia viſus.

Verſ. 521. *noſtrique vigoris*] omnino ſcribendum, *veſtrique vigoris.* cum praeceſſerit, *fiducia noſtri.* pro *quem*, quod mendoſum utique, primus Vaticanus *quaem.* puto,

---- *quin tanta utinam fiducia noſtri*
Sit mihi.

Verſ. 533. *heu tantis iterum carpende periclis*] ita Carrion. vulgati, *mihi care.* forte, *ſubiture*, vel *credende*, vel *damnande.*

Verſ. 537. *Contingat vix deinde mori*] *mox deinde* ſcribatur. apud Naſonem,

---- *mox deinde, quid autem*
Flemus? ait.

ſuperiora etiam male diſtinguuntur. *nox vana diremerit. nox una* cum Zinzerlingo & priſcis editionibus. *ſpes vana* proxime praeceſſerat.

Verſ. 521. *liberne freto jam vultis aperto*] ſic Carrionis codex. quomodo & Pius Baptiſta conjecerat. *fretis apertis* vulgati. *Tiberine fretis aperto* in primo Vaticano. aliorum commenta piget adſcribere. corrigendum,

---- *liberne freto jam fluctus aperto?*

Verſ. 542. *Vtque prius totum ſileat mare*] forte, *motum ſidat mare.* niſi *tutum ſileat.* cum Gronovio mavis Obſerv. ad ſcript. Eccl. 10. *motum mare*

pro

pro procelloſo. de quo ad Metamorphoſes Naſonianas pluribus.

Verſ. 543. *dumque ea longe Explorare queat*] ita Carrionis liber & primus Vaticanus cum Regio. Pius caſtigabat, *Explorare parat.*

Verſ. 546. *En vocor, en ultro, dixit: ſpeſque addidit aura*] perperam Carrion, *Et vocor.* pro *aura* alii *aula.* *auſa* Carrion. opinor, *ſpeſque additur auſo.* vel, *auſis.*

Verſ. 547. *Vos mihi nunc primum in flammas invertite tauri Aequora*] *in glebas* cum Aldina editione praeſtantiſſimus Gronovius Obſervat. lib. IV, cap. 21 ſub finem; qui illic conſulendus. ſane τὸ *flammas* hic admitti vix poteſt, cum verſu proximo iterum repetatur haec vox. forte, *inmanes tauri.* & *prima aequora.* deinde ſcribo,

---- *nunc tota coopertum involvite flamma.*

pannis coopertum corpus Lucretio libro IV, &,

---- *famoſis coopertus verſibus.*

Hor. libro II. Sat. I. pro, *meſſis memoranda,* forte, *metuenda.* ut apud Naſonem de hac eadem re,

Illa erat agricolae meſſis iniqua ſuo.

& ſic Baptiſta quoque Pius conjecerat. praeſtiterit tamen fortaſſe, *meſſis ploranda.* pleraque in hac Aeëtae oratione admodum mendoſa ſunt, & ab interpolatoribus valde diſtorta.

Verſ. 550. *partim Grajum*] *parti* liber Carrionis veterrimus. Vaticanus, *paſſim.* forte, *patri in Grajos.*

Verſ. 551. *Ipſius adſpectu pereant in vellera, & ipſa Terga*] *in ipſa Terga* Carrion ex ſuo codice fruſtra. quamquam & ſic primus Vaticanus. ſcribo,

Ipſius adſpectu pereant: quin vellera, & ipſa
Terga mihi diros ſervent infecta cruores.

Verſ. 558. *diſceſſit in agris*] *ab agris* maluerim.

Verſ. 562. *Riphaeas ad arces*] *ad Arctos,* forte. *arces* pro montibus.

Verſ. 566. *effudere tenebras*] *offudere* magis arrideat.

Digitized by Google

deat. de quo verbo jam ſupra egimus. fors etiam ſuperiori verſu *Aeëia tellus*, non *Aeëtia*.

Verſ. 580. *torvo ſe lumine flexit*] nihil neceſſe *torto lumine*, quod Carrion invexit. noſtri codices pro vulgata ſtant ſcriptura. paullo ante, *galeamque micantem* puto. & paullo ante,

--- ardentem dextra ciet obvius enſem.

non *errantem ignem*. quomodo noſter & alibi locutus.

Verſ. 583. *Facta retro*] omnino *Fracta* ſcribendum. monui ad Naſonis lib. XI, Metam. v. 729. uti & Zinzerlingo videbatur, & ante Zinzerlingum Pio. Statius Theb. VI. 774,

--- ut praeceps cumulo ſalis unda minantes
In ſcopulos & fracta redit,

Silius lib. III,

Mox remeat gurges, fractoque relabitur aeſtu.

ubi perperam *tractoque* nunc circumfertur.

Verſ. 587. *Incitat Aeſonides dextram atque ardentia mittit Cornua*] *inque ardentia mittit Cornua* cum Carrionis libro. ſed verius Regii ſcriptura, *atque ardentia mutat Cornua*. eleganter. *mutare cornua*, nunc hoc nunc illud cornu adprehendere. ſic *mutare latus* apud Naſonem reſtitui, ſub finem libri XIII. Metam.

Verſ. 591. *gravius mugire recedens Incipit*] *reſidens* optime Gronovius Obſervat. libro I. cap. XVII, quod *ſubſidere* eſt aliis.

Verſ. 598. *Jamque propinquanti noctem inplicat*] *nocte* malim cum Pio Baptiſta.

Verſ. 599. *In caput inque humeros*] *inque armos* maluerim. pro *proruit* Gronovius ad Taciti Annales lib. XV. cap. XXII. *procidit*. cur non *corruit*?

Verſ. 601. *atque ſuis defixum flatibus urguet*] *defeſſum* Regius, pro diverſa lectione. ſed *defixum* terrae innuit. malim tamen *afflatibus*.

Verſ. 604. *Non aliter medio quam ſi telluris hiatu Terga recentis equi*] *Non ſecus ac medio* primus Vatica-

Digitized by Google

ticanus & Regius, cum Aldino & Maſeriano exemplari ac editione Pii. ſcribo,

Non ſecus ac medio quaſſae telluris hiatu
Terga repentis equi, primoque invaſit habenis,
Marmore, & in ſumma Lapithes adparuit Oſſa.

quaſſae telluris hiatu Maronianum illud reſpicit,

---- tuque o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridente.

alii enim in Attica, alii in Theſſalia rem a Neptuno factam adſeverant. *primo marmore*, pro *primo aequore.* ſic apud Lucanum libro IX peccatur,

Hanc, ut fama Deus, quem toto litore pontus
Audit ventoſa perflantem marmora concha;
Hanc & Pallas amat.

ubi *murmura* minus concinne nunc legitur. Pius Baptiſta corrigebat,

---- primumque evaſit harenis
Murmur.

Verſ. 620. *rutilum thoraca ſequentis Aut primas à matre manus*] haec valde corrupta ſunt. *ſequenti* in primo Vaticano & Regio. *rutilo in thorace ſequentis* Aldus.

Verſ. 625. *Ergo iterum ad ſocias convertere Colchidis artes*] perperam *iter* invexit Carrion ex ſuo codice. pro *convertere* non melius *convertit* caſtigatum à Pio. paullo ante *Palladios angues* ſcribendum. hoc eſt *aegida* Palladis, non *ignes.* atque ita codex Regius. mox lege, *galeae imae.*

Verſ. 628. *ſic undique denſant Terrigenae jam ſigna duces*] *denſent* opinor, quod verbum ad Naſonem ex vetuſtis membranis multis ſcriptoribus reſtitui. & ſic Bulaeus.

Verſ. 631. *Jamque omnes odere virum*] ita Carrionis codex. caetera cum vulgatis, *videre*; forte,

Jamque omnes prodire, unum namque omnia contra
Tela volant.

pro *volant* primus Vaticanus *Tela cubant. juvant* Regius. Aldus *levant.* lege, *Tela vibrant. volant* ex conjectura Pii eſt.

Verſ. 635. *Qualis ubi exſtimulat maeſtae Phrygia agmina matris Ira vel exſectos*] pri. Vatic.

Qualis ubi atto maeſte Phrygas annua matris
Ira vel exertos.

Regius,

Qualis ubi attollit maeſtae Phrygas annua matris.

ſed bene Carrion. niſi legas *adionuit.*

Verſ. 639. *Omnis ibi Aeſoniden ſterni putat*] Regius, *Omnis ub.* in vulgatis *ubi.* forte,

Omnis ab Aeſonide verti furor, omnibus irae
Aequales.

vel,

Omnibus Aeſoniden ſterni putat, omnibus iras
Aequales.

Verſ. 641. *ſed cuncta jacebant Agmina*] maluerim, *ſed cuncta cadebant Agmina.*

Verſ. 643. *atque hauſit ſubito ſua funera tellus*] puto, *ſua munera*, vel, *pignora.*

Verſ. 648. *cum furit*] *cum ruit* opinor.

Verſ. 650. *Haud tam mendacem*] *Haud jam.*

NICO-

Digitized by Google

NICOLAI HEINSII ANIMADVERSIONES IN *LIBRUM VIII* ARGONAUTICON C. VALERII FLACCI.

Verſ. 1. F*acta paventem*] *fata* rectius editiones Gryphii & Colinaei cum codice Regio, quod & Pius adgnoſcit.

Verſ. 8. *antiqui carpſit veſtigia ſomni*] valde aeſtuat in hoc loco Barthius Adverſ. XIIX cap. XV. qui *inviti* reponit *ſomni*,

Ante per anti carſit veſtigia ſomni

primus Vaticanus. ſomnium hoc lib. V. narratur. lege *carpit.* pro *carpſit*, Aldus *compſit.* forte,

——— *per inviſi veſtigia ſomni.*

Verſ. 16. *Haemonio numquam ſpernenda marito*] *numquam ſperanda* Barthius. forte, *non aſpernanda.* vel, *nunc adſpiranda*, ut ſupra,

——— *ſed non incendia Colchis*
Adſpirare ſinit.

Verſ. 17. *profert medicamina ciſtis*] ita peſſimo exemplo Carrion. cum in editis caeteriſque ſcriptis *prodit* legatur. quod minime fuit mutandum. nos verbi ejus elegantiam ad Claudianum initio Raptus Proſerpinae, & ad Faſtos Naſonianos pluribus

Digitized by Google

bus adſtruximus. vidit & veram ſcripturam Barthius in adverſariis.

Verſ. 19. *addidit enſem*] *adjicit* Barthius.

Verſ. 20. *Furiarum erecta flagello*] peſſime Carrion *ejecta*. & ante Carrionem Pius Baptiſta. infra, *rapido per devia paſſu Tollitur*.

Verſ. 23. *extremum conjunx ferit irritus Iſthmon*] *Iſthmo* in ſcriptis. forte,

——— *extremo furit irritus Iſthmo.*

Verſ. 29. *velatis cornibus & jam Luna venit*] quare vero *velatis cornibus?* pudebat, credo, ineptiarum Lunam. ſed legendum, *elatis cornibus*. ſolemnes ac familiares eſſe hujuſmodi in verſu hiatus Poëtarum optimis, ad Maronem & Claudianum multis oſtendimus. *efferre cornua* ut libro primo, *atque elatis cornibus amnes*. Claudianus,

Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
Rhenus.

alibi enim *elatus* pro *velatus* reſtituimus apud noſtrum. vide lib. IV, 298.

Verſ. 32. *pavidae virgo de more columbae*] τὸ *pavidae* ſuperfluum videtur. cum τὸ *tremens* de eadem columba mox ſequatur. atque ita bis idem dicatur a Valerio. forte a manu ejus fuit,

---- *Paphiae de more columbae.*

quomodo *Cythereïades columbae* apud Ovidium.

Verſ. 35. *Acta timore gravi mediam ſe miſit*] *Icta timore* Carrionis liber. ſic in Faſtis Naſonis,

Cui paret exſequias, quove ſit icta malo.

percuſſus terrore apud Maronem lib. I. Aen. 513. ubi plura ad rem. ſup. VII, 475. *extremo percuſſa dolore*. deinde ſcribendum, *mediam ſe inmiſit*. libro VII,

Non tulit ipſe moras, ſeſeque inmiſit Jaſon
Diverſos poſtquam ire videt.

Verſ. 40. *ſatis eſt quaeſiſſe carinae*] praeſtiterit *vexiſſe*. quia *requiro* praeceſſit.

Verſ. 41. *Verum age & hoc*] lege, *Verum agito*.

Verſ.

Verſ. 47. *Nec jam nunc regina loquor*] forte,

Nec jam nunc regina vocor ſceptriſque relictis
Vota ſequor.

atque ita nonnullos legere monet Pius obnitentibus membranis. vel, *domo ſceptriſque relictis.*

Verſ. 49. *Di noſtris vocibus adſunt*] *noſtris orſibus* lubens reſcripſerim, vel *auſibus*. *adſint* in Regio.

Verſ. 52. *oculiſque parentis Ingerat*] *Ingerar* ſcripti.

Verſ. 53. *hoc te quoque deprecor hoſpes*] *hoſtis* cur reponi velit Barthius in Adverſariis libro XIIX, cap. XV. & mox, *Haec ait, utque furens*, cauſſae nil video.

Verſ. 66. *an lumine ſomno Mergitur*] *Mergimus* in Regio. ſcribendum *Vergitur*. quomodo apud Maronem,

---- *nec dulci declinat lumina ſomno.*

noſter libro primo,

Mox ubi victa gravi ceciderunt lumina ſomno.

Seneca Hercule Furente Act. IV,

---- *vultus in ſomnum cadit*
Et feſſa cervix capite ſubmiſſo labat.

Adi quae notamus ad Naſonem libro VII, Metamorphoſeon v. 155. Propertius libro II, El. I,

Seu cum poſcentes ſomnum declinat ocellos.

quae illic vera eſt ſcriptura. non *ſomnus.* uti Scaliger etiam deprehendit. P. Statius Theb. VIII,

---- *ſponſae tradunt miſerabile munus*
Declinare genas.

Propertius lib. IV, El. VII,

At mihi non oculos quiſquam inclinavit biantes.

ubi perperam *oculos euntes* nunc circumfertur. Calvus apud Priſcianum,

Cum gravis urgenti connivere pupula ſomno.

ſic malo, quam *ingenti ſomno*. ſimiliter *labentes* & *lapſi ſomno oculi.* de quibus copioſe dictum ad Amores Naſonis libro III. Apuleus in Apologia, *Maximus omnium magus eſt, quo praeſente* Thal-

Thallus diu ſteterit. ita plerumque morbo, ſeu ſomno (lege, *ceu ſomno*) *vergens inclinatur.* Marcianus Capella lib. VIII, de Sileno, prae ebrietate in ſomnum labante,

Percellitur repente,
Siliciniumque nutans
Tentat citare curſum:
Tunc motibus negatis
Magis involutus adſtat,
Ceſſimque formidantes
Labant pedes tremore;
Titubanſque, molienſque,
Haeret, redit, recurrit,
Tum victa palpitanſque
Vergens cadit ſenectus.

perperam ibi *turgens ſenectus* nunc circumfertur; & v. tertio, *celerare curſum* pro *citare* contra metrum. verſu ſeptimo *Abeunt* pro *Labant. vergi lumina ſomno* eleganti Graeciſmo. ſic libro tertio arbitramur ſcribendum v. 40,

Atque illum non ante ſopor luctamine tanto
Lenit agens Divum imperiis, cadere inſcia clavo
Dextera, demittique oculos.

pari Graeciſmo apud Appulejum Met. IX, *Quales illi muli ſenes vel cantherii debiles, qui circa praeſepium capita deverſi contruncabant culmos palearum.* ubi *capita demerſi* nunc legitur. apud Lactantium Divinar. Inſtitut. lib. II, cap. II. *Fas non eſt coeleſte animal cum terrenis & in terram vergentibus coaequari.*

Verſ. 68. *crinemque intenderat aſtris*] locus a Barthio multum exagitatus Adverſar. lib. XIIX. cap. XV. in Carrionis libro, *circumque.* lego, *lumenque.* pro *tantus ſubiit ut virginis horror*, quod paulo ante praeceſſerat, male Barthius *ſubiit vi.* in Regio *ſubiit tum.* fruſtra.

Verſ. 77. *Quem metuis me ſtante dolum*] *me adſtante* opinor. vulgati, *me inſtante.* pri. Vaticanus,

me

Digitized by Google

me ii tande. Regius, *me hic ſtante*. non male. forte *obſtante*.

Verſ. 80. *Nec dare permiſſae (quamvis jubet) ora quieti Suſtinet*] vir inluſtris Radboldus Hermannus Schelius, quem maximo rei literariae damno nuper amiſimus, per literas me monuit, videri ſcribendum, *quamvis juvet*. optime. ne dubita. *quamvis lubet* Barthius.

Verſ. 81. *percuſſus nube ſoporis*] an *perſuſus?* cum *excuſſit* proxime ſequatur. ſic,

---- *lethaeo perſuſa papavera ſomno.*

apud Maronem. noſter tamen alibi dixit,

Nube mali percuſſus amor.

Verſ. 82. *& dulces excuſſit ab arbore ſomnos*] opinor, *excuſſit corpore ſomnos*, vel *pectore*.

Verſ. 83. *Contra Tartareis Colchis ſpumare venenis*] forte, *cumulare venenis*.

Verſ. 87. *ardentes ſopor occupat iras*] forte *occupat orbes*. ut ad oculos referatur.

Verſ. 89. *nutatque coactum Jam caput atque ingens extra ſua vellera cervix*] *extra ſua tergora* opinor. valde aeſtuavit in hoc loco Barthius Adverſ. XIIX. cap. XV. nec ſe expediit. pro, *atque ingens*, forte *ac vergens*.

Verſ. 91. *Alpheus*] *Alpheos* Regius.

Verſ. 93. *fuſis circumprojecta lacertis*] *porrecta* ſcribendum. nam, *ſeptem projectus in amnes* paullo ante praeceſſerat.

Verſ. 98. *quam ſegnis inertem Flatus habet*] malim, *ſegnis inerti Flatus hebet*.

Verſ. 105. *Aeſonide demitte moras*] *Dis mitte* Barthius Adverſ. XIV, cap. VI. non placet.

Verſ. 113. *& aëriam quamvis perfertur ad ornum*] *ſquamis perfertur* puto. confirmat Aldinus codex. Claudian. I. Rapt. Proſ. 184,

---- *rutilum ſquamis internutat aurum.*

proxime ſequenti verſu rectius τὸ *aut* ſuſtuleris.

Verſ.

Verſ. 131. *atque aurea miſit*) *utque* legendum. quomodo in Adverſariis Barthius.

Verſ. 136. *ſubitis inflexit frater in armis*] *inſurgit* cum Aldo Zinzerlingus. *hunc ſubitis inflexit frater in armis* Alardus, & ante illum Barthius Adverſ. XII, cap. VI. Pius Baptiſta, *effluxit*. hoc eſt *torrenti ſimilis ſpumeo*. lego *adfluxit*, vel ſcribe,

---- *hinc ſubitis effulſit frater in armis*.

vel, *en fulſit*. Virgilius Aeneidos VI,

Illi autem paribus quos fulgere cernis in armis.

& iterum libro XI,

Inſignis longe Phrygiis fulgebat in armis.

fulgentia arma paſſim apud eundem Maronem & Silium. verius tamen ſit fortaſſe,

---- *hinc ſubitis en vindex frater in armis.*

quod malo, quam *vindex it*, etſi propiore ad vetuſtam lectionem ſcriptura. nam τὸ *it* languidam praeſtat orationem. poſt hunc verſum ex codicibus parum vetuſtis verſus XV inſerit Pius Baptiſta. quos eſſe ſuppoſititios nullus dubito.

Verſ. 139. *nam puppis*) praeſtiterit *jam*.

Verſ. 149. *Iſtane nota domus*) *vota domus* Gronovius Obſervat. libro IV, cap. XII, probe. confirmat liber Regius.

Verſ. 161. *ſubierunt aequora remi*) opinor,

Ex quo Theſſalici ſubière haec aequora remi.

vel, *ſubiere haec litora*. vide notas lib. IV, 735. vel *ſecuerunt*. Silius libro XI,

---- *lauro redimita ſubibat*
Optatos puppis portus.

in primo Vaticano duae hac voces *aequora remi* omittuntur.

Verſ. 163. *Non ullus tibi tum color*) *Non ullus vultu color* videtur fore rectius. ſed *vultu* mox ſequitur.

Verſ. 168. *Aut certe nunc omne nefas*) conjicio;

Digitized by Google

---- *commune fuiſſet*
Aut certe tecum omne nefas.
ut in illo Maronis,

---- *unum & commune periclum*
Una ſalus ambobus erit.

Verſ. 204. *dejecta in lumina palla*] recte hanc ſcripturam tuetur contra Turnebi & Zinzerlingi conjecturas Gronovius Obſervat. lib. IV, capite XXI, ſub finem, & jam diximus libro primo.

Verſ. 208. *deflexa Dianae*] an *devexa*? *defleta* Regius & Aldinus liber. quod Alardo placebat.

Verſ. 213. *quas carus Jaſon Ipſe dabat*] *has* Barthius Adverſ. XIV, cap. VI, ſed nil neceſſe. paullo ante,

---- *ipſae quoque murmure ponunt*

primus Vaticanus, pro, *ipſi quoque murmura ponti. aſpri murmura ponti* Aldus. Pius notat ex vetuſtis libris,

---- *ipſi quoque murmura ponunt*
Jam Minyae, jam ferre volunt.

Verſ. 216. *ad Haemonios hortatur ſurgere montes*] *hortatus* cum primo Vaticano. quod & alii jam viderunt. & tum diſtinctio mutetur.

Verſ. 219. *per ſaevos Iſter deſcendit Alanos*] neſcio cujus haec ſit conjectura. nam codices omnes *alumnos* adgnoſcunt. ſic *miles alumnus Oceani* apud Claudianum. ubi perperam *Alanus* erat repoſitum. deinde quaenam iſtae *reſides curae. in hoc reſidens litore* opinor.

Verſ. 224. *erigit aras*] *erigere aras* maluerim. pro *Ipſa* Barthius *Ipſe* Adverſar. XIV, cap. 6.

Verſ. 227. *numquam magis eminet inter*] *multo magis* Aldinus codex. puto, *numquam ut magis.*

Verſ. 241. *Quis modo jam ſaevos*] *tam ſaevos.*

Verſ. 242. *aut ipſi qui jam meminere miniſtri?*) *quid jam* Barthius. ſcribe,

---- *haud ipſi quin jam meminere miniſtri.*

Verſ.

Verſ. 246. *ut vertantur*] *& vertuntur* cum pri. Vaticano.

Verſ. 249. *breve tempus amorum*] *& breve tempus.* deinde ſequentia ad Mopſum refer. perperam haec vulgo diſtinguebantur. lege,

Promiſſa nec ſtare fide breve tempus amorum.

mox, *& tibi tum nullos* pri. Vatic.

Verſ. 252. *ſilveſtria laeti*] *laetis* Barthius & Alardus uti & pri. Vaticanus.

Verſ. 270. *nec quaero vellera*] lege, *nec curo vellera.* tum mox,

---- nec foederis ulla
Spes ſuper, aut irae quiſquam modus.

τὸ *ſpes* abſorpſit τὸ *ſuper* infra v. 435. *Nec ſpes ulla ſuper.*

Verſ. 272. *inde reverti*) maluerim, *unde.*

Verſ. 281. *Quin omnes alti*) *alto* arbitror. id eſt mari. *alti* in nonnullis editionibus. ſed *alti* in ſcriptis.

Verſ. 284. *tot decuit coiiſſe rates*) *coïre* libri calamo exarati, & Aldinus codex. ſcribo *concire rates.* ſic libro VI,

---- quanto Scythiam molimine Perſes
Concierit.

Verſ. 286. *Perque ratis ſupplex vox remigis illa magiſtris*). deleri ac tolli jubet hunc verſum Barthius in Adverſariis lib. XIV, cap. VI. Baptiſta Pius *magiſtris* ex vetuſto codice corrigebat. Idem monet a nonnullis legi,

Perque ratis ſupplex repſit vox illa magiſtris.

ſcripti,

Perque ratis ſupplex & remigis vexilla magiſtris.

tum paullo ante *atque orans*, non *itaque*. latet haud dubie ulcus majoris rei. forte,

Dixerat, atque orans iterum ventoſque viroſque,
Perque rates ſupplex it remigi, & inde magiſtris.

vel,

Ter quater his ſupplex vox erigit illa magiſtros.

Verſ.

Verſ. 287. *Illi autem intorquent truncis frondentibus undam*] *tonſis frondentibus*, puto, pro remis. apud Maronem Aeneidos quarto,

Frondenteſque ferunt ramos & robora ſilvis
Infabricata fugae ſtudio.

Verſ. 293. *Danubii*] *Danuvii* primus Vaticanus, quomodo & in antiquis nummis frequenter.

Verſ. 300. *Conjugio atque iterum*] *Conjugis* Barthius Adverſ. XIV. c. VI.

Verſ. 307. *non una Minyae formidine ſurgunt*] *non vana* fortaſſis.

Verſ. 318. *Haud ita ſed ſummo ſegnis ſedet aethere Juno*] verſus admodum mendoſus. forte,

Viderat, ut ſummo ſegnis ſedet aethere Juno.

pro *ſedet* in primo Vaticano *ſed.* forte *Vidit & haud ſummo.* mox pro *quoniam Colchi*, Aldus, *cernens Colchis.*

Verſ. 322. *Ipſa ſubit terras*] forte *Lapſa.*

Verſ. 325. *videre, inque imum*] *inque unum* Regius. quomodo & Baptiſta Pius corrigebat. *Verrentes imum pariter mare* Aldus. vide ad Ovidii I. Amor. IX, 14.

Verſ. 329. *deſedit hiatu*] *deſidet* pri. Vaticanus. reliqui *deſidit.* bene. de quo ad Maronem III, 555.

Verſ. 332. *hos agmine toto*] *torto* ſcribendum videtur, quomodo legi a nonnullis auctor eſt Pius. pro *trahit hos vertex*, pri. Vaticanus *varat.* ſecundus *narat.* emenda, *vorat hos vertex.* atque ita liber Regius.

Verſ. 339. *ſimul in vultus micat undique terror*] locus corruptus. forte, *ſimili in vultu.*

Verſ. 344. *ſpectans de litore pugnas*] *ſpecta* in ſcriptis.

Verſ. 347. *nec murrha corpus Achivi*] *corpus* hic minus ad rem facit, quum mox denuo ſequatur. forte,

-- *ſemi-*

Digitized by Google

--- ſemiviri nec murrha conditum Achivi,
Sed pice, ſed flammis, ſed olenti ſulphure cernes.

Verſ. 357. *ac fluctu*] *at fluctu* primus Vaticanus. mox malim, *Haud ulli cantus.*

Verſ. 360. *Ibat & arma ferens*] *Nabat* opinor. pro *quaerere tranſtra.* forte *prendere*, nam *quaerentem* praeceſſerat. mox,

---- moeſtas aliis intendere voces
Tuppibus.

non, *altis puppibus.* pro *Incipit,* malim, *Arripere.*

Verſ. 364. *Nulla poteſt, aut illa velit*] Medea nempe. *haud nulla velit* Barthius Adverſ. XIV, c. VI. rectius tamen *ulla velit* in aliis. *haud ulla* Regius. ſed vere primus Vaticanus, *aut ille velit.*

Verſ. 365. *Tunc aliud*] *junctim. jam tamen errat; exſtat* cum Aldo bene Zinzerlingus. forte, *jamque iterum exſtat.* vel, *jam jamque fere.*

Verſ. 366. *violentus ab imo*] *revolutus* bene cum Aldo idem Zinzerlingus. ut ſupra, 330,

---- vaſto rurſus deſedit hiatu
Abrupta revolutus aqua.

Verſ. 372. *Quos videt adgnoſcitque tremens*] *fremens*, arbitror. confirmat primus Vaticanus. forte etiam paullo ante, *Heu quid agat?* nam Regius, *Ne quid agat.* lege, *Sed quid agat.*

Verſ. 379. *Cum ſocii) defertur in oram Cum ſociis.* atque ita Barthius Adverſar. XIV, VI.

Verſ. 387. *quid ſe externa pro virgine clauſo Objiciat)* alii *clauſos. clauſas* pri. Vaticanus. ſecundus, *clauſa.* ſed optime optimus Schelius, *claſſi objiciat.* ne dubita. ni mavis, *clauſtro objiciat.* ut clauſtrum & tamquam carcerem appellet, in qua circumſidebantur, nec pateret egreſſus a Colchis. poſſis & *Colchis objiciat.*

Verſ. 390. *qui non furiis nec amore nefando)* ſcribe *furtis.* ut furtivos amores Jaſoni exprobret. *more* pro *amore* in ſcriptis. ſed perperam.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 393. *id tempus enim ſat vellera Grajis*] puto,

An vero ut thalamis, raptiſque indulgeat unus
Conjugiis, id tempus emi? ſat vellera Grajis.

Verſ. 395. *nec Marte cruento*] *ne Marte.*

Verſ. 400. *tantis ac vocibus impar*] *ac queſtibus* maluerim. deinde *& ſacri ſibi conſcia pacti.* nam in ſcriptis *eſt acri*; vel *eſt acris.*

Verſ. 415. *Me quoque vir tecum*] *quin tecum* opinor: in primo Vaticano *vittae cum.* ſcribe,

Me quoque quid tecum Minyae fortiſſima pubes?

Verſ. 423. *his reddere forſan Fas: abeant*] *habeant* ſcripti. nempe corrigendum,

--- hi reddere forſan
Fas habeant.

atque ita Gryphii ac Colinaei editiones. etiam Pius Baptiſta. apud Naſonem Met. 11,

Conſtitit ante domum: neque enim ſuccedere tectis
Fas habet.

male iidem codices *promiſſa poteſtas.*

Verſ. 426. *atque hac pariter rate fugimus omnes*] ſcribendum,

---- aeque hac pariter rate fugimus omnes.

aeque ambo pares, habes apud Plautum Menaechmis.

Verſ. 427. *An fratris te bella mei*] *te tela* maluerim. aut *vela.*

Verſ. 437. *Credidit ardentes quis ſe tunc jungere tauros Poſſe*] *quis te* ſcribendum. in Regio, *quis enim* non male. *Reddidit* male ſcripti. pro *ardentes* fortaſſe reponendum *aeripedes.* ſic & apud Martialem ſpectaculis ſcribendum,

Aeripedes poſſet ſine Colchide jungere tauros.

vide quae adnotamus ad epiſtolam Hypſipyles Naſonianae.

Verſ. 440. *quin nunc quoque quare*] *quaere* duo Vaticani. Regius *quaeret.* in vulgatis *quaerit.* forte *quaerat. quaere* Pius & ſcriptis.

Digitized by Google

Verſ. 443. *aut hoc nunc genitor putat, haud dare poenas*] *haud* vere vetuſtae editionis, & ſcripti codices. mox pro *dare poenas* ſcribe, *at dare poenas, jam ſceleris.*

Verſ. 447. *qualem Ogygias*] ſi recte attendis, nihil eſt, ad quod referatur τὸ *qualem.* expedit difficultatem veterrimus Vaticanus, in quo pro *tympana* legitur *tyana.* ſcribendum procul dubio, *qualem Thyada.* Inſignem eſſe hanc loci peſſime affecti reſtitutionem nemo diffitebatur, niſi qui litteras ignorat, & in rebus Poëticis eſt tyro. Reſpexit illa principis Poëtarum,

---- qualis conmotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnuſque vocat clamore Cithaeron.

noſter ipſe libro III,

Ceu pavet ad crimen & triſtia Pentheos ora
Thyas, ubi inpulſae jam ſe Deus agmine matris
Abſtulit.

libro V, 81.

---- Boeotia qualem
Thyas, & infelix cuperet vidiſſe Cithaeron.

Horatius lib. III, Ode XV,

Expugnat juvenum domos,
Pulſo Thyas uti concita tympano.

Statius Theb. V,

Evolat inſano veluti Theumeſia Thyas
Rapta Deo, cum ſacra vocant, Idaeaque ſuadet
Buxus, & a ſummis auditus montibus Evan.

Verſ. 451. *Peliacas nubes*] quia nubes Pelio incumbunt, niſi *rupes* mavis. ſed non opinor.

Verſ. 452. *& Tempe viridi lucentia fumo*] haec nihili ſunt. ſcribo, *Tempe viridi ridentia luco.* quomodo apud Maronem, *viridi gaudens Feronia luco.* Pari modo caſtigandus Plinius lib. IV. cap. VIII, ubi *Tempe* deſcribit, *Intus ſub luco viridante allabitur Peneus.*

Digitized by Google

neus. perperam, *Intus ſua luce viridante* circumfertur. Mela de monte Corycaeo, *viret lucis pubentibus undique*. in Valerio ſcriptum prius fuerat *viridi lucentia*, confuſis ſyllabis pro, *viridi lidentia luco*. cui ſciolus non nemo addit *fumo*. τὸ *viridi* aberat a primo Vaticano. pro quo Regius *nigro*. *ridentia Tempe*; quomodo, *ridentia litora conchis* apud Maronem in Ciri. *argentum ridet* apud Horatium, & *rident aequora* apud Lucretium. plura de elegantia ejus verbi nos ad Naſonem Met. xv, 205. ſed forte nil mutandum. Seneca Rhetor controverſ. 1. lib. 11, verbis Fabiani Papirii, *Quin etiam montes ſilvaeque in domibus marcidis umbra, fumoque viridibus*.

Verſ. 456. *Plena lupis*] pri. Vatic. *Plana*. forte *Planӗta*.

Verſ. 457. *Orbatae traherent ſuſpiria vaccae*] alii *bacchae*; ſed neutrum hic ad rem facit. puto ultimam vocem excidiſſe *tigres*. peſſime *hyaenae* Barthius in Adverſariis. de *orbatis tigribus* pleni Poëtae. Juvenalis, VI. 270,

Tum gravis illa viro, nunc orba tigride pejor.

Ennodius carmine 11,

Faetibus orbatae ferrent tibi munera tigres.

de *tigribus foetis* ſimilia Poëtae. *tigris orba natis*. Seneca Medea 863. proximo verſu duae illae voces, *gloria magni*, abſunt a duobus Vaticanis. Regius, *non lumine digna ſolis avi*. alias *non more paterni ſolis avi*.

Verſ. 460. *magnumque minatur*] *magicumque* Barthius Adverſar. lib. XIV. cap. VI. non placet. Silius Italicus lib. VIII,

--- *nec abſceſſem thalamo, ni magna minatus*
Meque ſua ratibus dextra impoſuiſſet.

Aeneas de Mercurio.

Verſ. 467. *tempora currere dictis*) *quaerere* ſcribendum omnino. Horatius Serm. lib. I. Sat. IX,

Muneribus ſervos corrumpam: non hodie ſi
Excluſus fuero deſiſtam: tempora quaeram,
Occurram in triviis, deducam.

proximo verſu *metuiſſe* pro *meruiſſe*. Barthius in Adverſar. libro XXVII. cap. III. probe.

FINIS.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Auctorum in Adnotationibus Emendatorum, & Illuſtratorum.

Apuleus, 253. 269. 301. 374. 402
Auctor Queroli. 299
Avienus. 248. 335
Auſonius. 316
Calvus apud Priſcianum. 401
Catalecta Pithaei. 312
Claudianus. 238. 252
Corippus. 338. 376
Florus. 182
Horatius. 203
Juſtinus. 192. 193. 381
Lactantius. 254
Livius. 311. 317
Lucanus. 240. 348. 397
Lucretius. 258. 336.
Marcianus Capella. 248. 402
Martialis. 166. 167. 267. 409
Ovidius. 206. 214. 290. 386
Perſius. 179. 203
Plinius. 410
Plinius Nepos. 316
Propertius. 203. 238. 313. 356. 391. 401
Prudentius. 163. 203
Seneca Tragicus. 227. 260. 334. 392
Silius Italicus. 163. 169. 175. 178. 219. 232. 235. 236. 269. 270. 272. 283. 334. 335. 373. 376. 396
Statius. 167. 174 178. 182. 183. 204. 219. 268. 290. 301. 316. 322. 335. 358. 374. 380
Tacitus. 205
Virgilius. 296. 334.

INDEX II.

Rerum & Verborum.

Abſciſum. 221
Accidit aures vox. 243
Acuere. 384
Adcreſcere. 186
Addere domo. 236

Digitized by Google

Adfundi alicui. 218
Adjacere cum Accuſativo. 335
Adpoſitus. 337
Adſidere. 334
Advertere. 275
Aegan. 211
Aeger. 183
Aeger cum genitivo. 282
Aeneum fulmen. 293
Alii clamores. 212
Alternus Mars. 283
Antecapere. 370
Ardet Chlamys. 363
Armare tela veneno. 178
Atlas canus. 251
——— *ferreus.* 327
Atque adeo. 288
Averna ſilva. 273
Avertere. 171
Aurum pro ſolis radiis. 226
Baltheus. 338
Bellonarii. 266
Bootes. 227. 391
Canus Atlas. 251
Ceto. 239
Chori Pleiadum. 313
Cohibere ora. 210
Concedere fato. 209
Concitus. 290
Conducere vulnera. 203
Conpreſſa pro comprimens. 204
Conſcius cum dativo. 188
Conſidere. 161
Crates. 265
Credere Cererem terrae. 172
Cunctari cum quarto caſu. 181
Cytaeëa. 195
Dahi pro Daci. 232
Dare manum. 168
Decus. 169
Delatum nemus. 180
Denſere. 265
Dereptus. 232
Diana Lucifera. 378
Diſcedit coelum. 192
Disjicere ora. 262
Domitianus, dictus Germanicus. 165
Ducere pro contrahere. 204
Ducere enſem. 179
Ductum ſequi. 289
Duplicata ſecuris. 262
Edit dolor. 281
Edunt labores. 326
Efferare. 252
Elatus. 293
Error de moribundo. 359
Excitus. 286
Expuere auram. 259
Exſerta. 277
Exuviae. 322
Fando nuntius. 289
Fas habere. 409
Ferre pro efferre. 295
Ferreus Atlas. 327
Feſtinus telae. 271
Fiſſa navis. 203
Flammare veneno. 178
Flatus ſecundi. 205
Flectere de aſtris. 391
Fors pro forte. 202
Frigida terga. 242

Ful-

Digitized by Google

Fulgens ratis. 382
Fungi dapibus. 190
Furere enſe. 182
Fuſus humi. 217
Galli ſectis lacertis. 267
Gemitus de leonibus. 218
Gerere ſceptra. 242
Glaber. 267
Globi Pleiadum. 313
Gravis populo. 168
Habena. 277
Herilis. 307
Heſternus pro nuperus. 170
Horae comites ſolis. 287
Hoſpitii fides. 264
Humi fuſus. 217
Icta timore. 400
Ictus ager. 353
In armis. 404
In diem mitti. 244
In jaculis. 204
In vittis. 325
Incertus animi. 174
Inceſſit mentem pavor. 336
Induere vincula. 242
Induit cinis urbes. 302
Infectus. 231
Inpellere ira. 271
Inplicare ſtrage. 270
Inſerere ſe rei. 284
Inſilire cum quarto caſu. 355
Intendere. 373
Intendere manus. 269
Ira pro furore. 268
Irruere aliquem. 263
It cruor. 235
Juli. 162
Juſſa ira. 267
Labyrinthus. 216
Lacerti ſecti Bellonariorum. 266
Laetae menſae. 243
Laevum numen. 303
Ligari torpore. 242
Lucubrare. 355
Ludere meſſis dicitur. 380
Luere reſponſa. 249
Lues. 268
Lumina pro rimis. 180
Manere. 230
Marmor pro aequore. 397
—— *Parium.* 321
Matura aetas. 240
---- *ſidera.* 390
Metere ferro. 280
Movere ſagittas. 199
Multa minari. 241
Mutare cornua. 396
Nilus tepidus. 328
Nodi in Baltheo. 338
Nomina quinque quando in uſu fuerunt. 155
---- *illuſtrium virorum an nummis inſcripta.* 158
Nubes ſagittarum. 348
Occupare. 249
Occurrere leto. 232
Offuſa lux. 300. 331
Onerare muneribus. 255
Orbatae tigres. 411
Oſtendere ignem. 245
Ovare pro exſultare. 177
Pallens. 220
Pandere. 163
Panis corona pinea. 257

Pa-

Parium marmor. 321
Parta gloria. 249
Paſſus de brachiis. 190
Pati amplexus. 378
---- loca. 393
Patrium eſt. 232
Pendere. 279
Plebes. 327
Potens coeli. 362
Potes nam. 164
Praecipere. 296. 311
Premere pro exprimere. 243
Prodere. 393
Profundum merum. 339
Proxima culpae. 273
Pulvis Bellicus. 165
Qua, qua. 316
Rapere. 237
Raptor pro Lupus. 351
Recoquere. 362
Redeunt monitus. 290
Romphia. 349
Ruit Jupiter. 213
---- nox. 214
Ruunt ſidera. 390
Rumpere curſus. 161
Saevit odor. 299
Scrupus. 248
Sectari Colchos. 171
Securus cum ſecundo caſu. 291
Sedere de navi. 161
Serere ſpem. 324
Sibilare de arboribus. 258
Solemnia ſacra. 251
Solvere. 222
---- umbras. 254
Strictae cotes. 245
Stuppa. 180
Subire undam. 310
Super pro inſuper. 196
Suſpendere praedas. 369
Tantus. 375
Telam facere. 355
Tendere arenâ. 367
Theſſala frena. 255
Tingere. 175
Tithonia. 255
Tollere ratem remo. 196
Totus Dei. 187
Troïa arma. 286
Tumere. 228
Tutum litus. 312
Vanus futuri. 215
Vates etiam Dii dicti. 244
Vergens pondus. 193
Verguntur lumina. 401
Viae. 205
Viae rerum. 256
Vices noctis. 192
Viride cornu. 332
Vis pro venenum. 386
Vocare Deos in verba. 250
Uvida vellera. 193

FINIS.

Digitized by Google

D[illegible]gle

Digitized by Google

—10

Digitized by Google